BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 Q
12

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
6 D
5 1

Cantent (Ali Pachum, durantque omnia
Et ego Magistri, gaudia odisse ego.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRI PASCOLI PERUSINI

IN ALMO URBIS ARCHIGYMNASIO
Medicinæ Professoris Primarii, totiusque Status Ecclesiastici Protomedici Generalis

DE HOMINE

Sive de Corpore humano vitam habente, ratione tum prosperæ, tum afflictæ valetudinis

LIBRI TRES.

In quibus ad Mentem tum Veterum, tum Recentiorum Theoria, ac Praxis Medica nova, clara, ac brevi methodo exponitur.

In hac Veneta Editione duabus sub finem Prolusionibus adjectis.

VENETIIS, MDCCXXXV.

TYPIS ANDREÆ POLETI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

=85½

Digitized by Google

Illustrissimo ac Eruditissimo Viro

FRANCISCO ROMANI

Onsilio Virorum eruditorum acquievi, & negligendum non fas mihi putavi, cum me quamplurimum voluptatis, atque emolumenti medicæ Artis Tyronibus, ac Professoribus allaturum esse intellexi, si Alexandri Pascoli de Homine, sive de Corpore humano vitam habente libros typis ederem. Quare operam dedi ut mea industria recusi, & duabus insuper Prolusionibus locupletati quam emen-

Digitized by Google

datissime in manus hominum pervenirent. Verum cogitanti mihi cui Viro, ut mos est, opus nuncuparem, tu primus eo munere dignus occurristi, tum ob eximias animi, ingeniique dotes, tum quia non vulgaria tua erga me beneficia extant, pro quibus nullum tibi usque adhuc documentum exhibere potui. Has igitur lucubrationes nomini tuo inscribere aggressus sum, non ut tibi de me optime merito quasi gratiam referam, sed ut nostra ætas, atque posteritas observantiæ in te meæ habeat monumentum. Sed si neque his rationibus tibi devinctus essem, ad hoc me tua virtus impelleret, cum in hac nostra Urbe, & spectteris, & proberis talis, ut doctissimis Viris medicam facultatem tractantibus, meritò sis comparandus. Voluntatem itaque meam, non munusculum metiri velis, atque pro tua humanitate, diligentiam, & observantiam meam non improbato. Vale.

Emi-

Digitized by Google

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

ANNIBALI ALBANO

Tituli S. Clementis S. R. E. Cardinali
Camerario,

Ac Romanæ Sapientiæ Protectori Vigilantissimo

ALEXANDER PASCOLI

P. F.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

X quo felicis recordationis Clemens XI. Pontifex olim Optimus Maximus, cui liberales Facultates, ac Artes ingenuæ plurimum utique debent, ut Medicinam publice in hoc Urbis celeberrimo Archigymnasio profiterer, ex Patrio Lyceo huc me accersivit, Institutiones hasce Medicas, quas adauctas, expolitas, excultas, & pro virium mearum tenuitate perfectas, sub tuis auspiciis, Eminentissime Princeps, nunc profero, Medicinæ Tyronibus quotannis exponendas, ea meliori, quæ mihi videbatur, via, clarè non minus, quam brevi, ni fallor, exposui. At eas, qualescumque aut fuerint, aut sint, si benignè modò respicere non dedignaberis, id mihi pro diutinis laboribus meis summum erit pretium; tua quippe gratia abundè nobilitate, nisi sua, aliena saltem luce, splendescent. Non eo tibi animo opus istud, Eminentissime Princeps, inscribere aggredior, ut aliquid vel minimum splendoris clarissimo Nomini tuo comparare confidam; eoque minus, quod de singularibus animi, quibus eximie polles dotibus, ut in hac loquar epistola, nec tua sineret modestia, nec ob famam, quæ multo jam ante per Orbem eas longe, lateque profudit, rationi consonum videretur; verum ut auctoritas iis, præsidium, & splendor, quem aliunde sperare nequirent, ex tuo clarissimo, quod præseferunt Nomen, referatur. Quum igitur, ut illud tibi dicaverim, Eminentissime Princeps, id solum me equidem impulerit, non est, quod in operis commendationem aliud

pro-

Digitized by Google

proferam. Si qua prædictas institutiones arte compegimus, id tute ipse, qui & latini sermonis elegantiam, & intimam cultioris Philosophiæ cognitionem, & rectam dicendi, scribendique in omni litterarum genere rationem optimè calles, æquè poteris æstimare. Rerum, quæ ad Medicinam universam exercendam spectare videntur, Fabricam, ut opinor, non planè spernendam extruximus. At, si nihilosecius æquos non ubique æstimatores offendere datum erit, id satis superque erit, ut animo non iniquo tu, Eminentissime Princeps, ut & in cæteris rebus, ita & in hac mihi adsis. Faxit Ter Optimus Maximus, ut diu feliciter vivas. Quoniam, si incolumem te diu in Terris servaveris, & nobis Romanæ Sapientiæ Cultoribus, & universæ litterarum Reipublicæ, bene sapienterque, ut ab ineunte ætate cœpisti, diu consulere prosequeris.

PRÆ-

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Ucubrationes hasce Medicas, quas multò ante jam exaravimus, atque in Archigymnasio Romano, Medicinam publicè professi, non semel exposuimus, quasque nuper expolivimus, ac pluribus aliis postremò practicis observationibus locupletavimus, non tam ut saneris, quàm ne immaturè occidaris, tibi, quisquis unquam futurus eris, qui eas legere velis, ac rebus Medicis imbui non dedignaberis, æquo, lætoque animo impertimur. Dicere pudet, Ornatissime Lector. Ac dicendum utique. Ut & reliquæ liberales Facultates, ita & ipsa Facultas Medica nobis Italis, Romæ præsertim, præ cæteris Gentibus floruit equidem, & nunc ut quum maximè floret. Non est tamen, [nescio an temporum, an improborum, sive imperitorum, qui eam turpiter profitentur, vitio,] quòd, ut & reliquæ liberales Facultates, ita & ipsa Facultas Medica identidem non deturpetur. Hinc non dicam in exteris plagis apud Barbaros tantùm, verum ubique, pluribus dolis, pluribusque fallaciis, necnon etiam occultis quandoque flagitiis nobilitata, non sine maximo Reipublicæ vulnere, nobis olim variis ex causis imposuit, & adhuc imponit. Enim verò, ut de cæteris sileam, nonne ea nobis olim imposuit, ex Arabibus præcipuè, ad nos tanta jampridem Pharmacorum transvecta multitudo, varietas, & confusio? Nonne nobis adhuc item imponit ea, ex Chymicorum officinis, arcanorum recens conficta potiùs, quàm deprompta feracitas; quæ res utplurimum nullius ferè momenti vocum speciosa novitate decorantes, facilè credulos passim aucupantur, atque eorum facultates extenuando, se, suasque iniquo fœnore pinguiores facere curant? Nec aliter utique hodie nobis imponunt, qui ab ea Priscorum innocua simplicitate recedentes, plura simplicia, in Medicina facienda, insimul confundunt, ac talia temerè construunt medicamenta; quibus, & noxam plurimam quamsæpissimè moliuntur, & nostri corporis œconomiam irritant, evertuntque. Ut igitur ab ejusmodi prava Clinice, si nos inter unquam extiterit, opportunè cavere, modò litteris operam dederit, quisque sibi queat, hæc nisi unicè, saltem præcipuè scripsimus. Et quoniam eos præ-

sertim,

Digitized by Google

sertim, quorum ad manus Tractatus hic noster pervenerit, in Medicinæ tyrocinio, veluti candidatos respeximus, de *Homine, sive de Corpore humano vitam habente, ratione tum prosperæ, tum afflictæ valetudinis explorato* agendo, a primo ad extremum Facultatis eosdem erudire curavimus. Et quicquid tum theoricè, tum practicè ad Clinicen hodiernam spectare videbatur, nova equidem, clara, præcisaque methodo, in compendium ideo veluti contraximus, ut Clinicen brevi addiscere possint. Quod profectò efficiet, ut etiamsi Clinicen ex professo exercere noluerint, Clinicos saltem vel imperitos, vel improbos maturè pernoscant; ne aut inanium verborum fucata illecti suavitate, aut subdolæ calliditatis illecebris capti, sese, suamque progeniem pessimo Clinicorum cuique imprudenter tractandam committant: quò sibi, suisque in tempore utique prospicient. Ut autem ad ejusmodi studium capessendum alacrius incitarentur, doctrinas universas, scholasticas licèt, stylo nec penitus inculto, nec planè incondito, exposuimus; omnemque, quæ scholas olim pervagabatur, barbariem, scriptis nostris, nisi prorsus excussimus, quoad potuimus saltem cicuravimus. In animo enim, quæ in Tusculanis scripsit olim Tullius, adhuc nobis versantur. *Est enim quoddam genus eorum, qui se Philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse latini sanè multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim: sed quia profitentur ipsi illi qui eos scribunt, se neque distinctè, neque distributè, neque eleganter, neque ornate scribere: lectionem sine ulla delectatione negligo* (a). *Sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & litteris.* (b). Auctores proinde, quos scribendo in hoc opere præcipuè nobis imitandos proposuimus, Cornelius Celsus fuerunt, Plinius, & præsertim Historicus, necnon etiam Lucius Junius Moderatus Columella; qui, optimis equidem temporibus, de rebus item nostris, ut neminem fugit, limpidissimè scripserunt. Viros insuper in omni litterarum genere versatissimos consuluimus, iisque libenter auscultavimus. Inter quos admodum Reverendum Patrem Ignatium Guarini Soc. Jesu nostri semper amantissimum, quo cum ab ineunte ætate maxima semper nobis fuit consuetudo, quem & plurimi semper fecimus, coluimus semper, & peramavimus; necnon etiam Ornatissimum Virum Petrum Assalti, tum inter Archigymnasii Romani Professores, tum inter Archiatros Urbis Collegam nostrum celeberrimum, præ cæteris selegimus: quibus & ex decreto Reverendissimi Patris Magistri Sac. Pal. Apost. litterarios labores hosce nostros explorandos tradidimus; & ut

(a) *Quæst. Tusc. lib. 2.* (b) *Quæst. Tusc. lib. 1.*

&, ut limam in iis ad unguem intenderent, facultatem fecimus. At si quid barbari nihilosecius exciderit, id non modo longævæ ex Cathedra dicendi, exponendique, consuetudini, ubi ex tempore utplurimum dicere oportebat; verum & necessitati, qua recens, temporibus videlicet nostris, aut excogitata, aut inventa exprimere debuimus, tribuendum. Et latine licet scribere sedulo studuimus, ad ambiguitates tamen evitandas, item & brevitatis gratia, vocibus nonnullis, tametsi barbaris, quæ in Facultate Medica usu invaluerunt, & nos, parcissime quamvis, usi sumus: ejusmodi sunt *aqua* ex. gr. *chalybeata*, *serum chalybeatum*, hisque similia, ubi præscribendum fuit aliquid per extinctionem chalybis, aut ferri candentis paratum: *jusculum alteratum* pro jusculo medicato &c. Diximus præterea *salia*, non sales, tum quum non de dictis lepidis, acribusque, sive sapientibus *metonymicè*, verum de *sale*, sive natura in fodinis *concreto*, aut arte ex mixtis naturalibus *elicito*, proprie loquutis, id discriminis cum Chymicorum plerisque designare placuit. Singulas tum Veterum, tum Recentiorum, quibus præcipue Medicorum innititur ratiocinium, hypotheses declaravimus, easque insimul in concordiam, admodum licet discordes, primo intuitu, viderentur, pro viribus composuimus, & quasi consociavimus. Humani corporis vitam habentis historiam, ejusque partium longe profusiorem, quam superioribus annis pro Philosophiæ Tyronibus vernaculo sermone fecimus, anatomen exposuimus. At enim vero, earum componentia designantes, quæstiones dubias, quæ in minimis præsertim rebus, inter Sectores hodiernos acriter insurrexerunt, eoquod nec Philosophiæ, nec Medicinæ utiles adhuc fuisse videantur, ne Legentium mentem inutiliter modo maceremus, ex consilio omisimus. Temporis processu, quum lux iis major accesserit, perquam utiles fore speramus; & tum cuique, qui *Hominem hunc nostrum* optime calluerit, quæ nobis hactenus ambigua fuerunt, sibi dilucidare, aliisque declarare non erit difficile. Quicquid & in Nosocomiis, & in Procerum ædibus potissimum, quibus, ratione valetudinis, pene semper præfuimus Clinicen exercentes, non improspere cessisse quotidie observavimus, per historias peculiares concise, & ex ordine digessimus; quibus, præter ægrotantium nomina, & nonnullas alias interdum circumstantias, quæ alienas delitescentes, animi non minus, quam corporis imbecillitates prodere, ac palam evulgare potuissent, nihil immutavimus. Si quid interim grati libris hisce posterioribus nostris, Lector Humanissime, tibi unquam fecimus, id nobis equidem abunde erit; qui, ut & diu vivas, & optime valeas, unice exoptamus.

§§ INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. *Definitur Medicina, & in suas dividitur partes præcipuas.* Pag. 1
CAP. II. *Quid sit corpus humanum vivens, & quomodo ab Anatomicis dividatur.* 5
CAP. III. *De visceribus in genere, eorumque situ, ac connexione.* 8
CAP. IV. *De partibus minoribus corporis humani, quæ veluti componentes, maiores componunt.* 11
CAP. V. *De humoribus præcipuis, sive de partibus fluidis corporis humani.* 13
CAP. VI. *De Musculis in genere.* 16
CAP. VII. *De Glandulis in genere.* 19
CAP. VIII. *De Tegumentis, ac primo de cuticula.* 20
CAP. IX. *De Cute.* 21
CAP. X. *De Pilis, & Unguibus.* 22
CAP. XI. *De Panniculo adiposo, & carnoso.* 23
CAP. XII. *De Ossibus in genere, cartilaginibus, & ligamentis.* 24
CAP. XIII. *De Sceleto, ejusque ossibus componentibus.* 27
CAP. XIV. *De Dentibus.* 28
CAP. XV. *Enumerantur ossa reliqui Trunci.* 30
CAP. XVI. *De Ossibus Artuum, ac primo manus universæ, sive brachiorum.* 31
CAP. XVII. *De Ossibus Pedum, sive Crurum.* 32
CAP. XVIII. *De nonnullis membranis præcipuis interioribus corporis humani, & primo de iis, quæ constituunt parietes abdominis.* 33
CAP. XIX. *De Meningibus, Pleura, Mediastino, Peritonæo, & Diaphragmate.* 35
CAP. XX. *De Corde, & Pericardio.* 37
CAP. XXI. *De Pulsatione cordis, ejusque valvulis.* 41
CAP. XXII. *De Arteriarum, venarumque structura, pulsatione, distributione, atque usu.* 43
CAP. XXIII. *De Thymo.* 45
CAP. XXIV. *De Sanguinis constitutione, ac Motu.* 46
CAP. XXV. *De Vita, & Morte hominis.* 52
CAP. XXVI. *Quid sit sanitas corporis humani vitam habentis.* 54
CAP. XXVII. *Exponuntur elementa ad mentem Galenicorum.* 58
CAP. XXVIII. *Exponuntur ad mentem Chymicorum.* 59
CAP. XXIX. *Exponuntur ad mentem Democriti, & Cartesii.* 60
CAP. XXX. *De Regionibus elementorum ex hypothesi Cartesiana.* 64

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. *De Febribus in genere.* 67
CAP. II. *De Febre Ephemera.* 73
CAP. III. *De Synocho simplici.* 77
CAP. IV. *De Synocho putrida, sive Fermentativa.* 80
CAP. V. *De Causo.* 82
CAP. VI. *De Febribus malignis.* 87
CAP. VII. *De Febre maligna pestilenti.* 94
CAP. VIII. *De Febre Hectica.* 97
CAP. IX. *De Febre intermittente in genere.* 103
CAP. X. *De Quotidiana simplici benigne intermittente.* 105
CAP. XI. *De Tertiana simplici benigne intermittente.* 108
CAP. XII. *De quartana simplici benigne intermittente.* 111
CAP. XIII. *De Febribus continuis intermittentibus, & de intermittentibus compositis.* 118

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIV. *De Morbis, qui proprie respiciunt motum sanguinis progressionis, item & fluiditatis; ac primo de Polypo.* 121
CAP. XV. *De Cordis Palpitatione.* 125
CAP. XVI. *De Animi deliquio, Eclysi, Lipothymia, & Syncope.* 129
CAP. XVII. *De Aneurismate.* 130
CAP. XVIII. *De Varice.* 132

INDEX HISTORIARUM.

Historia I. *De Febre ephemera.* 75
Historia II. *De Synocho simplici.* 78
Historia III. *De Synocho putrida, sive fermentativa.* 81
Historia IV. *De Causo.* 83
Historia V. *De Febre maligna.* 90
Historia VI. *De Febre maligna pestilenti.* 95
Historia VII. *De Febre Hectica.* 100
Historia VIII. *De Quotidiana simplici benigne intermittente.* 107
Historia IX. *De Tertiana simplici benigne intermittente..* 110
Historia X. *De Quartana simplici benigne intermittente.* 112
Historia XI. *De Febre maligna intermittente.* 113
Historia XII. *De Febre intermittente composita.* 119
Historia XIII. *De Polypo cordis.* 125
Historia XIV. *De Cordis palpitatione.* 126
Historia XV. *De Aneurysmate.* 133

INDEX CAPITUM

LIBRI SECUNDI.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. *De Cerebro, ac primo de Meningibus.* Pag. 135
CAP. II. *De Cerebri substantia.* 137
CAP. III. *De Medulla oblongata, & de Nervis.* 140
CAP. IV. *De Apoplexia.* 144
CAP. V. *De Paralysi.* 151
CAP. VI. *De Vertigine.* 158
CAP. VII. *De Convulsione, & spasmo.* 163
CAP. VIII. *De Epilepsia.* 167
CAP. IX. *De Catalepsi.* 172
CAP. X. *De Lethargo, & Caro.* 174
CAP. XI. *De Comate Vigili.* 179
CAP. XII. *De Phrenitide.* 183
CAP. XIII. *De Mania, Cynanthropia, & Lycanthropia.* 187
CAP. XIV. *De Melancholia.* 192
CAP. XV. *De Affectione hypochondriaca.* 193

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. *De Oesophago, & Stomacho.* 197
CAP. II. *De Intestinis.* 200
CAP. III. *De Mesenterio, Ductibus Chyliferis, Ductibus lymphaticis, & de Glandulis meseraicis.* 203
CAP. IV. *De Chyli capsula communi, ductuque thoracico.* 205
CAP. V. *De Anorexia, sive de fame deiecta.* 206
CAP. VI. *De Nausea.* 211
CAP. VII. *De Fame præter naturam adaucta, item & vitiata.* 212
CAP. VIII. *De Vomitu.* 217
CAP. IX. *De Cardialgia.* 220
CAP. X. *De Diarrhœa.* 222
CAP. XI. *De Lienteria.* 227
CAP. XII. *De Cœliaca.* 230
CAP. XIII. *De Dysenteria.* 232

Digitized by Google

CAP. XIV. *De Cholera.* 239
CAP. XV. *De Affectione Iliaca.* 242

SECTIO TERTIA.

CAP. I. *De Pulmonibus.* 252
CAP. II. *De Pleuritide, & Peripneumonia.* 257
CAP. III. *De Hæmoptysi.* 264
CAP. IV. *De Phthisi.* 269
CAP. V. *De Asthmate.* 274
CAP. VI. *De Angina.* 280

SECTIO QUARTA.

CAP. I. *De Hepate, & folliculo fellis.* 285
CAP. II. *De Vena porta.* 288
CAP. III. *De Pancreate.* 290
CAP. IV. *De Omento.* ibid.
CAP. V. *De Liene.* 291
CAP. VI. *De Hepatis inflammatione, sive Hepatitide.* 293
CAP. VII. *De Ictericia, sive de Ictero.* 297
CAP. VIII. *De Liene obstructo, inflammato, & scirrho affecto.* 301

SECTIO QUINTA.

CAP. I. *De Renibus, Ureteribus, & Vesica urinaria.* 304
CAP. II. *De Renibus succenturiatis.* 307
CAP. III. *De Nephritide.* 312
CAP. IV. *De Diabete.* 320

INDEX HISTORIARUM.

SECTIO PRIMA.

Historia I. *De Apoplexia.* 147
Historia II. *De Paralysi.* 154
Historia III. *De Vertigine.* 161
Historia IV. *De Epilepsia.* 169
Historia V. *De Catalepsi.* 173
Historia VI. *De Lethargo.* 176
Historia VII. *De Comate Vigili.* 181
Historia VIII. *De Phrenitide.* 184
Historia IX. *De Mania.* 189

SECTIO SECUNDA.

Historia I. *De Anorexia.* 209
Historia II. *De Pica.* 215
Historia III. *De Cardialgia.* 221
Historia IV. *De Diarrhœa.* 224
Historia V. *De Lienteria.* 228
Historia VI. *De Cœliaca.* 231
Historia VII. *De Dysenteria.* 234
Historia VIII. *De Cholera.* 241
Historia IX. *De Affectione Iliaca.* 244
Historia X. *De Colica.* 246

SECTIO TERTIA.

Historia I. *De Pleuritide.* 259
Historia II. *De Hæmoptysi.* 265
Historia III. *De Phthisi.* 270
Historia IV. *De Asthmate.* 276
Historia V. *De Angina.* 281

SECTIO QUARTA.

Historia I. *De Hepatitide.* 294
Historia II. *De Ictericia.* 299
Historia III. *De Scirrho Lienis.* 302

SECTIO QUINTA.

Historia I. *De Nephritide.* 313
Historia II. *De Diabete.* 320

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
LIBRI TERTII.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. De Oculis. Pag. 323.
CAP. II. De Ophthalmia. 327
CAP. III. De Auribus. 331
CAP. IV. De Naso. 334
CAP. V. De Lingua, ejusque partibus adnexis. 336
CAP. VI. De Glandulis salivalibus, & de Uvula. 338

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. De Testibus. 341
CAP. II. De Pene, & Scroto. 344
CAP. III. De Gonorrhœa. 346
CAP. IV. De Gonorrhœa notha, tum benigna, tum maligna. 348
CAP. V. De organis Mulierum generationi inservientibus. Ac primo de Utero. 353
CAP. VI. De Testibus Mulierum, sive ovariis. 356
CAP. VII. De Mensium defectu, imminutione, & suppressione. 357
CAP. VIII. De Affectione Hysterica. 362
CAP. IX. De Chlorosi. 364
CAP. X. Quicquid de Fœtu observavimus mensibus gestationis posterioribus. 368
CAP. XI. De Vita fœtus in Utero, ac nutritione, necnon etiam de Partu. 370
CAP. XII. De Symptomatibus prægnantis, & Abortu. 375
CAP. XIII. De Conceptu falso, sive Mola. 377
CAP. XIV. De Partu difficili, sive cum labore. 378
CAP. XV. Quid sit Meconium, & quo pacto ejus causa, extra uterum lædi possit recens natus Infans. 386
CAP. XVI. Quo pacto lactis vitio quandoque lædatur Infans. 389
CAP. XVII. De Verminatione. 391
CAP. XVIII. De Dentitione difficili. 394
CAP. XIX. De Rachitide. 401
CAP. XX. De Variolis, & Morbillis. 403

SECTIO TERTIA.

CAP. I. De Hydrope. 412
CAP. II. De Podagra. 419
CAP. III. De Lue Venerea. 422
CAP. IV. De Scorbuto. 427
CAP. V. De Rheumatismo. 436

INDEX HISTORIARUM.

SECTIO SECUNDA.

Historia I. De Gonorrhœa. 349
Historia II. De Chlorosi. 364
Historia III. De Partu difficili. 380
Historia IV. De Verminatione. 393
Historia V. De Epilepsia Infantili. 397
Historia VI. De Rachitide. 402
Historia VII. De Variolis. 406

SECTIO TERTIA.

Historia I. De Hydrope. 414
Historia II. De Lue celtica. 423
Historia III. De Scorbuto. 429
Historia IV. De Rheumatismo. 438
Historia V. De Strangoria. 443

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. *F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore*, nel Libro Intitolato, *Alexandri Pascoli Perusini in Almo Urbis Archigymnasio medicinæ Professoris, De Homine*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Secretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *D. Andrea Poleti Stampatore*, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 3. Maggio 1735.

(Z. Piero Pasqualigo Ref.
(
(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segr.

Adì 4. Maggio 1735.
Registrato nel Magistrato Eccellentiss. sopra la Bestemia.

Gio: Briani Nod.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

De iis, quæ tum secundum, tum præternaturam, ratione præsertim cordis, & sanguinis, exoriuntur, atque exoriri possunt in corpore humano vitam habente.

SECTIO I.

De corpore humano vitam habente in genere, ac præcipue de cordis structura, motu, & facultatibus; necnon etiam de motu sanguinis circulari, ejusque constitutione.

CAPUT I.

Definitur Medicina, & in suas dividitur partes præcipuas.

Definitur Medicina.

Medicina est cognitio quædam rationalis, quæ circa humani corporis vitam habentis affectiones, tum naturales, tum præternaturales, & circa varia earum præsidia versatur: quam per varias conjecturas, partim speculando, partim experiundo, qui eam profiteri aggreditur, processu temporis sibi comparat, ut in homine sanitatem præsentem conservare, amissamque restaurare opportune queat. Cognitio hæc, quæ, aut prosperam, aut hominis adversam valetudinem respicere quodammodo semper debet in rebus plerisque medicis, neque certa, neque evidens quamvis sit, si ratiocinium tamen, æque ac observationem ad eam probe acquirendam sedulo, solerterque pro viribus intendamus, admodum probabilis, perquam utilis, ac pene dicam, necessaria evadit; tum quum maxime facultatem equidem præstantissimam, haud vili, sordidoque quæstu illecti, sed candide, liberaliter, ac ingenue, procul ab omni dolo, ab omni versutia, ab omni calliditate, atque jactantia, procul ab omni suco, ab omni circulatoria ostentatione, ac inanium verborum, nugarumque lenocinio, atque in Reipublicæ commodum, aliorumque potius, quam nostrorum utilitatem, ut homines liberos decet, profiteri, atque exercere velimus.

Quid sint Medicinæ subjectum, medium, & finis.

Ex hac Medicinæ definitione, Medicinæ subjectum patet, *hominem* esse, quatenus dum vivit, & sanus, & morbis affectus esse possit. *Hominem* dicimus; quum in universis fere affectionibus, quibus in Terris frequentissime vexamur, una cum corpore organico defecturo, animus quoque, materiæ expers, haud quaquam defecturus, afficiatur. Quamobrem quisquis humani corporis ægritudinibus, directe quantumvis me-

deri ſtudeat, & animo quoque quodammodo ægrotanti, non directe ſaltem, medeatur, neceſſe eſt. Et quamvis, medendo, humani corporis ſanitatem, proxime utplurimum, in homine reſpiciamus, remote tamen vel ſanitatem, ut ita dicam, mentis incorporeæ, qua corpus humanum vivens informatur, plane reſpicimus. Hinc Medicæ facultatis finis primarius, *Sanitas* eſt totius hominis, ratione videlicet tum mentis, tum corporis, quam conſervare in eo oportet quamdiu viget, reficere autem quamdiu deficit. Medium vero, quod cum Sennerto & alii ſcopum dicere conſueverunt, eſt *Mederi*; medendo quippe, & ſanitatem præſentem conſervat Medicus, atque abſentem inſtaurat. Quod quum ita ſit, nemo non videt, Medicinam, ratione tum objecti, tum finis, tum medii, inter pleraſque facultates longe præcellere. Circa hominem porro omnium animalium præſtantiſſimum verſatur, ſanitatis gratia, qua inter omnia mortalium bona nihil ſane præſtantius, nihil quod magis expetere debeamus.

Triplex Medicinæ claſſis: Empirica, Dogmatica, Methodica.

De Medicinæ primordiis, deque ejus præcipuis cultoribus, quum prolixam de iis, & ad nauſeam pene recoctam habeamus hiſtoriam, non eſt cur plura dicamus. Satis ſuperque ſit impræſentiarum animadvertere, Medicinam in ſui exordio, omnium fere conſenſu, *Empiricam*, inde *Dogmaticam*, mox *Methodicam* extitiſſe. *Empirica* fuit, quum, ſolis obſervationibus innixi, rationibus omnino poſthabitis, artem olim medicam colebant Majores. Fuit *Dogmatica*, quum ad normam nonnullarum regularum communium, quibus indiſcriminatim, & quaſi per analogiſmum affectiones univerſas audacter non minus, quam perperam tractare deinceps cœperunt. Fuit *Methodica*, quum methaphyſice tantum ratiocinantes, ſcientiam effecerunt futilem, ac pene chimericam, cui nil mirum, ſi temporibus noſtris paſſim reclamitent obſervationes. Non injuria igitur in id unum hodie collimare contendunt ii ſaltem, qui præ cæteris in ea facultate ſapiunt, ut experientia, æque ac ratiocinium baſis ſit, & fundamentum doctrinarum univerſarum, quas in Theoria, non minus, quam in Praxi per conjecturas utplurimum eliciunt.

Quinque Medicinæ partes deſcribuntur: Phyſiologia, Pathologia, Semiotica, Hygiene, & Therapeutica.

Quum Medicinæ objectum adequatum, juxta traditam definitionem, *Homo* ſit; hominem prius optime cognoſcere conducit, hominem videlicet in duplici ſtatu, & quum bene ſe habet ratione ſanitatis, in *ſtatu* nimirum *naturali*; & quum prave afficitur, hoc eſt quum ab eo *ſtatu* ſanitatis *naturali* recedit, in *ſtatu* nempe *præternaturali*. Hinc profecto binæ Medicinæ partes præcipuæ: *Phyſiologia*, & *Pathologia*. Phyſiologia verſatur in cognitione Medicinæ objecti, hominis nempe in ſtatu ſanitatis, ideſt in *ſtatu naturali*. Pathologia verſatur in cognitione ejuſdem Medicinæ objecti, ejuſdem nempe hominis, qui tamen a ſtatu naturali recedit, *Ægrotantis* videlicet, ſive morbo affecti, ideſt in *ſtatu præternaturali*. Signa autem, quorum beneficio dignoſcitur, an bene, an male ſe habeat homo, ratione ſanitatis; an affectio, qua detinetur, parvæ ſit indolis, nec ne; an futura ſit diuturna, an brevi ſolvi poſſit, an cum periculo, an citra periculum &c. alteram Medicinæ partem faciunt, quæ *Semiotica* nuncupatur. Quum homo ſanus vivit, perquirendum eſt quicquid in rebus, quibus utitur, univerſis,

sis, præstare debeat, ut incolumis servetur. Perquisitio ista quartam constituit Medicinæ partem, quæ *Hygiene* dicitur. Contra vero morbo quum laboret, ea præsidia excogitare oportet, quibus pristinam sanitatem ei comparemus. Inde Medicinæ oritur pars postrema, in qua de præsidiis agitur in morbis adhibendis, quæ *Therapeutica* iccirco nuncupatur. Ex quo patet, quinque esse Medicinæ partes præcipuas, *Physiologiam*, *Pathologiam*, *Semioticen*, *Hygienen*, ac *Therapeuticen*.

Physiologia maxime tractat Medicinæ objectum in statu naturali; ideoque agit de corpore humano, ejusque partibus. Explicat earum constitutionem, situm, nexum, & usum, necnon etiam facultates, ratione tum organorum, tum animæ rationalis, quæ organa informat &c.

Pathologia agit de iisdem rebus, quas tamen considerat in statu præternaturali; atque adeo morborum, æque ac symptomatum tradit naturam, causas, & differentias, & quicquid contingere valet in eodem homine, quum a statu naturali recedit.

Semiotice exponit signa, quorum ope dignoscere possumus, an ægrotet homo, nec ne; latentesque morbos eruimus; affectionum omnium causas, item & eventum haurire conamur.

Hygiene versatur circa finem Medicinæ quod ad primam partem attinet; ac propterea versatur circa sanitatem hominis conservandam. Quocirca nos docet, qua ratione præsens tuenda est: nimirum quo pacto præcaveri possit, ne in morbos incidamus.

Therapeutice versatur quoque circa eumdem Medicinæ finem, sed quod ad alteram spectat partem; ideoque versatur circa sanitatem hominis amissam reparandam. Quamobrem verba facit de præsidiis universis, quibus morborum causas, eorumque symptomata, aut curare, aut saltem lenire possumus.

Partes præfatæ, quæ in rebus medicis principes videntur, sub se alias partes continent minus principales, & quasi ministras, de quibus omnibus in eo libro, quem Theoriæ Medicæ passim inscribunt, plerique agunt Scriptores, quem propterea in partes quinque dividendum existimant, de morbis singulis probe dignoscendis, explicandis, curandisque in altero deinceps, quem Praxis Medicæ ideo dicunt, verba facturi. Nos autem in hoc tractatu, quem Typis tandem evulgare aggredimur, Theoriam, æque ac Praxin Medicam ad Veterum, item & Recentiorum mentem promiscue tradendam suscepimus; ut si quis brevitatis amans, uno eodemque tempore utramque Medicinæ partem, vastissimam licet, condiscere velit, id nova prorsus, clara, facilique methodo consequi possit. Auctoris intentio.

In libros tres, maximam sane, nisi universam Medicinæ partem, quam hic expositurí sumus, digerere studentes, in primo de corpore humano in genere, ac præsertim de corde, de motu sanguinis, de sanguinis constitutione, & de affectionibus, quæ cor, una & sanguinem primario afficiunt, sermonem habebimus. In secundo, de reliquis visceribus ejusdem corporis humani, de cerebro videlicet, de œsophago, de stomacho, atque intestinis, de mesenterio, de chylo, alimentorumque digestione, de pulmonibus, deque respiratione, de hepate, liene, ac pancreate, Totius operis divisio.

de renibus, ureteribus, ac vesica urinaria, necnon etiam de urina, æque ac de ægritudinibus, quæ organa præfata, eorumque facultates afficere solent, acturi sumus. In tertio, organa sensuum, æque ac generationi inservientia, sensationum doctrinas, conceptionis, ac generationis, gestationis, puerperii &c. brevi exponentes, de morbis universis, qui in organis, æque ac functionibus præfatis versantur, item & de lue venerea, de morbis Infantum, æque ac Puerorum, dicere est animus. Age itaque macte animo, & si quando, ignarus licet omnino, rebus medicis erudiri contendas, nostras hasce lucubrationes plane contemnere neutiquam deberes; quas pluribus tibi de causis gratas fore non diffidimus; cui præterea, ratione rerum clinice agendarum, per historias nonnullas, quas ægritudines humani corporis describentes, ad calcem singularum exaravimus, quicquid quadraginta annorum fere spatio, & in Urbe, & extra, & in publicis Nosocomiis, & in domibus Magnatum privatis, facultatem Medicam non infeliciter, Deo semper adjuvante, exercentes, observavimus, æquo, simplicique animo proferre non dedignabimur.

ANIMADVERSIONES PROŒMIALES.

Variæ Medicinæ definitiones.

MEdicinam Majores describentes, varias de ea afferre consueverunt definitiones. *Medicina est ars, quæ in hominum corporibus versatur, ac sanitatem tuetur.* Ex Hippocrate libello de arte. *Medicina ars, est additio, & detractio. Additio quidem eorum, quæ deficiunt. Detractio vero eorum, quæ exuperant*, num. 3. de flat. *Medicina scientia est salubrium, insalubrium, & neutrorum:* Ex Herophilo apud Galenum libro de Medicinæ definitione. *Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur ex parte, qua sanatur, vel ab ea removetur, ut habita sanitas conservetur, & amissa recuperetur:* Ex Avicenna cap. 1. Fen. doctr. 1. lib. 1. de defin. Medic. *Medicina est ars corporis humani vitia per adjectionem emendandi:* Ex Heurnio Institut. Medic. libro primo de element. Nos autem definitiones hasce haud refellimus, eas dumtaxat potius omittimus, quibus nostram hic ideo præferre arrisit, quia longe satius per eam facultatis Medicæ naturam, & conditionem declaratum iri, visum nobis sit, affirmantibus cognitionem esse rationalem, qua Medicus quisque, dummodo rationalis sit, per conjecturas processu temporis, partim speculando, partim experiundo, sibi comparare debet. Num autem ars vere, num scientia sit Medicina, quum id rei nostræ inane prorsus videatur, aliis dirimendum relinquimus. Facultas utique perquam difficilis, valde fallax, atque incerta, quam siquis vel leviter assequi velit, ad eam probe acquirendam, totum hominem adhibeat necesse est. *Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile, neque solum seipsum præstare oportet opportuna facientem; verum & ægrum, & assidentes, & exteriora.* Id porro perquam eleganter, ac pene divine aphorismorum principio maximus proclamat Hippocrates. Enim vero, si quis aut magnitudinem totius rei, iisdem propemodum utor verbis, quibus amplitudinem rei

rei rusticæ declarare consuevit Lucius Junius Moderatus Columella. Enim vero, siquis aut magnitudinem totius rei Medicæ quasi quamdam vastitatem corporis, aut partium ejus velut singulorum membrorum numerum recenseat, non injuria vereri debet, ne supremus ante se dies occupet, quam universam disciplinam rerum Medicarum possit cognoscere. Nam qui se in hac facultate perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum Mundi non ignarus, ut exploratum habeat quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet, syderum ortus, & occasus memoria repetat, ne, quod in morbis præsertim chronicis curandis, extenuandisque persæpe contingit, ne, inquam, imbribus, ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. Cœli, & Anni præsentis mores intueatur; neque enim semper eumdem velut ex præscripto habitum gerunt, nec omnibus annis eodem vultu venit æstas, aut hyems, nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus. Quæ prænoscere sine lumine animi, & sine exquisitissimis disciplinis, non quemquam posse crediderim.

CAPUT II.

Quid sit corpus humanum vivens, & quomodo ab Anatomicis dividatur.

Auctoris intentio, ratione descriptionis corporis humani.

INter animalia ratione præditus homo, præter corpus organicum perituram, quod oculis obversatur, & mentem incorpoream non perituram, quam sensibus attingere haud possumus, habeat necesse est, quæ tamquam forma substantialis organis intime insusa afficit organa, & in organis, sive per organa quodammodo afficitur, ut in Metaphysicis nostris fuse olim exposuimus; in quibus de hac mente prorsus incorporea, ac pene divina, verba fecimus, essentiam illius, item & facultates pervestigavimus. Reliquum est igitur, ut brevem, non minus, quam perfectam humani corporis historiam imposterum exaremus, quam trifariam per sectiones olim distinguere placuit. In prima partes universas, & singulas in genere, tum continentes, tum contentas, tum fluidas, tum solidas, humani corporis exponentes. In secunda de visceribus singulis agentes. In tertia de organis sensuum, & generationis sexus utriusque verba demum facturi. Ita sane in Tractatu, quem de corpore humano superioribus annis evulgavimus, olim fecimus; atque id plane deinceps in tractatu, quem modo præ manibus habemus, quasi facturi sumus; ea tamen lege, quam in capite præcedenti non ita pridem proposuimus: nimirum, ut organa singula corporis humani viventis prius descripta, morborum series, atque historia, qui ea afficere solent, subinde insequatur.

Definitio corporis humani vitam habentis.

Definiendum, sive per descriptionem potius quamdam genericam, ac compendiosam describendum videtur corpus humanum, *quantitatem quamdam esse materiæ miro opificio ex limo Terræ in rerum exordio*, uti Genesis docet, *in gratiam Animæ potissimum rationalis, qua, homine vivente, informatur, ab Opifice ter* Optimo Maximo *fabrefactam, quæ automati propemodum adinstar, per organa ab humoribus, item & ab objectis varie concitata, varie agit, ac varie afficitur, tum ut vivat, tum ut nutriatur, atque intrinsece*

sibi suscipiat incrementum, tum ut conservetur, tum ut species per eam propagetur.

Quid proprie sint ventres, & artus penes Anatomicos, ratione corporis humani.

Ventres habet, atque artus. Ventres, qui proprie dicuntur ab Anatomicis cavitates, sive capacitates, tres enumerantur. *Caput*, quod ventrem in corpore humano constituit supernum. *Thorax*, qui ventrem efficit medium. *Abdomen*, quod ventrem imum format. A situ ventres præfati distingui potissimum, ac denominari solent. Artus autem dicuntur *brachia*, & *crura*, quæ ex cavis præfatis quodammodo proficiscuntur. Brachia nimirum superne utrinque a summo thorace. Crura inferne utrinque ab imo ventre.

Quid sit facies, ejusque divisio.

Trifariam dividitur caput, in *Calvariam*, *Faciem*, & *Collum*. Calvaria dicitur pars capitis superna, ex qua in corpore humano luxuriare solet cæsaries. Distribuitur calvaria in *Sinciput*, *Occiput*, *Verticem*, ac *Tempora*. Sinciput vocatur pars calvariæ anterior, nonnihil acuminata. Occiput posterior sane latior. Superior Vertex. Partes autem calvariæ laterales nuncupantur Tempora. Facies ab extremo sincipite anteriori explicatur ad reliquas partes capitis universas anteriores. Complectitur iccirco *frontem*, *oculos*, *nasum*, *genas*, *aures*, *os*, & *mentum*. Pars colli anterior vulgo *gula* nuncupatur. Posterior proprie *cervix*. Sub gulæ finem, proxime videlicet supra Thoracem, scrobiculum quoddam exterius deprehenditur, quod *Jugulum* nuncupatur.

Thoracis divisio exterior.

Thoracis pars anterior dicitur *Pectus*. Posterior *Dorsus*. Pectoris fossula ea exterior, quæ sese perhibet aspectui in imo pectore, versus principium ventris imi, vocatur *Cordis Scrobiculum*, a corde, cujus extremitas propemodum in eam desinit regionem. Sinus bini laterales, exteriores quoque, qui ex utroque latere in summo Thorace, proxime sub brachiis delitescunt, vocantur *Axillæ*, a quibus in pubertate, maribus præsertim, germinant pili.

Abdominis divisio exterior.

Ventris imi pars anterior trifariam dividitur; in regionem *supernam* costis finitimam, in *mediam*, atque *imam*. Ad regionem supernam spectant *duo hypochondria*, unum scilicet utrinque, quæ costis ex utroque latere proxime succedunt. Spectat quoque *Epigastrium*: regio ea videlicet abdominis anterioris, quæ ab hypochondriis explicatur ad regionem usque mediam, quæ dicitur *Umbilicalis*. Partes extremæ regionis umbilicalis laterales; quæ ad Ilia producuntur, *regiones* vocantur *Iliacæ*. Regio abdominis anterioris ima complectitur *Hypogastrium*, *Regionem pubis*, *Inguina*, *Pudenda* sexus utriusque, necnon & *Perinæum*. Hypogastrium a confinio regionis umbilicalis extenditur ad regionem usque pubis, quæ nomen suum sortita videtur penes nonnullos a pubertate, quamvis pubertas potius a pube denominari videatur; siquidem ex ea regione pubertatis indicia, pili nimirum, luxuriare incipiunt. Confinia regionis istius inter coxas interiores, & pudenda appellantur Inguina. Interstitium illud, sive intervallum, quod ano, & vulva in Fœminis; ano, membroque virili in Maribus proxime sub scroto intercipitur, penes Anatomicos universos, perinæi nomen habet, Abdominis pars posterior superne *lumbos* facit, sive regiones lumbares, dexteram nempe, atque sinistram. Inferne *nates*, sive *clunes*.

Brachii divisio.

Brachium distribuitur in *Humerum*,

rum, *Cubitum*, & *Manum extremam*. Humerus dicitur brachii pars superior, quæ a summo thorace proxime producitur ad nodum usque brachii intermedium, quo ei injungitur cubitus. Cubitus ab eodem nodo ad alterum usque tendit, ad eum nimirum nodum, quo ei injungitur manus extrema. Manus extrema distinguitur in *Carpum*, *Metacarpum*; & *Phalangem digitorum*. Carpus nuncupatur principium manus extremæ, quod digitis comprehendimus, ut pulsum in febre potissimum exploremus. Carpum mox insequitur Metacarpus, qui a carpo explicatur undequaque ad prima digitorum usque confinia. Pars posterior metacarpi dicitur *Dorsus*. Anterior *Vola*. Metacarpo succedunt digiti, qui phalangem constituunt. Primus dicitur *Pollex*. Alter *Index*. Tertius *Medius*, sive *Obscœnus*. *Annularis* quartus. *Auricularis*, sive *Minimus* quintus. Digiti singuli tres habent nodos; quapropter digitorum processus inter nodos intercepti, vocantur *Internodia*.

Cruris divisio. Crus, non secus ac brachium distribuitur in *Femur*, *Tibiam*, & *Pedem extremum*. Femur ab imo ventre producitur usque ad genu. A genu ad partem usque pedis posteriorem extenditur tibia, quæ proprie *Cruris* nomine sonat. Cruris pars posterior carnosa appellatur *Sura*. Cruri succedit pes extremus, qui distinguitur in *Tarsum*, *Metatarsum*, & *Phalangem digitorum*. Tarsus est portio illa, sive processus pedis, qui & *Collum* pedis vulgo dicitur, interceptus infra malleolos, inter tibiam extremam, & partem reliquam pedis superiorem ad calcaneum usque apud nonnullos. Pes reliquus ad prima digitorum usque confinia nuncupatur *Metatarsus*. Metatarsi pars superior gibba, sive convexa *Dorsus* vocatur. Inferior cava dicitur *Planta*. Digiti singuli ejusdem pedis triplici componuntur internodio, pollice excepto, qui duplex tantum habet internodium. Ad tibiæ principium, posterius tamen inter tibiam summam, & femur imum, e regione genu, occurrit scrobs exterior admodum visibilis, qui ab Anatomicis passim *Poples* nuncupatur. Vid Tab. I. Fig. II. & III.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Definitio corporis humani luculentius explicatur.

Corpus humanum vivens, utpote organicum, vitam suam organicam, ut postmodum dicendum, ex motu quodam elicit naturali, qui ab organis provenit, quibus compingitur. Organa moveri nequeunt, nisi aut fluidorum ope, quæ per ea fluunt, refluuntque, aut per objecta, sive interiora, sive exteriora, quibus concitantur. Motus organorum naturales, qui proxime proveniunt a fluidis consuetis idoneis, quæ per eorum meatus dirimuntur, dicuntur *activi*, in quibus nimirum corpus humanum vivens agere quodammodo videtur. Motus organorum naturales, qui in organis ejusdem corporis humani viventis concitantur ab objectis, sive exterioribus, sive interioribus, dicuntur *passivi*, in quibus organa revera patiuntur. Motus universi, ex. grat. naturales, quorum ope vita corporis humani, tum quum vivit, conservatur, ejusque partes componentes nutriuntur, & intus sibi comparant incrementum, connumerari solent plerique inter motus naturales primi generis. Motus universi naturales, qui per objecta

sensibilia in organis sensuum, tum exterioribus, tum interioribus, ut sensus in homine fiant, excitantur, inter motus corporis humani naturales secundi generis connumerari debent. Præter hosce, & alii in homine motus exoriuntur, qui quum pro lubitu voluntatis producantur, voluntarii, sive liberi, sive spontanei dicendi sunt, in quibus profecto quoque agimus; siquidem ad nutum mentis humanæ, quæ corporis organa informat, spiritus animales a cerebro per nervos in fibras influunt musculorum motrices ad excitandos motus hujusmodi. Hoc posito luculentius patet, quare corpus humanum vivens describendo, quantitatem quamdam esse dicimus materiæ miro opificio ab Opifice ter Optimo Maximo fabrefactam, quæ automati propemodum adinstar per organa, tum ab humoribus, tum ab objectis varie concitata, varie agit, ac varie afficitur, tum ut vivat, tum ut nutriatur, atque intrinsece sibi suscipiat incrementum, tum ut conservetur, tum ut species per eam propagetur. Dicimus præterea *automati propemodum adinstar*, quoniam quemadmodum automati partes componentes moventur extrinsecus beneficio elaterii, sive alterius cujusque impellentis intus in machina: semoventis, sive versatilis penetralibus reconditi; ita quoque spiritus animales, sive succus nerveus, sive quicquid aliud, per fibras musculorum motrices, humani corporis viventis organa impellit, absconditum prorsus est, neque sensus attingere valent.

CAPUT III.

De Visceribus in genere, eorumque situ, ac connexione.

Describuntur viscera ventris superioris, & precipue cerebrum.

UBI ventres in corpore humano secti patefiant, sese perhibent aspectui partes quædam interiores, sive potius organa quædam præcipua, quæ *Viscera* nuncupantur. Hæc ordine ut prosequamur, a capite, veluti a corporis humani principio, sive a cœlo quodam hominis editissimo exordiri conducit. Capite secto superne ex transverso ab occipite ad sinciput, resectaque parte penitus ablata, substantiam quamdam offendimus cineraceam, mollem, membranis obvolutam, quæ universum capitis implet cavum, *Cerebrum* nuncupatam, Membranosum illud involucrum, quo cerebri vestitur substantia, duplex est. Hinc duplicem constituit meningem, de quo suo loco. Pars cerebri anterior, quam excipit sinciput, quæque sane maxima est, proprie dicitur *Cerebrum*. Huic posterius adhæret altera quædam cerebri pars longe minor, quæ propterea *Cerebellum* nuncupatur. Cerebellum adamussim aptatur, in occipite, parti occipitis internæ, cui insidet. Tum ex cerebro, tum ex cerebello egreditur, quatuor veluti distracta radicibus, binis scilicet ex utroque, altera cerebri portio longissima, sive processus potius quidam cerebri longissimus, qui per foramen occipitis magnum vertebrarum ingreditur fistulam, sese producens ab occipite ad os usque sacrum. Quamobrem dicitur *Cerebrum oblongatum* a nonnullis, ab aliis *Medulla spinalis*, ab aliis *Medulla oblongata*. In cerebro, ut suo loco fusius dicendum,

dum, glandularum cerebri corticalium beneficio, secernuntur spiritus animales, qui a cerebro per nervos ad reliquas partes omnes corporis humani vitam habentes, distribuuntur.

Describuntur viscera ventris medii, & præcipue Pulmones.

Capite introspecto, & thoracem introspicere oportet, quem propterea in parte antica secare convenit, ut cor, æque ac pulmones commode detegantur. Pulmonum substantia mollis, ex subrubro pallescens, ac ubique spongiosa, universam propemodum occupat thoracis capacitatem. Secundum longitudinem finditur in duplicem sectionem lateralem. Hinc figuram bifidam ungulæ bubulinæ persimilem pulmones habent. Faucibus suspenduntur beneficio fistulæ cujusdam peculiaris, quæ *Trachea* nuncupatur, sive *Aspera Arteria*. A faucibus trachea ad pulmones usque producitur per faciem gulæ anteriorem. Tracheæ principium, sive potius orificium, vel caput extuberans, dicitur *Larynx*. Per tracheam respirando aerem vicissim adducimus in pulmones, atque ex pulmonibus educimus. Inter utramque sectionem substantiæ pneumonicæ delitescit *Cor*, quod revera situm est in medio thorace coni adinstar, cujus basis superior est, ac propterea mucro inferior. Cordis basis partibus proximis superius suspenditur, *mediastino* præsertim intercedente.

Describitur Mediastinum.

Mediastinum dicitur membrana crassa, validaque, carnosa, quæ recta intercedit, sive ut melius dicam, quæ recta explicatur inter utramque pulmonum sectionem a summo ad imum thoracem. Iccirco thoracis cavum æque findit in sinus laterales. Producitur mediastinum a *Pleura* duplicata.

Describitur Pleura.

Pleura vocatur membrana quædam interior carnosa, mollior, ac tenujor, quæ per parietes thoracis interiores undequaque explicatur. Hæc duplicatur in regione thoracis posteriori, & duplicata mediastinum emittit, quod cor in progressu comprehendit. Inde prosequitur, desinitque in regionem thoracis ex adverso oppositam anteriorem. Quapropter, uti monuimus, nihil aliud est mediastinum, quam processus duplicatus ejusdem pleuræ.

Describitur Diaphragma.

Thoracis cavum dividitur a cavo ventris imi, *Diaphragmate* intercedente. Diaphragma est alia membrana, sive musculus membranaceus, partim carnosa, partim tendinosa, longe crassior, atque validior, quæ transversum apponitur, veluti fornix ad thoracis confinia, inter thoracem, & ventrem imum.

Describuntur viscera ventris imi, & præcipue peritonæum.

Imo ventre anterius secto, primo intuitu *Peritonæum* occurrit, membrana nempe tenuissima, albicans, sive potius livescens, quæ veluti sacculus sub diaphragmate includit viscera omnia imi ventris. Quinimmo sese hinc inde intus duplicans, nonnulla vel seorsim vestit. Inferne emittit processus binos fistulosos, qui ad inguina utrinque perforant parietes abdominis, & sub membranis exterioribus, sub tegumentis nimirum, producuntur ad scrotum, ad marsupium illud videlicet, quod ad penis radicem laxe propendet. In scroto ex utroque latere testes vestiunt, sive quodammodo laxe obvolvunt. Secto peritonæo, in regione anteriori abdominis sese proferunt *Ventriculus*, *Omentum*, *Intestina*, *Mesenterium*, *Hepar*, *Lien*, *Pancreas*, *Renes*, *Ureteres*, *Vesica urinaria*, *generationis Organa*. Omnia quip-

quippe tum in Maribus, tum in Fœminis, in cavo abdominis infra diaphragma, peritonæo conduntur.

Describitur Ventriculus.

Ventriculus, sive stomachus, tamquam utriculus sese ostendit in cavo anteriori, ac superno abdominis, e regione epigastrii, in hypochondrio tamen sinistro, proxime sub diaphragmate. Duplici pervius est orificio. Unum occurrit superne sinistrorsum. Alterum inferne dextrorsum. Illud nomine caret; a nonnullis quamvis dicatur *Stomachus*. Hoc dicitur *Pylorus*, sive *Janitor*. Orificio superiori aptatur Œsophagus, ductus scilicet admodum insignis, membranaceus, qui a faucibus per gulam proxime sub trachea adhærens, descendit ad ventriculum, perforato diaphragmate. Principium œsophagi, sive orificium œsophagi superius ad fauces vocatur *Pharynx*. Ab inferiori ventriculi orificio, hoc est a pyloro, egrediuntur intestina, quæ per ambitus varios, variosque circuitus, æque ac anfractus ad anum usque perducuntur. Alimenta, quibus vescimur, solida, non secus ac fluida, ab ore per œsophagum immittuntur in ventriculi cavum, a quo per pylorum delabuntur ad intestina, ut suo loco fuse dicendum.

Describitur Hepar.

Hepar occurrit quoque in eodem cavo anteriori abdominis, proxime sub diaphragmate, ad hypochondrium dexterum. Quapropter adjacet lateri dextero ejusdem ventriculi suspensum diaphragmati, partibusque proximis per ligamenta peculiaria. Hepatis moles maxima deprehenditur. Color ejus rubicundissimus. Substantia distribuitur in tres, quatuorve lobos minores.

Describitur Lien.

E regione hepatis in latere opposito obversatur lien, sive splen, in hypochondrio videlicet sinistro versus regionem anteriorem abdominis, ubi nonnihil delitescit sub diaphragmate inter faciem ventriculi sinistram, & costas infernas. Splenis moles oblonga est. Colore utplurimum saturatur atro. Adhærescit partibus finitimis vasorum, ac ligamentorum ope.

Describitur Omentum.

Ex ventriculi fundo per faciem abdominis anteriorem sub peritonæo explicatur ad regionem usque umbilicalem, & quandoque usque ad inguina, membrana quædam lata, plurimum adiposa, quæ a figura sua dicitur *Rete*, ab aliis *Zirbum*, *Omentum*, sive *Epiploon*.

Describitur Mesenterium.

Hac ablata membrana, deteguntur Intestina, quæ universum fere implent cavum imi ventris. Hæc ductu obliquo, eoque inflexo a pyloro ad podicem descendunt. Intestina partibus proximis suspenduntur in parte postica abdominis, proxime sub diaphragmate, beneficio membranæ cujusdam adiposæ, quæ intestinorum ambitum undequaque circumligat, *Mesenterium* nuncupata.

Describitur Pancreas.

Amotis intestinis, æque ac mesenterio, sese perhibet aspectui facies imi ventris posterior. In hac sese objiciunt Pancreas, Renes, Ureteres, & Vesica urinaria. Pancreas dicitur viscus quoddam tenue, subalbescens, oblongum linguæ adinstar bubulæ, quod occurrit sub fundo ventriculi, in facie tamen postica ipsius ventriculi; ubi transversum producitur versus orificium ventriculi, inferius, idest versus pylorum, sive potius versus intestinorum principium, cui adnectitur.

Describuntur Renes, atque Ureteres.

Siti sunt renes paulo inferius. Numero bini sunt: unus scilicet utrinque ad regiones lumbares, quibus inhærescunt. Ex renibus singulis ad vesicam urinariam descendunt varie recurvati ductus qui-

quidam minimi, qui dicuntur Ureteres.

Describitur Vesica urinaria.

Vesica urinaria, quæ æmulari solet sacculum membranaceum, sita est in hypogastrio ad faciem hypogastrii anteriorem, intestino extremo inferiori posterius incumbens. Figuram habet pyriformem, a lato quippe fundo, quod superius est, leniter in collum arctatur, sive in cervicem; quæ producitur deorsum per medium penem in Maribus, in Fœminis ad partem vulvæ supernam. In utrisque meatum conficit urinarium, urinæ egerendæ potissimum inservientem; quæ in renibus, ut suo loco dicendum, secedit a sanguine, inde per ureteres in vesicam defluit urinariam, ubi colligitur, donec vesica urinaria irritata, contracta, æque ac compressa, eam foras per meatum urinarium egerat. Inter vesicam urinariam, & intestinum rectum in fœminis intercipitur uterus cum partibus adnexis, in maribus non procul a collo vesicæ, posterius tamen utrinque occurrunt vesiculæ seminales, de quibus universis fuse suo loco quoque dicendum.

Perpauca hæc primum, & quasi in operis vestibulo, ratione situs, nexusque organorum innuere placuit, ut quicquid de Anatome corporis humani paucis deinceps proferre est animus, luculentius quisque percipere queat.

CAPUT IV.

De Partibus minoribus corporis humani, quæ, veluti componentes, majores componunt.

Describitur natura partium componentium organa corporis humani viventis.

SI quis humani corporis vitam habentis organa, tum interiora, tum exteriora accurate inquirat, duplicis generis partes primo aspectu attinget: solidas nimirum, & fluidas. Solidæ sunt *ossa*, *caro*, *pinguedo*, & reliqua, quæ in corpore humano consistunt, sibi invicem nectuntur, atque exteriori quadam figura circumscribuntur: idest, ut scholastice loquar, propriis detinentur terminis. Fluidum contra dicimus, sive humorem, sive liquidum, quicquid fusum, aut per tubulos, sive canaliculos, vel meatus ejusdem corporis humani fluit, aut sinibus colligitur, idest *sanguinem*, *serum*, *lympham*, *chylum*, *succum nerveum*, *spiritum animalem*, reliquosque, si qui adsint humores; quibus organa, eorumque solida instrumenta irrigantur; quæ propterea vivunt, aguntque, sibique alimoniam, atque incrementum suscipiunt.

Quid sint partes solidæ.

Partes solidæ distribuuntur in duras, ac molles. Duræ ex. gr. sunt ossa, quæ si vel contrectas, vel palpas, minime cedunt, vel cedendo, potius infringuntur. Caro autem, pinguedo, & reliqua, molles dicuntur; eoquod palpanti non ita firmiter reluctentur.

Describuntur aliæ partes minores, quæ partes majores solidas constituunt.

Quævis pars; sive mollis, sive dura, aut fibris intexitur, aut vasis, aut membranis. Quinimmo intexitur utplurimum una & fibris, & vasis, & membranis. At vasa ipsa, ipsæque membranæ quum nihil aliud sint revera, quam fibrarum plexus, concludendum videtur, partes universas corporis humani, si modo solidæ sint, hoc est, si duræ, si molles, fibris dumtaxat implicari.

Describuntur varia fibrarum genera.

Fibræ dicuntur *stamina quædam minima*, *filorum adinstar producta*, *quæ*, *ceu diximus*, *reliquas omnes corporis humani partes solidas compingunt*. In carne sunt iccirco rubicundæ ob sanguinem, quo irrigari solent, dicunturque *carnosæ*. In ossibus, eoquod sanguine careant,

reant, candorem præseferunt, atque adeo nuncupantur *ossium fibræ albicantes*. In tendinibus, nervis, cartilaginibus, quæ utpote ossium, & carnis substantiam, ut ita dicam, participent, lividas sese objiciunt; ac propterea *livescentes*, *sive potius nervosæ*, *tendinosæ*, *cartilagineæ* vocantur.

Describuntur varia vasorum genera.

Vasorum nomine designamus *corpora quædam oblonga utplurimum*, *intus cava*, *veluti totidem canaliculi*, *qua humores*, *tamquam per meatus suos peculiares de regione in regionem deferuntur*. Hujusmodi sunt *arteriæ*, *venæ*, *nervi*, *ductus lymphatici*, *ductus chyliferi*, & reliqui, per quos humores humani corporis viventis fluunt, & refluunt.

Quid sint arteriæ, venæ, ductus Lymphatici, ac chyliferi.

Arteriæ dicuntur *vasa sanguifera*, *qua sanguis a corde movetur ad reliquas corporis partes*, *tamquam a centro quodam corporis humani ad circumferentiam*. Nuncupantur *venæ alia quædam vasa sanguifera*, *qua sanguis a reliquis corporis partibus refluit ad cor*, *tamquam a circumferentia ad centrum eiusdem corporis humani*. Vocantur *nervi ductus quidam fibrosi*, *sive potius medullares*, *per quos spiritus animales*, *sive succus nerveus*, *sive ros quidam sanguinis perquamtenuis*, *quique sub aspectum non cadit*, *a cerebro effunditur ad reliquas partes corporis humani*, *sive sensitivas*, *sive mobiles*, *quibus aut sensum*, *aut motum*, *aut utrumque impertiri valeat*. *Ductus lymphatici*, *ductus chyliferi*, *sive venæ lacteæ dicuntur ductus quidam perexiles*, *pellucidi*, *per quos fluit vel humor tenuissimus*, *& limpidissimus*, *aquæ adinstar defæcatissimæ*, *qui propterea dicitur lympha*; *vel fluit humor crassusculus*, *albicans veluti lac*, *qui* penes Anatomicos *chyli* nomine sonat.

Quid sint membranæ.

Nihil aliud sunt *membranæ*, *quam corpora quædam lata*, *& mollia*, *quæ reliquas humani corporis partes solidas vestiunt*, *easque firmant*, *& nectunt*, *vel abinvicem distinguunt*, *aut vasorum parietes*, *& ventres constituunt*, *aut in valvulas aptantur*. Membranæ modo sese perhibent carnosas, idest rubore suffusas, modo tendinosas, sive nervosas, idest livescentes, necnon & quandoque albicantes, prout sunt fibræ, quibus contexuntur.

Quid sint valvulæ.

Valvulæ dicuntur *membranulæ quædam ita ferme instructæ*, *ac positæ ad vasorum orificia*, *sive meatus*, *ut retrocedentibus humoribus per vasa reluctentur*. Quocirca ita consurgunt ad orificia arteriarum, ut deprimantur, & viam sternant sanguini, qui a corde fluit ad reliquas partes corporis humani. Eriguntur contra, obicesque nectunt, quum idem sanguis a reliquis partibus corporis humani retrocedere enitatur versus cor; eodem propemodum modo, quo respectu aeris per syringam immissi in cavum follis agit valvula illa, quæ apponitur sollis orificio, ne aer prius immissus, foras inde emittatur. Valvulæ dicuntur a mole, necnon etiam a munere, eoquod veluti parvæ valvæ meatus, & orificia vasorum claudant.

Quid sint musculi.

Membranæ, fibræ, & vasa quibusdam in locis ita mutuo conveniunt, & immittuntur in corpore humano, ut *musculos* hinc inde, atque *glandulas* efficiant. *Musculi* dicuntur *partes quædam molles*, *carnosæ corporis humani*, *variæ molis*, *& figuræ*, *ita per organa*, *atque in artubus eiusdem corporis humani instructæ*, *ut per ipsas*, *veluti per instrumenta peculiaria moveantur*.

Quid sint glandulæ.

Glandulæ nuncupantur *partes quædam carnosæ*, *longe tamen molliores*, *ma-*

magisque spongiosæ, quam musculi, variæ quoque molis, variæque figuræ ita sparsim sitæ, atque instructæ per corporis ambitum, tum intus, tum foris, ut per ipsas a sanguine prætereunte varii excernantur humores, sive supervacui, sive nutriendo idonei.

Quid sint partes similares, dissimilares, Organicæ, & inorganicæ.

Partes præterea corporis humani aliæ vocantur ab Anatomicis *similares*, *dissimilares* aliæ. Aliæ *organicæ*, sive *instrumentales*, aliæ *inorganicæ*. Similares sunt, quæ partibus ejusdem generis constare videntur, uti ossa. Non ita musculi ex. gr., qui, quum partibus diversis congregentur, fibris nimirum, vasis, & membranis, dissimilares dici debent. Organicæ nuncupantur, quæ necessario requiruntur, ut in corpore humano vivente munus quoddam peculiare exequantur, non secus ac oculorum gemma, ratione visionis peragendæ. Ciliorum autem pili, quibus ablatis, visio adhuc elici queit, partes inorganicæ nuncupari solent.

Quid sint penes Veteres partes spermaticæ, & sanguineæ.

Veteres insuper distinguere consueverunt partes solidas corporis humani in *spermaticas*, & *sanguineas*, sibi effingentes ossa, cartilagines, ligamenta, & reliquas, si quæ adsint in corpore humano, partes, quæ rubore non suffunduntur, excitari post conceptionem fœtus in utero ex solo semine liquato prius, & mox concreto, ut incrementum exinde consequantur ope succi nutrititii chylosi, ad differentiam carnis, quæ rubicunda est, & penes eos, ex puro sanguine concrescit, & alitur.

CAPUT V.

De Humoribus præcipuis, sive de partibus fluidis corporis humani.

Quid sint in sanguine proprie cruor, & serum.

UTut carnem humanam adhuc viventem, vel leviter in organis incidas, sive foris, sive intus, humorem illico impense rubicundum, atque effervescentem prosilire observabis, qui *Sanguis* ab omnibus dicitur, *Cruor* a nonnullis, a Græcis *Hæma*. Valde tenuis, fluidus, & calidus ex corporibus sanis erumpit. Mox tamen sensim frigefit, atque admodum concrescit extra vasa sua peculiaria, ex quibus in corpore humano elicitur. At uno, eodemque tempore, quo paulatim densatur pars sanguinis rubicunda, veluti per fibras sibi mutuo appositas, quæ propterea *fibrosa* vulgo dicitur, secernitur ab eodem sanguine concrescente alius humor tenuissimus, ac desæcatus, aquæ adinstar crassiusculæ, qui dicitur *Serum*. Ex quo non temere concludendum videtur, sanguinem in corpore humano partem esse fluidam heterogeneam, idest dissimilarem; quæ fieri minime potest, quò minus saltem congregetur duobus humoribus præcipuis non ejusdem generis: humore videlicet rubicundo, crassiusculo, quem nos deinceps proprie vocabimus *Cruorem* sanguinis, de quo fuse postmodum; atque humore quodam pellucido, ac tenui, quem imposterum appellabimus *Serum* ejusdem sanguinis. A sero præsertim fluorem sibi comparat massa sanguinis in corpore humano. A cruore consistentiam, & ruborem.

Quid proprie sit lympha.

Serum, quod & *Horros* nuncupatur a Græcis, nihil aliud significat, nisi sive sanguinis, sive lactis

ctis partem aquosam, quam *pituitosam*, uti dicendum, vocant Galenici, *phlegmaticam* Chymici. Pars ista sanguinis reliquam sanguinis massam diluere solet, eamque magis fluidam, uti innuimus, facere. Iccirco *lympha* quoque a nonnullis appellatur, lympha quamvis passim usurpetur pro parte tenuissima, & defæcatissima ipsius seri, quæ secernitur a sanguine, sive potius a sero, penes nonnullos per glandulas minimas peculiares, penes alios per minima vasorum spiracula. Neque desunt inter Recentiores, qui sibi suadeant, lympham secedere ab eodem sanguine in corpore humano per canaliculos quosdam lymphaticos, qui eam aut a vasis sanguiferis, aut a glandulis aliorsum devehunt.

Quare serum, & lympha ad ignem admota concrescant.

Ex sero sanguinis educunt Chymici plurimum phlegmatis, aliquid sulphuris, & perpauca salia alkalica. Hinc fit, ut serum ad ignem admotum, phlegmate omnino, & alkali evaporatis, nonnihil concrescat gelatinæ adinstar. Concrescit quippe pars seri sulphurea, quæ, uti monuimus, particulis congregatur mollioribus, atque implicantibus, quæ propterea, reliquis evanescentibus, mutuo sese implicant, & concrescendo, fluorem prorsus amittunt. Id quoque de lympha fere observamus, eo tamen discrimine, quod partes volatiles ab igne in lympha excitatæ, facilius, atque majori absumuntur in copia. Ex quo concludendum videtur, tenujores esse, magisque volatiles in lympha, quam in sero, cujus lympha, uti dictum fuit, pars est tenuissima, & defæcatissima.

Quid sint spiritus animales, & succus nerveus.

Spiritus animalis vocatur pars quædam sanguinis tenuissima, valde mobilis, & concitata, quæ plurimam quamvis habeat vim in corpore humano vivente, ratione motus organorum, ob tenuitatem tamen maximam, sensus nostros omnino fugit. Spiritus animales, uti admodum probabile est, secernuntur a sanguine in cerebro, & a cerebro lucis adinstar, ut ita dicam, per nervos, ad reliquas effunduntur corporis partes, in quibus aut motum, aut sensum, aut utrumque excitare valent. Quia autem spiritus animales tenuissimi sunt, & concitatissimi, ne eorum fiat nimium dispendium, opinantur nonnulli, una cum spiritibus animalibus per nervorum fibras lympham quamdam provehi adhuc tenujorem, ex qua aliquid consistentiæ acquirant, & quodammodo in nervis detineantur. Quo in casu lympham hujusmodi tenujorem appellare consueverunt *succum nerveum*; eoquod succi istius ope, nervorum ali substantiam potissimum, existiment.

Quid sit chylus.

Præfati humores, sive proxime, sive remote chylo reficiuntur; chylus enim, qui ab alimentis, quibus vescimur, educitur, sanguini permixtus, & sanguinem, & per sanguinem, ut mox dicendum, reliquos omnes restaurat humores. Dicitur chylus humor quidam, sive succus alimentorum crassiusculus, sive pultaceus, lactis non absimilis, qui per digestionem ab alimentis tum in ventriculo, tum in anfractibus, sive recessibus intestinorum elicitur pro sanguinis, uti diximus, aliorumque fluidorum, ac cæterarum partium solidarum, opportuna refectione.

Quid sint bilis, & succus pancreaticus.

Præter hosce humores, qui magis præcipui, adsunt & alii, qui longe minus præcipui videntur, *Bilis* nimirum, & *Succus pancreaticus*. Bilis est humor quidam flavus, amaricans, qui in hepate secernitur, & ab hepate per ductum

Digitized by Google

ctum peculiarem, qui dicitur *Choledochus*, defluit in ductum intestinorum. Succus pancreaticus est lympha quædam acidiuscula, sive potius subdulcis, quæ secernitur in pancreate, & a pancreate per ductum pancreaticum una cum bile in eadem intus depluit intestina.

De scribuntur in genere motus, secretiones, ac distributiones fluidorum præcipuæ.

Quod quum ita sit, affirmare possumus 1. sanguinem *humorem esse rubicundum, sive cruentum sero dilutum, qui in corpore humano vitam habente in gyrum movetur a corde per arterias ad reliquas partes ejusdem corporis humani, tanquam a centro ad circumferentiam corporis humani, & a reliquis partibus corporis humani ad cor, veluti a circumferentia ad centrum*. 2. Spiritus animales *partem esse sanguinis defæcatissimam, tenuissimamque, valde mobilem, & concitatam, quæ in cerebro secernitur, atque a cerebro, uti creditur, per nervos effunditur ad reliquas partes corporis humani viventis, motui, ac sensui conservandis, excitandisque potissimum inservientem*. 3. Lympham *serum esse quoddam magis purum, magisque limpidum, sive partem seri tenuissimam, quæ secedens a sanguine, fluit per vasa lymphatica*. 4. Chylum *humorem esse alibilem, sive succum alimentorum, lactis adinstar nonnihil consistentem, sive pultaceum, qui per coctionem, sive digestionem ab alimentis educitur in ventriculo, eque ac in intestinis, atque ab intestinis per vasa lactea, ductumque thoracicum perducitur in sanguinem*. 5. Bilem *humorem esse flavescentem, amarum, qui a sanguine secernitur in hepate, atque ab hepate per ductum choledochum, maxima saltem ex parte, instillat in eavum intestinorum*. 6. Succum pancreaticum *humorem esse lymphaticum, subdulcem quandoque, quandoque subacidum, qui in pancreate a sanguine secernitur, atque a pancreate per ductum pancreaticum in eadem depluit intestina*. At enim vero, ut id magis adhuc elucescat, motum sanguinis, aliorumque fluidorum ex professo, & prolixe deinceps explicandum, paucis & hic attingere expedit.

De scribuntur viscera præcipua corporis humani viventis.

Inter viscera humani corporis præcipua, cor, cerebrum, una cum œsophago, atque intestinis, stomachus, sive ventriculus habenda sunt. A corde quippe sanguinem, a cerebro spiritus animales, ab œsophago, stomacho, ac præcipue ab intestinis chylum ad reliquas omnes humani corporis partes pro earum vita, calore, nutritione, ac intrinseco augmento, sive proxime, sive remote deferri, certum est. Ab alimentis enim, quæ deglutiendo per œsophagum immittimus in ventriculum, atque a ventriculo per pylorum elabuntur ad intestina, digestionis ope, ut fusius imposterum declaraturi sumus, educitur chylus; qui a fæcibus secretus, dum fæces, quæ crassiores sunt, per inferiora egeruntur, utpote tenuior, per minima intestinorum foramina ductus subit chyliferos, ac per ductus chyliferos, chyli quædam receptacula in mesenterio conspicua, unde per ductum thoracicum, per alium ductum nimirum chyliferum, ad venam ascendit subclaviam sinistram, de qua quoque mox dicendum; ubi cum sanguine immixtus confluit in truncum venarum communem, qua descendit ad cor. A corde per arterias una cum eodem sanguine ad reliquas effunditur humani corporis viventis partes; a quibus per venas iterum ad cor, a corde per arterias ad partes, a partibus per venas ad cor, & sic deinceps. Hinc motus ille sanguinis temporibus nostris solemnis, qui dicitur in corpore humano *circu-*

cularis, & quem ex professo de corde agentes fuse in capitibus sequentibus expofituri sumus. A sanguine, qui cerebrum arteriarum beneficio conscendit, secernuntur spiritus animales, qui per nervos ad partes universas distribuuntur, quæ in corpore humano vitam habente, sive mobiles, sive sensitivæ sunt, pro motu, sensuque in iis excitandis. Ab eodem sanguine, qui per alias partes ejusdem corporis humani in gyrum movetur, secernitur lympha, quæ sive a glandulis, sive ab arteriis, sive ab iisdem venis per ductus lymphaticos aliorsum defertur. A sanguine, qui hepar, & pancreas irrigat, secernitur bilis, & succus, qui dicitur pancreaticus, quorum pars maxima per ductus peculiares defluit ad principium intestinorum, non procul a pyloro. A sanguine, qui per arterias emulgentes utrinque ad renes deflectit, secernitur urina, quæ a renibus per ureteres illabitur in vesicam urinariam, a qua per urethram mingendo excernitur. A sanguine, qui per arterias spermaticas dirimitur ad testes, secernitur semen, sive sperma virile. Id in limine Tractatus præcise monuisse non abs re existimavimus; tradita quippe earum rerum idea generali, quicquid de singulis singillatim recensebimus, facilius quemque intelligere posse, arbitramur.

CAPUT VI.

De Musculis in genere.

Describuntur musculi in genere.

MUsculi sunt partes organicæ, dissimilares corporis humani vitam habentis, quorum beneficio præsertim, veluti per instrumenta peculiaria, fit membrorum motus. Quocirca habentur ab Anatomicis tamquam præcipua motus instrumenta. Musculi dicuntur quasi parvi mures, eo quod pluribus in locis mures parvos corio exutos æmulari soleant. Attamen variæ figuræ, variæque deprehenduntur molis. Alii quippe minores sunt, majores alii, alii maximi, alii minimi. Rotundos sese perhibent nonnulli, nonnulli quadratos. Explicantur alii in membranarum formam. In orbem alii circumducuntur. Quibusdam in locis cavi sunt. Nullum alii cavum habent &c.

Distribuuntur musculi in partes præcipuas.

Organicæ partes sunt musculi; ablatis quippe, sive intime læsis, deficit omnino motus partis illius, cui musculus ablatus, sive læsus inservire debuisset. Dissimilares item habendi sunt. Eorum enim substantia, quod ad formam exteriorem, plerumque distinguitur in carnem, & tendines. Caro dicitur eorum pars intermedia ut plurimum rubicunda, & longe crassior, quæ iccirco *venter* quoque nuncupatur. Musculi extremi, qui exiliores esse solent, atque albicantes, qui veluti appendices quædam ex utroque ventris extremo quodammodo proficiscuntur, vocantur *tendines*. Alter dicitur *caput*, alter *cauda*. Caput musculi appellatur tendo, qui partibus iis affigitur, quæ, respectu musculi agentis, habentur tamquam immobiles. Caudam contra vocamus in musculo alterum tendinem, qui partibus implantatur, quæ in corpore humano, musculo agente, adducuntur versus partes immobiles, idest versus caput ejusdem musculi agentis.

Tab. I. Fig. I.

Sit ex. gr. in corpore humano cubitus A B, qui, si brachium inflectatur per musculum G, moveri debet versus humerum D A. Venter musculi est pars intermedia

Exponuntur præfatæ partes musculorum præcipuæ.

dia G rubicunda, & crassior. Tendines sunt F G, G C: partes scilicet musculi extremæ graciliores, & albicantes. Tendo F G dicitur caput, quod egreditur ab humero B A, qui, licet musculus contrahatur, moveri non potest ratione flexionis brachii. Tendo G C nuncupatur cauda; desinit quippe, atque absumitur in cubitum A B, qui in flexione brachii præfati per musculi contractionem adducitur versus humerum A D.

Describitur in genere musculorum textura.

Insuper dissimilares quoque habendi sunt musculi ratione substantiæ, sive texturæ interioris. Foris enim tunica obducuntur perquamexili. Sub hac tunica quamplurimæ deprehenduntur fibræ, quæ a munere suo vocantur *motrices*. Inter fibras triplicis generis occurrunt vasa: arteriæ videlicet, venæ, & nervi. Tunica musculorum exterior tenuissima, & pellucida undequaque explicatur per musculorum ambitum, æque vestiens ventrem, & tendines. Tunica ablata, offendimus illico fibras præfatas musculorum motrices, quæ a capite ad caudam usque producuntur fere parallelæ, sive æquidistantes. In ventre tamen abinvicem nonnihil recedunt, ac varias iccirco relinquunt ibi intercapedines, quibus innumeras pene excipiunt sanguiferorum minimas propagines, arteriarum nempe, venarumque. Hinc ventris color rubicundus; caro enim ex seipsa haud rubet, sed ruborem suum nanciscitur ab humore cruento, quo per minimos tubulos sanguiferos irrigatur. Quapropter si omnino exprimatur sanguis, & si pluries inde abluatur, musculorum venter ex rubicundo candidissimus fit. De musculorum nervis id potissimum animadvertamus oportet, quod antequam subeant musculum interiorem, nonnihil producuntur per membranam exteriorem, mox eam pervadunt ad fibras usque musculorum omnes motrices, quas tamen circa tendines magis, quam circa ventrem attingere solent.

Exponitur quodammodo musculorum actio.

Per arterias fluit sanguis a corde ad musculos, quorum substantiam irrigat, fovet, alit. Reliquus a nutritione sanguis per venas a musculis refluit ad cor. Præterea sanguis, qui per arterias in gyrum movetur a corde ad musculos, atque a musculis ad cor, plurimum confert ad perficiendam musculorum actionem, ut mox dicendum. Per nervos effunduntur a cerebro spiritus animales in fibras musculorum motrices, quas quodammodo inflant, sive potius distrahunt secundum latitudinem, & contrahunt secundum longitudinem, quo musculus contractus partem mobilem versus immobilem adducit. Ex quibus patet musculorum munus præcipuum esse in corpore humano, ut tamquam organa peculiaria, & tamquam instrumenta idonea membra moveant, eaque firment, & renixum quemdam *tonicum* iis comparent; quod sane præstant per influxum spirituum animalium, necnon & per motum sanguinis circularem, & præsertim per contractionem fibrarum. Hinc fibræ musculorum motrices intexuntur, sive potius compinguntur, atque implicantur pluribus aliis fibrulis, aut staminibus longe minoribus, quæ, uti saltem admodum probabile est, ob influxum spirituum animalium, qui, uti diximus, fibras intime subeunt motrices, ab invicem recedunt; atque adeo, non secus ac funes madidi distractæ incrassantur, contrahunturque.

Sunt qui se observasse testantur, musculos, sive compressis, sive ob-

Quo pacto Recentiores nonnulli probabilius explicare consueverunt musculorum actionem.

obstructis sanguiferorum truncis, qui ad eos dirimuntur, statim veluti paralysi, aut convulsione quadam affecti, facultatem suam illico prorsus amisisse; siquidem contracti, nonnisi per vim postmodum producuntur, idest quasi convulsi reluctantur; quod, ni fallor, provenit, quia musculorum fibræ motrices contrahi nequeunt, nisi distrahantur, sive quodammodo explicentur; distrahi, atque explicari nequaquam possunt, nisi sanguiferorum comprimant ramusculos interceptos, ex quibus sanguinem exprimant. Id tamen fieri minime potest, quin sanguis ab arteriis excludatur in venas. Obstructis iccirco venis, sive compressis necessario deleri debet in musculis ea vis, qua sui contractionem inducunt. Contra autem obstructis, sive compressis arteriis, musculus facile licet contrahatur, plurimum tamen resistit, ne deinceps producatur. Etenim fibræ motrices semel contractæ, contractionem suam obnixe conservarent, nisi ab altera vi quadam exteriori producerentur, vel nisi comprimerentur per diastolem arteriarum, quæ iis inseruntur. Verum sanguinis motu præcluso, arteriæ per diastolen explicari nequeunt. Ergo &c. Ex quo inferre possumus, sanguinis motum circularem, ratione musculorum actionis, neutiquam veluti causam proximam efficientem, ut nonnulli sibi suadent, sed solum veluti conditionem necessariam se habere. Quicquid in ea observatione ab aliis rescivimus, & nobis olim, quum ab ineunte ætate Perusiæ, exercitationis, atque eruditionis gratia, sectionibus anatomicis in ædibus nostris vacabamus, in cane adhuc vivente secto, semel quoque contigisse visum est. Opinionem hanc, quam ut nostram haud protulimus, quamque ab aliis equidem excepimus, longe probabiliorem, nostrisque rebus magis accommodatam ducerem; si tamen æque, ut rem explicat, iteratis observationibus adamussim responderet. Cæterum musculorum actionem explicare, rem arduam, implicatissimam, obscuram, ac plane incertam, aliis non minus quam nobis hactenus semper fuisse, & forsitan futuram fore, candide fateamur oportet.

Varia musculorum denominationes.

Musculi, ratione tum figuræ suæ exterioris, tum interioris structuræ, tum muneris sui peculiaris, varia sortiti sunt nomina. Hinc ratione figuræ dicuntur *cucullares*, *lati*, *pyramidales*, *triangulares*, *rotundi*, *quadrati* &c. Ratione structuræ nuncupantur *digastrici*, sive, *biventres*; *trigastrici*, sive *triventres*; *bicipites* &c. Digastrici vocantur, qui binos habent ventres; qui tres, trigastrici. Biceps dicitur quum tendo, musculi caput efficiens, duplex sit; quum triplex, triceps. Ratione muneris appellantur *flexores*, *extensores*, *contractores*, *elevatores* &c. Dicunturque *sphincteres*, sive *clausores* musculi quidam orbiculares, qui circumducuntur ad orificia vasorum, quæ contrahunt, atque adeo claudunt. Quocirca sphincter ani vocatur alius. Alius sphincter vesicæ &c. At enim vero, quia musculi agendo, utplurimum sibi ex adverso resistunt, atque, ut ita dicam, colluctantur, ideo musculi omnes, qui sese contrahentes ex opposito enituntur, appellari consueverunt ab Anatomicis *Antagonistæ*, sive *contranitentes*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Glandulis in genere.

Quid sint glandulæ.

GLandulæ sunt partes dissimilares (non omnes tamen organicæ) carnosæ, spongiosæ, longe molliores quam musculi, quæ hinc inde sparsim effunduntur per humani corporis ambitum, tum intus, tum foris, ut a sanguine præterlabente varii præsertim excernantur humores peculiares, qui, sive tamquam recrementa foras emittuntur, sive, vel pro nutritione, vel pro aliis usibus aliorsum deferuntur. Dicuntur glandulæ, perinde ac parvæ si essent glandes. Nihilominus figuram, molem, item & texturam admodum variam habent. Aliæ siquidem minores, majores aliæ, nonnullæ minimæ, nonnullæ maximæ deprehenduntur. Aliæ orbiculares. Oblongas aliæ sese ostendunt. Quibusdam in locis simplices, hoc est distinctas ab aliarum consortio, sese offerunt. Quibusdam in aliis pluribus congregantur glandulis minoribus &c.

Describuntur glandularum sinus.

Glandularum substantia non injuria dissimilaris censetur; variis quippe implicatur tunicis exilibus, necnon etiam vasculis pluribus cujuslibet generis, ita tamen sibi mutuo innexis, ut sinus minimos interiores constituant. Sinus in plures quandoque alios distribuuntur adhuc minores, ita tamen adinvicem communicantes, ut ex uno in alterum patens deinceps sit aditus.

Describuntur substantia, item & glandularum usus.

Tunica foris utplurimum obducuntur tenuissima, qua ablata, mollem sese profert, laxamque glandularum substantia spongiosa, quæ arteriis intexitur, venis, & nervis. Ideoque sanguine irrigatur, una & spiritibus animalibus, sive succo nerveo. Præterea glandulæ habent quoque alia quædam vascula peculiaria, quæ egrediuntur ab earum sinibus interioribus, dicunturque *excretoria*; eo quod per ea humor excernatur glandularum, qui a sanguine secedit. Humor præfatus secedit a sanguine in glandulis, uti admodum probabile videtur, & ob peculiarem glandularum texturam, & ob variam minimorum foraminum formam, ac figuram, & ob motum sanguinis circularem, qui per glandulas jugiter fluit, refluitque. Sanguis enim, uti dicendum, variis congregatur particulis heterogeneis, quæ non omnes æque aptantur tubulorum præfatis minimis foraminibus quibus intexitur glandularum substantia interior. Hinc, dum per illos sanguis movetur in gyrum, iterum, atque iterum, ea spiracula subeunt tantum particulæ quædam sanguinis peculiares idoneæ, ex quibus inde congregatur humor a sanguine omnino diversus; qui a tubulis exudat in sinibus, ubi colligitur, donec per vasculum excretorium aliorsum devehatur. Eo pacto saliva, sudor, lacrymæ, lympha, sive serum, quod nares humectat interiores, & reliqua a sanguine secedunt. Ex quo patet, se habere glandulas in corpore humano, tamquam minima quædam cola, vel minima quædam cribula, variis a sanguine humoribus secernendis potissimum inservientia. Quod, ut facilius succedat, per nervos, ni fallor, a cerebro effunduntur ad glandulas spiritus animales, qui glandularum tubulos, æque ac membranas extendunt, ac foraminula explicant, ne laxe subsidant, concidant, atque occludantur. Hæc est ex nostra sententia facultas

glandularum, Galenicis hactenus occulta. Hoc, est fermentum illud, quod glandulis adscribere consueverunt plerique Chymici.

Distribuuntur glandulæ in vasculares, & vesiculares.

Si glandularum fabricam interiorem accurate rimemur, id præ cæteris elicimus, quod glandulæ, quibusdam in locis, minimis congregantur vesiculis cavis, quæ sibi mutuo communicant. Vesicularum parietes vasculis intexuntur. Quibusdam in aliis ita vasculis prorsus implicantur glandulæ, ut earum substantia interior mollis nihil aliud videatur, quam tubulorum plexus implicatissimus. Ex quo factum esse videtur, ut glandulæ in genere distinguantur in *vasculares*, & *vesiculares*. Vasculares dicuntur, quæ vasculis ita implicantur, ut earum substantia interior nihil aliud appareat, quam aggregatum molle, atque spongiosum. Vesiculares appellantur, quæ minimis ubique compinguntur vesiculis.

Distribuuntur in conglobatas, & conglomeratas.

Rursus glandulæ pluribus quandoque glandulis componuntur, quæ propterea nuncupantur *glandulæ conglomeratæ*, ut ab aliis distinguantur, quæ vocantur *conglobatæ*. In glandulis conglomeratis glandulæ singulæ componentes sua minima emittunt vascula excretoria peculiaria; quæ tamen in unum coeunt commune, quod vasculum appellatur glandularum conglomeratarum *excretorium commune*.

CAPUT VIII.

De Tegumentis, ac primo de Cuticula.

Describuntur tegumenta corporis humani.

TEgumentis ubique vestitur facies exterior, sive superficies corporis humani. *Cuticula* nempe, *cute*, *adipe*, ac *carne*; quæ omnia quatuor efficiunt membranas universales humani corporis exteriores, in quo cuticulam primum offendimus; cui succedit cutis. Sub cute *in corpore humano* explicatur adeps. Adipem proxime subsequitur caro. Dicimus in corpore humano, quum in plerisque brutorum prius sese perhibeat aspectui caro, sive membrana carnosa, cui substernitur adeps, sive membrana adiposa pro variis usibus, de quibus suo loco.

Describitur cuticula.

Cuticula Græcis dicitur *Epidermis*, idest supra cutem. Tenuissima est, densa, exsanguis, indolens. Corpus humanum undequaque tegit, cutique subjectæ ita firmiter adhærescit, ut avelli vix queat, nisi leniter excoquatur. Cuticulæ substantia similaris videtur. Pellucida est vel in Æthiope, in quo nigra quasi suffunditur fuligine, ob mucorem tenuem, atrum, qui subjectam cutem quodammodo oblinire solet. Innumeris ubique spiraculis pervia deprehenditur, ad quæ hiant vascula minima excretoria glandularum cutis subjectarum, observationibus Malpighii microscopio factis si fides habenda est. Pluribus contexitur villis perquamexilibus hinc inde sine lege ductis, qui tamen omnes proficiscuntur a cute subjecta, ejusque minimis papillulis.

Opinio probabilis de cuticulæ nutritione.

Utut cuticulam incidas, sive laceres, aut discerpas, neque sanguinis quicquam, neque seri, neque lymphæ, aut alterius cujusque humoris; quantum sensibus assequimur, exudat ex illius scissuris. Concludendum igitur, cuticulam, aut tubulis prorsus carere, quod tamen ex mea sententia fieri minime potest, aut canaliculos adeo esse in ea exiles, ut visum fugiant omnino. Idque ferme longe probabilius existimamus.

Munus

Quid sit cuticulæ munus.

Munus cuticulæ præcipuum est, ut cutem subjectam tegat, eamque defendat ab injuriis exterioribus. Iccirco longe crassior existit sub planta pedis, ne ambulando, sive saltando, cutis ibi lædatur. Temperat præterea sensum cutis, qui secus permolestus eliceretur semper. Quinimmo, & apud nonnullos Recentiores, stipat quoque vasorum oscula, quæ ad faciem cutis exteriorem aperiuntur, ne citra mensuram in traspiratione fiat minimorum dispendium.

CAPUT IX.

De *Cute*.

Describitur Cutis.

CUticula ablata, nudam sese perhibet aspectui cutis. Hæc *Dermis* dicitur a Græcis. Subjectis partibus firmiter adhærescit, in fronte potissimum, vola manus, plantaque pedis. Ex pectore tamen, ac brachiis facile avellitur. Crassior longe undequaque deprehenditur, quam cuticula, magisque densa. Non æque tamen ubique locorum; siquidem tenujorem, magisque raram eam offendimus in pene, & scroto. Crassiorem, densioremque sub planta pedum, necnon & in collo. In capite plerumque densissimam, crassissimamque. Alba utplurimum est facies illius exterior, variis licet quandoque suffundatur fluidorum coloribus, quibus ipsa irrigatur. Interior contra cruenta fere semper deprehenditur ob sanguiferorum copiam, quæ per eam dirimuntur.

Describuntur organa præcipua quibus componitur cutis.

Cutis pars est humani corporis prorsus dissimilaris, atque organica. Quinimmo habetur, neque injuria, veluti organum præcipuum, quod variis, ac pene innumeris compingitur organis; per eam quippe nonmodo distribuuntur arteriæ, venæ, ac nervi, vascula lymphatica, & fibræ plurimæ, quæ undequaque producuntur per ejus substantiam, tum interiorem, tum exteriorem; verum etiam habet quoque papillulas, glandulas minimas rotundas, sive miliares, pilorumque radices. Enimvero cutis universa nihil aliud videtur, quam omentosum aggregatum ex innumeris pene fibris carnosis, æque ac tendinosis, hinc inde recta, item & oblique sine lege excurrentibus, quæ in rugas contrahunt ejus faciem exteriorem. Inter fibras quamplurimæ inseruntur sanguiferorum propagines capillares, quarum ope irrigat sanguis cutem universam. Adsunt quoque innumeræ nervorum tenuissimæ productiones, quæ mutuo ita sibi nectuntur, coeuntque, ut plurimas efficiant papillulas pyramidales, quæ undequaque consurgunt ex rugis cutis exterioribus supernis per ordines parallelos versus cuticulam, quam in minimas propterea attollunt vaginulas; ac in vaginulis iterum in fibrulas sese explicantes, sive, ut ita dicam, effundentes, per ipsam postmodum cuticulæ substantiam plane delentur. Papillulæ præfatæ creberrime, structuræque eximioris occurrunt ad digitorum apices, quibus potissimum percipimus, sive elicimus ex objectis sensibilibus sensum tactus; quod sane ansam dedit, ut eas existimaverint Recentiores præcipua tactus organa.

Quid sint rete cutis nervosum, ac in ea valvulæ Recentiorum.

Per faciem præterea cutis exteriorem, microscopii interventu, deteguntur nervorum fibræ quædam perquamexiles, quæ mirum in modum contexuntur, rete quoddam nervosum formantes, cujus foraminulis, veluti colligatæ detinentur papillulæ præfatæ pyramidales, pili, & vascula quæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quædam minima excretoria, quæ originem ducunt a glandulis miliaribus, cuti subjectis, sitis videlicet in facie cutis inferna, qua cutis membranam tangit adiposam. Ad oscula vasorum istorum apponuntur valvulæ minimæ, cucurbitularum adinstar convexæ; quæ apud Recentiores nonnullos ita instructæ, ac positæ sunt, ut effluviis expirandis solummodo exitum pandant ab interioribus ad exteriora.

Quid sint pilorum radices.

Pilorum radices sub cute existunt, idest in eadem facie cutis inferna, tamquam globuli mucosi, quorum singuli a glandulis miliaribus minimam nanciscuntur propaginem capillarem, arteriosam, venosam, ac nervosam pro usu, de quo inferius, ubi de pilis, & crinibus ex professo acturi.

Quid sit cutis munus præcipuum.

Cutis, tamquam universale humani corporis integumentum, corpus organicum vivens ubique defendit, ejusque superficiem nitidam, venustamque facit. Tamquam diversorum organorum aggregatum per papillas, uti admodum probabile est, ex corporibus sensibilibus sensus elicit, tactus. Per glandulas, & vascula excretoria humores incongruos, sive effœtos cribrat, atque emittit; qui si guttatim decidant sudorem pariunt; hoc est diaphoresin, sive expirationem sensibilem; sin autem per spiracula cutis in auram evanescant prorsus insensibilem, tum ea fit corporis humani expiratio, quæ dicitur insensibilis. Cutis rursus est veluti solum, in quo pili, & ungues educantur, extuberant, germinantque.

CAPUT X.

De Pilis, & Unguibus.

Quid sint pili, & ungues.

INter partes corporis humani enumerari haud solent pili, & ungues, a Veteribus præsertim, qui ea existimare consueverunt, tamquam recrementa. An id tamen jure, an injuria affirmaverint Majores, ex infra dicendis palam facturi sumus. Duplicis generis deprehenduntur pili; alii enim cum fœtu nascuntur, uti crines, supercilia, ac palpebrarum pili. Alii succrescunt adultis, uti ex mento, sub axillis, atque in pube; maribus nimirum, ubi semine scatere incipiunt, fœminis cum menstruare, utrisque nempe in pubertate. Non tamen ex mento fœminis, eoquod per menses, ni fallor, succus egeratur pilis in mento alendis idoneus.

Describuntur singulæ pilorum partes.

Pilorum omnium figura, nobis, quamvis nudis oculis, oblonga vel teres videatur, si microscopium iis tamen accurate aptabis, eorum nonnullos observabis triangulares, item & quadratos. Quinimmo ex pilorum superficie universa extuberat lanugo quædam densissima, plurium adinstar minimorum ramusculorum. Pilorum substantia innumeris pene compingitur tubulis perquamexilibus, ita mutuo innexis, ut concinnam quamdam referant fistulæ speciem; quæ apud nonnullos materia quadam tenuissima medullari, ossium adinstar, repletur. Intime subeunt cutem, in qua minimos quosdam offendunt calices ovales, qui pilorum excipiunt singulas radices, mucosos videlicet lobulos quosdam, ex quibus veluti ex totidem bulbis suis peculiaribus fruticantes, enascuntur crines, & pili, per spiracula cutis, item & cuticulæ.

Bul-

Describuntur vasa, quæ inseruntur in pilorum radices.

Bulbis singulis minima apponitur glandula, a qua pilorum substantia nanciscitur propaginem perquamtenuem, arteriosam, venosam, nervosamque. Vascula hæc pilis alendis inservire procul dubio autumarem, nisi in cadaveribus quoque succrescerent, licet in iis omnino cessaverit sanguinis motus circularis.

Pilorum usus.

Pilorum usus ad ornatum corporis humani viventis nonmodo conducit, verum etiam ab organis saltem exterioribus ejusdem corporis humani plura arcent incommoda, ut suo loco fusius dicendum.

Distribuuntur ungues in suas partes.

Digitis extremis, tum in manibus, tum in pedibus emergunt, atque aptantur ungues; qui penes Anatomicos tres habere solent partes. *Radicem. Partem intermediam. Partem extremam.* Unguium radix appellatur pars inferior alba, carni adhærens, eique quodammodo infixa. Hanc subsequitur pars intermedia, quæ in benevalentibus rosea utplurimum deprehenditur. Parti unguium intermediæ succedit unguis extremus, qui nisi crebro resecetur, aduncus fieri solet.

Quid sit unguium substantia.

Unguium substantia indolens est, pellucida, & nonnihil crassa. Duplici compingitur lamella. Exterior levis. Interior aspera, ut carni melius adhærescat. Ungues, non secus ac pili, pluribus constant tubulis oblongis, atque transversis, quod nonnullis ansa fuit, ut ungues haberent veluti pilos adinvicem compactos, concretos, digitisque extremis induratos.

Unguium usus.

Unguium substantiam ali certo constat per radicem suam; quocirca unguium maculæ magis magisque recedunt a radice, prout magis magisque in dies eorum increscat substantia. Peculiares usus, præter exteriorem ornatum, præstare valent ungues in corpore humano. Firmant quippe digitorum apices, eosque tutantur. Corporibus præterea minimis commode arripiendis, comprehendendisque aprime conducunt.

Quo pacto nutriantur pili, & ungues.

Quod quum ita se habeat, habendi nequaquam sunt, neque pili, neque ungues, veluti partes corporis humani effœtæ, quæ succrescunt per extrinsecam appositionem partis ad partem, quum concludendum potius videatur, eorum substantiam succrescere, & ali per *introsusceptionem* humoris cujusdam tenuissimi; qui, a glandulis subjectis, pilorum subeat, unguiumque radices, ut postmodum effundatur in eorum universam alimoniam. Id confirmatur quoque ex plica Polonum morbosa, in qua carnosi quodammodo fiunt; & resecti cruorem exudant uberrimum, necnon etiam dolorem inferunt peracutum.

CAPUT XI.

De Panniculo adiposo, & carnoso.

Describitur situs in corpore humano panniculi adiposi.

SUB cute proxime aliud offendimus in corpore humano tegumentum, quod *panniculus* dicitur *adiposus*, sive *membrana adiposa*. Ubique locorum sub cute deprehenditur adeps, præterquam in labiis, palpebris, fronte, auribus supernis, pene, ac scroto, ne motui forsan officiat partium istarum, in quibus mobilia sunt reliqua tegumenta, & præcipue cutis, quæ musculorum ibi vices exequitur.

Describitur adipis substantia.

Crassus præ cæteris est, in parte præsertim anteriori imi ventris. Ejus color, nisi morbose inficiatur, plerumque sese perhibet album. Panniculi adiposi substantia, purus adeps, sive sevum concre-

cretum hactenus a Veteribus habita fuit, licet non sit profecto, nisi plurium congeries sacculorum, sive loculorum, qui adipem excipiunt exudantem, nescio, an a glandulis minimis, quæ sub aspectum minime cadunt, hinc inde per loculos sparsim sitis; an potius ex spiraculis sanguiferorum, quibus irrigantur loculorum parietes. Loculi isti adiposi, superimponuntur adinvicem. Hinc cumuli quidam adiposi, qui acervatim adhærescunt membranæ crassiori universali, tamquam fulcimento communi. Per substantiam adiposam dirimuntur sanguiferorum stamina tenuissima, quæ retis in modum contexuntur, atque implicantur, explicanturque ad faciem loculorum præsertim exteriorem, in qua æmulari solent tenue veluti omentum. Inter ea filamenta excurrunt quoque ductus nonnulli adiposi, qui in viventibus, data opera saginatis, & recens interfectis, plurimum intumescunt.

Usus panniculi adiposi.

Panniculus adiposus usum hunc præstare videtur in corpore humano, ut exuberantem a massa sanguinis adipem loculis suis excipiat, exceptum servet lubricandis, emolliendisque musculis subjectis, ne eorum fibræ motrices præ nimio nisu arefiant. Ad corporis humani venustatem plurimum confert. Nimium itidem minimorum compescit effluvium a partibus, visceribusque subjectis. Alii præterea opinantur, neque perperam plane, pinguedinem in loculis fusam, vel per venas, vel per alias adhuc nobis occultas vias, ad sanguinem identidem remeare, ne is, vel per inediam, vel per maximos pisus, vel per diuturnum fluidorum fervorem, balsaminis, atque, ut ita dicam, butyraceis evaporatis, absumptisque particulis, acris fiat nimis, & mordicans.

Describitur situs panniculi carnosi.

Panniculo adiposo, faciei nimirum exteriori, adeo firmiter adhærescit membrana carnosa, quartum scilicet humani corporis integumentum, ut avelli vix queat, nisi eorum mutuo discerpatur substantia. Quibusdam in locis proxime adnectitur cuti; iis nimirum, in quibus adeps desideratur. Tenuissima est, fibrosa, sensus non expers peracuti. Inter fibras excipit cujuslibet generis vascula, quæ a partibus sibi comparat proximis.

Usus panniculi carnosi.

Musculis a pinguedine secludendis inservire potissimum existimant Anatomici, iisque vestiendis, firmandisque; quinimmo, & iis in locis, in quibus præ cæteris fibrosa deprehenditur, musculorum vices exequitur cuti, cui adnectitur, contrahendæ.

CAPUT XII.

De Ossibus in genere, Cartilaginibus, & Ligamentis.

Quid sint Ossa.

TEgminibus exuto, ac pene decoriato corpore humano, caro undequaque detegitur nuda. Musculis hæc ubique compingitur, quorum beneficio moventur artus, ac reliqua corporis membra, præsertim exteriora. Ex musculis fibrulæ insurgunt perquamexiles, quæ passim ubique ita conveniunt per faciem carnis exteriorem, ut tenuissimam, pellucidamque contexant membranam cæruleam undequaque superficietenus carni humanæ superextensam. Sub musculis sese perhibent ossa, præterquam in facie imi ventris anteriori, ubi ossium loco peritonæum offendimus. Ossa sunt partes corporis humani similares, albæ, durissimæ. Basis præcipue, & fulcimentum reliquarum partium, quæ utpote molliores sunt, consiste-

re

re sine ossibus nequirent. Non omnia tamen ejusdem sunt generis ossa; alia quippe durissima, uti observamus in Tibia; alia minus dura, uti in Vertebris; alia adhuc molliora, magisque spongiosa, uti in Sterno &c. Differunt quoque ratione molis, item & figuræ exterioris, uti deinceps de ossibus singulis agentes, singillatim exponendum erit.

Quid sint periosteum, & pericranium.

Tenuissima foris obducuntur membranula, quæ ossium substantiæ exteriori arctissime ita adhærescit, ut avelli vix queat. Nuncupatur *periosteum*, præterquam in cranio, in quo *pericranii* nomen sibi vindicat. Contexitur arteriolis, venulis, ac nervulis pene innumeris, ex quibus sensum sibi comparat peracutum. Enim vero ossium substantia minime est sensitiva, sed sensus, & dolor provenit in ossibus, a fibris nervosis in periosteo distractis. Quocirca dentes ea parte, qua periosteo carent, quamvis ruditer pungantur, infringanturque, sensus omnino expertes observamus.

Quid sit ossium medulla.

Ossa intus utplurimum deprehenduntur cava, suoque cavo substantiam continent unctuosam, tenuem, ac luridam, quæ vocatur *medulla*. Ossium medulla minimis componitur tubulis sanguiferis, qui per parietes ossium pervios producuntur ab arteriis, & venis periostei in ossium cavum; ubi ita conveniunt, atque implicantur, ut per substantiam medullæ vesiculas ubique constituant minimas, quæ sevum excipiunt exudans, ni fallor, ex spiraculis tubulorum sanguiferorum. Sevum id oblinire nonmodo solet faciem ossium interiorem; verum etiam intime subire ossium substantiam, ne in motu arefiant, & facile infringantur. Ossa non omnia cava sunt, ea tamen, quæ cavum non habent, sunt intus spongiosa, neque aliud continent, nisi sevum medullare. Id maxime observamus in ossibus calcanei. Ossa nonnulla pluribus quoque foraminulis, cribrorum adinstar, pervia sunt; quibus excipiunt, sive carnem, sive aliam substantiam diversi generis, quod præsertim deprehenditur in ossibus nasi cribriformibus.

Ossium numerus.

Ossium numerus in omnibus non semper idem, neque semper idem in qualibet ætate; longe enim pluribus gaudent pueri, quam adulti, in quibus ossa diversa per ætatem paulatim coalescunt in unum. In universis tamen, dummodo corpus habeant probe constitutum, enumerare consueverunt Anatomici ultra 300.

Quid sit ossium articulatio.

Diu stare nequaquam possent in corpore humano vivente, & præsertim cum valide sese in organis exerceant, tum quum maxime vel currendo, vel saltando, vel ludendo, membra hinc inde varie exagitamus, nisi mutuo innecterentur. Hinc profecto varii consurgunt ossium nexus, quibus nomina varia Scriptoribus imponere placuit. Nihilominus quævis ossium connexio dicitur *Articulatio*. Articulatio distinguitur in *articulationem proprie dictam*, & *simplicem concretionem*. Articulatio proprie dicta est ossium connexio cum motu: ea videlicet, in qua ossa licet connexa, seorsim moveri queunt. Quapropter articulatio proprie dicitur ea connexio, qua ossa cubiti humero nectuntur; eo quod moveri, & flecti possit cubitus, quin moveatur humerus.

Varia articulationis genera.

Concretio est, quum ossa connexa seorsim moveri nequeunt. Ita dentes innectuntur cum alveolis maxillarum. Triplicis generis habetur concretio: *Sutura*: *Coagmentatio*, sive *Harmonia*: *Claviculatio*. Nuncupatur sutura, qua ossa concreta, quasi consuta viden-

dentur. Iccirco per futuram concrescunt ossa cranii, in quo potissimum oculis obversantur *coronalis*, *lambdoides*, *sagittalis*. Coronalis, coronæ adinstar per anteriorem reclinatur capitis regionem, idest per sinciput. Huic directe apponitur in occipite, in regione capitis videlicet posteriori, lambdoides, ibique literam græcam *lambda* æmulari solet. Inter coronalem, & lambdoidem producitur sagittalis, quæ a vertice coronalis per mediam calvariam recta tendit ad verticem lambdoides, ideoque findit calvariam in duplicem sectionem lateralem. Suturæ præfatæ, quæ dentibus visibilibus mutuo sese comprehendunt, dicuntur *legitimæ*, seu *veræ*. Alias contra, in quibus locus unionis non est adeo visibilis, vocamus *mendosas*, sive *spurias*.

Quid sit coagmentatio.

Coagmentationem, sive harmoniam, eam dicimus connexionem, qua ossa sese mutuo injungendo, adamussim ita sese contingunt, ut lineam quasi simplicem in loco unionis designent, non secus ac præstant ossa maxillæ superioris, quæ per coagmentationem uniuntur.

Quid sit Gomphosis, Arthron, Arthrodia &c.

Claviculatio, sive gomphosis est, quum os alterum alteri tamquam clavus infigitur, quemadmodum dentes utrique infiguntur maxillæ. Articulatio vera, quæ *Arthron* Græcis appellari consuevit, modo fieri dicitur per *diarthrosin*, modo per *enarthrosin*, modo per *arthrodiam*, modo per *ginglymon* &c.; quæ ex græca etymologia nihil aliud sonant, nisi *articulationem laxam*, *articulationem strictam*, *superficialem*, *profundam*, *&c.*; quibus tamen, ne Tyronum mentem intempestive defatigemus, non est cur diutius immoremur.

Alia articulationis species.

Præterea ossium connexio, sive arthron sit, nimirum vera articulatio, sive sit concretio, quibusdam in locis fit per ossa connexa, nulla videlicet alia intercedente substantia. Quibusdam in aliis eam fieri observamus interventu alterius substantiæ, quæ propterea, quia cartilaginea quandoque est, quandoque ligamentosa, quandoque carnosa factum est, ut ossium articulationes in tres alias distribuantur species: videlicet in *Syssarcosin*, *Synneurosin*, *Synchondrosin*. Syssarcosis dicitur, ubi substantia intermedia est carnosa. Synneurosis, ubi est ligamentosa. Synchondrosis, ubi cartilaginea.

Quid sint cartilagines.

Cartilagines ejusdem ferme cum ossibus structuræ videntur. Quinimmo, & ipsæ temporis processu in ossa consolidantur. Ab ossibus differunt tantum, quia consistentiam molliorem habent. Cæterum cum ossibus omnino conveniunt, iisque utplurimum consociantur. Plurimum discrepant inter se, tum figura exteriori, tum mole. Cavæ nequaquam sunt, ideoque medulla carent. Medullæ tamen vices gerit in cartilaginibus mucor quidam tenuis, oleaceus; quo, ut facilius inflectantur, tum foris, tum intus obliniuntur.

Quid sint ligamenta.

Ossa, & cartilagines, ut situm, nexumque suum, vel ad nisum valide servare valeant in articulis, musculis nonmodo, tendinibusque firmantur, verum etiam ligamentis, quorum figura, item & moles admodum varia deprehenditur. Substantiam, post cartilaginem, durissimam habent, plerumque albicantem, sensus omnino expertem, non secus ac ossa, & cartilagines, ne incedendo organa cum dolore moveamus. Alios usus non præstare videntur in eodem corpore humano, nisi quod tamquam funes membra in eo ligent, & firment, ossaque in

in primis, ne luxentur. Quibusdam in locis sese perhibent teretia; quibusdam in aliis in latitudinem explicantur. Id sane prout exigit munus, cui inservire debent. Ligamenta, quæ figuram teretem habent, nuncupantur *nervosa*; quæ lata sunt, *membranosa*. De ligamentis, uti ex pluribus extat observationibus, id potissimum adnotandum occurrit, quod in senibus ita concrescere, atque obdurari solent, ut consistentiam sibi vindicent cartilagineam, item & osseam, uti ex pluribus habemus observationibus.

Quid sint ossium apophyses, & epiphyses.

Ut commode injungantur ossa, & cartilagines; ut in articulis detineantur; ut per ligamenta firmentur; atque ut commode per musculos moveantur, suas habent *apophyses*, atque *epiphyses*: processus nimirum, atque appendices. Apophyses dicuntur eminentiæ quædam, quæ ossibus, & cartilaginibus, extrinsecus quasi continuatæ, adnascuntur. Si tantummodo contiguæ sint, ac veluti simplices appendices extuberent, nuncupantur epiphyses.

Quid sit ossium synovia.

Ut facilior sit ossium motus, jugiter exudat in articulis uligo quædam tenuis, unctuosa, *synoviæ* persimilis. Penes nonnullos provenit a minimis glandulis hinc inde sparsim sitis per ligamenta membranosa, quæ ossium adhærescunt articulis. Humor is, uti opinor, acris quandoque fit, & iccirco fibras periostei acriter mordicans, easque distrahens, sive convellens, dolores in podagra perquamacutos procreare valet. Quinimmo non sine probabili conjectura inferre possumus, nodos, ac tophos in articulis podagra affectis, præfatam esse synoviam arefactam, ibique concretam; deficientibus enim, absumptisque particulis tenuioribus, volatilioribusque, crassiores subsidunt, magis magisque uniuntur, concrescunt, atque indurantur.

Ossium munera præcipua.

Ossium munera alia videntur universalia, alia peculiaria. Universalia sunt, ut membra substineant, eaque in motu dirigant. Peculiaria sunt, ut in cavis quibusdam peculiaribus parietes construant, eosque fulciant; ut cibos in ore comminuant; ut sensationes ad auditum spectantes, in auribus interioribus, modulentur &c.

Quomodo nutriantur ossa.

At de ossibus id in genere animadvertendum superest, quod fracta iterum coalescunt callo quodam, qui *poros* dicitur. Insudat enim ex fibris ossium fractis humor pellucidus, tenuis, oleaceus, &c, ut ita dicam, pultaceus; qui colligitur in extremis fractis, ubi concrescit glutinis adinstar, & callum præfatum inducit. Ex quo concludendum videtur, præfatum humorem ita exudantem, succum esse ossium alibilem; qui sive proxime, sive remote provenit a sanguine per arterias, vel medullæ, vel periostei, vel tendinum musculorum, qui absumuntur, & quodammodo delentur per ossium substantiam. Succus enim præfatus alibilis necesse est, ut a sanguine secretus, fibras ossium ingrediatur componentes, perque eas in gyrum moveatur, atque in alimoniam aptetur &c.

CAPUT XIII.

De Sceleto, ejusque ossibus componentibus

Quid sit sceletum. Vid. Tab. II. Fig. I. & II.

OSsa carne prorsus exuta, quum situm, nexumque suum sibi servent naturalem in corpore humano, *Sceletum*, *Sceleton*, sive *Scheleton* constituunt. Voces, quæ ex etymologia a Græcis

cis nihil aliud significant, quam *exiccatum*, sive *arefactum*. Sceletum bipartiuntur Anatomici in truncum, & artus. Truncus in ossa capitis, & reliqui trunci. Ossa capitis cranium alia compingunt, capitis videlicet cavum, qui cerebrum condit. Alia compingunt maxillas.

Enumerantur ossa cranii propria.

Cranio ossa octo adscribere consueverunt plerique Anatomici. Unum videlicet fronti, quod in pluribus, & in pueris prælertim, dividitur cartilagine intermedia. Cartilago, puero increscente, ossea tandem evadit. Hinc ex ossibus duobus unum dumtaxat consurgit. Duo sincipiti, quæ nuncupantur ossa *Bregmatis*. Unum occipiti. Temporibus duo, quæ ossa inferne constituunt *petrosa*. Ossa petrosa triplicem emittunt processum, sive apophysem exteriorem: *Jugalem*, sive *Zygomaticum*: *Mammillarem*: *Styliformem*. Alterum processum, sive apophysem emittunt ossa petrosa interiorem, quæ proprie dicitur *os petrosum*, quum durissima sit.

Describuntur processus ossis cranii.

Processus jugalis orbitæ oculorum formandæ inferiori sub oculis extuberat. Mammillaris occurrit posterius. Brevis est, atque obtusus, a figura sua extrinseca mammillaris dictus. Styliformis in formam styli gracilis, oblongus, atque acutus perducitur non procul a mammillari, paulo tamen anterius. Non apophysis revera est, sed potius epiphysis. Processus petrosus durissimus intus producitur versus ossa palati. Cavus est, suoque cavo organum continet auditus præcipuum. Idest *labyrinthum*, *cochleam*, atque *ossicula quatuor*, inferius, ubi de auribus ex professo, describenda.

Describuntur ossa cranii communia.

Ossa cranii præfata, quæ, uti monuimus, numero sex sunt, dicuntur *propria*. Reliqua duo dicuntur *communia*, eoquod ad maxillam superiorem quoque spectent. Alterum *basilare* est. Alterum *cribriforme*. Basilare dicitur, quum tamquam basis cranio substernatur. A figura nuncupatur etiam *cuneiforme*, sive *sphenoides*. A situ vulgo dicitur *os palati*. Processus emittit utrinque *aliformes*. Ex medio sphenoide, ad cerebri basin alii consurgunt processus minimi, qui *sellam equinam* æmulari solent.

Describitur os cribriforme.

Cribriforme situm est in frontis confinio ad nasi principium, foraminibus ubique perruptum; ac propterea *spongiosum*, sive *ethmoides* etiam nuncupatur. E medio cribriforme intus erigitur in eodem cranii cavo *cristagalli*, alius scilicet processus squamosus, qui figura sua galli cristam quodammodo mentitur.

Describuntur ossa maxillarum.

Maxillarum altera superior, altera inferior. Superior immobilis. Undecim utplurimum habet ossa. Duo tantum habet inferior, quæ mobilis est: idque in pueris, quum adeo firmiter adinvicem in adultis coalescant, ut vix ullum in mento sese objiciat unionis indicium.

Describuntur bini processus maxillæ inferioris.

Ex maxilla inferiori duo utrinque consurgunt processus, qui *cornua* nuncupantur. Anterior acutus *corone*. Posterior obtusus, necnon etiam aliquantulum globosus, *condylodes*. Ad corone in apice affigitur cauda musculi temporalis. Condylodes, cartilagine intermedia, sese immittit in sinum ossium temporalium, quibus immittitur maxilla inferior. Maxillæ alveolis ubique excavantur, quibus radices excipiunt dentium.

CAPUT XIV.

De Dentibus.

Quid sint dentes.

MAxillis, uti notum est, infiguntur dentes; qui sunt ossi-

ossicula præ cæteris durissima, variæ molis, variæque figuræ, ad oris confinia cibis valide infringendis, comminuendisque, vocique immoderate profuse appositæ coercendæ potissimum instructa. Per gomphosin maxillis infiguntur, in quibus, membranis gingivarum intercedentibus, item & pluribus perquamexilibus ligamentis, firmantur. Dentium alveoli membrana quadam tenuissima, maxime nervosa, sensuque prædita acutissimo intus obducuntur, quæ, ratione dentium, periostei vicem in radicibus gerit. Hinc sane stupor quandoque, ac dolor acerrimus; qui dentibus licet inesse videatur, non est revera dentium, quorum substantia, non secus ac reliquorum ossium, sensus omnino expers est; verum provenit a læsione membranæ istius interioris, necnon & quandoque minimæ propaginis nervosæ quintæ conjugationis; quæ, ut mox dicendum, dentium subit radices.

Enumerantur dentes.

Dentium numerus variat. Non infra tamen in bene dentatis a 8. nec ultra 32. enumerari solent. Alii dicuntur superiores, inferiores alii a situ. Tum superiores, tum inferiores in tres distribuuntur classes. Alii quippe sunt *Incisores*, alii *Canini*, *Molares* alii. Octo utplurimum incisores, quatuor scilicet anterius superne, totidemque anterius inferne. Latiusculi sunt, & incidentes, atque adeo cibis in ore infringendis, plurimum accommodati. Incisoribus utrinque succedunt canini, oblongi, teretes, acuti, ut cibos melius comprehendant. Numero quatuor sunt, bini superiores, *Oculares* vocantur; eorum quippe radices versus oculos ascendunt. Dentes reliquos molares nuncupamus, sive maximos. Posteriores sunt, maximi, latiusculi, & asperi, ut cibos ruditer per alios dentes jam confractos, magis magisque conficiant, comminuant, & parvæ veluti moles extenuent.

Quid sit dentium radix.

Pars dentium interior, quæ maxillis conditur, *radix* dicitur. Quapropter una tantum radice maxillis implantari dentes incisores observamus. Duplici caninos. Quadruplici molares. Ad radicem sibi dentes immittunt propaginem capillarem arteriosam, venosam, ac nervosam perquamexilem, & vix sensibilem a ramis gingivarum proximis, ex quibus alimoniam sibi comparant.

Quare, & quomodo erumpant dentes.

Mensibus aliquot a nativitate apparere incipiunt dentes. Antea quippe in alveolis delitescebant suis sub forma mucoris crassiusculi albicantis; qui sensim concrescit, induratur, atque augetur. Non omnes æque uno eodemque tempore erumpunt, ne membranas obvolventes undequaque per gingivas scindendo, effectus permolestos, & pessima in dentitione inferant symptomata. Hinc alios alii insequuntur ad annum usque duodecimum, decimum quartum, & vigesimum, necnon & in aliquibus ad trigesimum. Incisores primum, & canini; eoquod, utpote acutiores, facilius, & citius membranas disrumpendo, faciliorem sibi exitum pandant. Molares novissimi, qui propterea *Sapientiæ* nuncupantur. Non procul ab anno septimo excidere incipiunt dentes ad annum usque nonum, decimum, aliquando undecimum; aliis succedentibus, qui non secus ac priores sub alveolis latitabant. Hi quippe increscendo, alios paulatim, & sensim propellunt, donec vasculis avulsis, & retrocedentibus a radicibus gingivarum membranis nutare, & vacillare incipiunt, atque excidere.

In quibus dentes ab aliis distent ossibus.

In eo potissimum ab aliis ossibus differunt dentes, quod dentes continue crescunt ad extremum usque senium; secus enim ob mutuam, diu-

diuturnamque attritionem, masticando, cito forent contriti; quo fit, ut altero dente elapso, alter quandoque oppositus in altera maxilla brevi longior ad excessum evadat.

Quare senescentibus excidunt dentes. Eorumque usus.

Quum senescimus, excidere solent dentes; eoquod, humoribus per ætatem concretis, atque obstructis dentium tubulis, ali imposterum non amplius valeant. Quocirca exiccantur radices, recedunt gingivæ, dentesque vacillant. Dentium usus est ad ornatum, ad ciborum contritionem, ad vocis commodam articulationem, emissionemque. Inter ossa capitis enumerare quoque nonnullis placuit os *Hyoides*, sive *Bicorne*, sive *Ypsiloides*, quod ita dicitur, quia literam Y referre quodammodo solet. De hoc tamen fuse deinceps, ubi de lingua, cui potissimum aptatur, atque inservit.

CAPUT XV.

Enumerantur ossa reliqui Trunci.

Quid sint Vertebræ, earumque distributio.

TRuncum sub crahio Sceleti humani compingunt *Spina*, quæ vertebris construitur, *Sternum*, *Costæ*, *Clavicula*, *Scapulæ*, atque *Ossa iliaca*. Triginta sunt ossicula, quibus componitur Spina, quæ a vertendo *Vertebræ* nuncupantur, quum per vertebras hinc inde vertatur corpus humanum vivens, erigatur, inflectatur, &, ut ita dicam, intorqueatur. Distribuuntur vertebræ ab Anatomicis in *cervicales*, *dorsales*, *lumbares*, & *sacras*. Cervici octo adscribunt vertebras, quarum prima *Atlantica* dicitur. Duodecim adscribunt dorso. Lumbis quinque. Quinque ossi sacro, cujus extremitas acuminata intus nonnihil incurva, vocatur *Os coccygis*. Plures habent processus vertebræ, quibus invicem innectuntur, & musculorum tendines excipiunt. Plura quoque habent foraminula, & præsertim lateralia, quibus utrinque nervis exitum præbent. Cavæ sunt intus, ideoque, sibi mutuo injunctæ, fistulam compingunt longissimam, tamquam medulla repletam substantia cerebri producta, de qua suo loco fusius.

Quid sit sternum, ejusque cartilago mucronata.

Vertebris dorsalibus opponitur anterius in thorace *Sternum*, os videlicet fungosum, quasi semicartilagineum, maxime in pueris, quod producitur per faciem mediam thoracis anteriorem a jugulo ad scrobiculum usque cordis. Ossibus octo constat in pueris ad annum circiter septimum. Ossa ista innectuntur cartilaginibus intercedentibus, quæ temporis processu ita concrescunt, ut unum dumtaxat, veluti os continuatum, in senibus præsertim, efficiant. Sinus habet sternum utrinque duos exteriores in parte superna ad jugulum, quibus ex utroque latere excipit, & claviculæ caput, & costam supernam cartilagineam extremam. Sub finem sterni aptatur, sive potius producitur cartilago quædam mucronata; quæ propterea *ensiformis* nuncupatur. Quinimmo, quia non semel sese perhibet bifurcatam, vulgo dicitur *forcilla*.

Quid sint costæ.

Costæ, Græcis *pleuræ*, producuntur, sive potius inflectuntur in arcus a vertebris dorsalibus usque ad sternum. Ante tamen quam sterno injungantur, cartilagineæ prorsus evadunt. Duodecim utrinque sunt. Septem superiores, quæ sternum proxime attingunt, dicuntur *veræ*, sive *legitimæ*. Inferiores dicuntur *spuriæ*, sive *mendosæ*, eoquod in extremitatem habeant cartilagineam, quæ sursum recurvatur, ac costis superioribus adjuvantibus, non proxime, sed remotæ, sterno adnectantur.

Quid sint claviculæ.

Claviculæ utrinque occurrunt sub

sub imo collo in pectore summo transversum, ubi literam ω inclinatam in utroque latere quodammodo referunt. A scapulis ad sternum producuntur; neque alia de causa clavicularum nomine insigniuntur, nisi quod, veluti clavi, sterno scapulas firment. Earum substantia fungosa est; iccirco, quemadmodum facile infringi, ita rursus propediem coalescere solent.

Quid sint scapulæ.

Scapulæ, Græcis *Homoplata*, sunt ossa quædam lata, figuræ triangularis, quæ veluti scuta utrinque aptantur extrinsecus costis superioribus in dorso summo. Tres conspicuos habent processus; quorum unus latiusculus, & nonnihil sub finem cavus; suoque cavo claviculam excipiens extremam, angulum conficit ad humeri caput, qui dicitur *Acromium*, *humeri mucro summus humerus*. Alter minor inferior, atque acutus, a rostri sive ancoræ figura, *Anchoroides*, sive *coracoides*. Tertius brevissimus nominatur *cervix*, cujus extremitas in sinum aptatur exteriorem, quo humeri caput excipit. Quinimmo, ne levi de causa excidat humerus, labia sinus, cartilagine quadam orbiculari circumducta, nonnihil attolluntur.

Quid sit os coxendicis.

Os coxendicis, sive coxæ, quod penes nonnullos nomine caret, est sane maximum. Figuram perhibet triangularem. Situm est utrinque ad latera ossis sacri. Trifariam distinguitur, in partem superiorem, inferiorem, atque anteriorem. Superior dicitur *ilium*. Inferior *ischium*, quod proprie *coxendix* nuncupatur. Anterior *os pubis*. In pueris ossa præfata, cartilaginea intercedente unione, magis distincta apparent.

Quid sint ossa iliaca, & pubis.

Ossa iliaca majora sunt, in regione iliaca superne coaptata; quibus inferne succedunt ischia, quæ in facie exteriori maximum habent, profundumque cavum, quo femoris excipiunt caput. Sinus nuncupatur *acetabulum*; cui ne facile luxetur, per modum processus circumducitur circulus cartilagineus, *supercilium* dictus. Ischia inferne ex troque latere reclinantur versus regionem pubis, ubi processus efficiunt maximos perforatos, ut vulgo creditur, levitatis gratia. Processus præfati *ossa* dicuntur *pubis*, sive *pectinis*. Cartilagine intermedia per *synchondrosin* mutuo sese contingunt. In fœminis mollior est, & crassior cartilago, quo in partu debiscere queant ossa pubis. Id tamen falsum existimandum videtur.

CAPUT XVI.

De Ossibus Artuum, ac primo Manus universæ, sive Brachiorum.

Distribuuntur ossa artuum superiorum in suas classes, & describitur humerus.

Ossa in artubus ad brachia alia spectant, alia ad crura. Ossa brachii distribuuntur in ossa *humeri*, *cubiti*, ac *manus extremæ*. Humerus unicum est os, magnum, validum, extrinsecus inæquale, quod partem brachii supernam constituit. Caput iccirco maximum habet rotundum, quod scapulæ, idest ejus cervici, quam habet in acromio, innectitur. Anterius, prope caput, foris nonnihil incavatur, fossam, sive sinum efficiens oblongum, qua descendit alter de duobus tendinibus musculi bicipitis brachii flexoris. Inferne injungitur humerus cum ossibus cubiti; quocirca binos in extremo processus emittit, cartilagine obductos, inæquales; longior quippe interior, quam exterior, quibus cubitum excipit. Processus præfati inæquales tuberculis gaudent singuli, quibus inhærescunt ligamenta, & tendines musscu-

sculorum, quorum ope carpus movetur, & digiti.

Describuntur ossa cubiti.

Ab humero ad manum usque extremam producuntur ossa cubiti, quæ bina sunt. Alterum dicitur *ulna*, *radius* alterum. Sive *focile majus* nuncupatur ulna, *focile minus* dicitur radius. Ulna longior inferne est, & major, quam radius. Hinc nomen retinet totius, & proprie vocatur quoque *cubitus*. Radius minor, ac brevior, situs est in facie ulnæ superiori. Sese tantum contingunt ossa præfata humeri versus partes extremas, quæ uti monuimus, globosæ sunt. Quocirca distant in medio, ut inter utrumque commode magis musculos brachii motores excipiant. Cubitus caput habet crassum. Binis donatur processibus, quibus humero innectitur. Processus præfati dicuntur *rostra*. Exterior longior ab Hippocrate (*a*) vocatur *olecranon*. Cubitus inferne ossibus innectitur carpi, tum cartilagine intermedia, tum processu quodam, unde vinculum proficiscitur, quo ossa carpi colligantur.

Describuntur ossa manus extremæ.

Ossa manus extremæ in ossa distribuuntur *carpi*, *metacarpi*, *phalangis digitorum*. Octo sunt ossicula carpi, quorum maximum vincere vix solet modicæ molis fabam. Eorum figura non multum variat. Superne quatuor sunt, totidemque inferne quæ radio, cubitoque, ac ossibus metacarpi adnectuntur. Colliguntur simul, constringunturque vinculis admodum validis a cubito, radioque exortis.

Describuntur ossicula metacarpi.

Quatuor sunt ossicula Metacarpi, oblonga, gracilia, fistulosa. Ossibus quatuor inferioribus carpi, item & prioribus digitorum injunguntur. In dorso manus sunt convexa. In vola cava, ut objecta arripere, eaque comprehendere melius valeant.

Enumerantur in manu ossa, quæ digitos constituunt.

Quindecim enumerantur ossa, quæ constituunt digitorum phalangem; singuli namque digiti tribus constant ossiculis. Priora, idest in basi digitorum, majora. Media minora. Extrema minima, ad digitorum præsertim apicem. Crassiuscula deprehenduntur ubi innectuntur, atque in nodos propterea ibi extuberant. Foris singula gibba sunt, & nonnihil aspera. Plana intus, & aliquantulum incurva; ut objecta profuga arctius corripere, eaque sistere queant.

CAPUT XVII.

De Ossibus Pedum, sive Crurum.

Describuntur ossa artuum inferiorum in suas classes, & describitur femur.

NON secus ac brachium, trifariam dividitur crus, sive pes: in ossa *femoris*, *tibiæ*, sive *cruris*, ac *pedis extremi*. Os femoris unicum est, ac maximum, præsertim si longitudinem spectes. Collum habet cum capite adnexo, cartilagine obducto, quo arte sese immittit in acetabulum coxendicis, sive ischii; ubi, ne levi excidere valeat de causa, valide detinetur duplici ligamento. Alterum breve est, ac teres; veluti funiculus producitur ex medio acetabulo in medium caput femoris, cui arctissime affigitur. Alterum latum, & crassum, undequaque circumducitur per acetabuli supercilium, communi veluti fascia, sive instita articulationem ambiens. Non procul a capite binos utrimque femur emittit processus, qui *trochanteres* nuncupantur, sive *rotatores*. Exterior major, & superior. Interior minor, atque inferior. Alios infer-

(a) *Lib. 7. Epid. num. 32.*

ferne habet processus, quibus tibiæ innectitur.

Describuntur ossa tibiæ.

Tibia, non secus ac cubitus, duo habet ossa, ad partes extremas arctissime conjuncta, medio nonnihil dissita. Alterum interius, & majus. Alterum exterius, & minus. Interius majus nuncupatur *tibia*, sive *focile majus*. Exterius minus *fibula* dicitur, sive *focile minus*. Tibiæ pars posterior lata est. Anterior acuta, quæ propterea cruris *spinam* conficit. Ibi ferme, ubi femori injungitur tibia, nimirum ad genu, anterius apponitur os aliud rotundum, latumque, quod *patella* vocatur, *rotula* a nonnullis, item & *mola*. Rotula, firmandæ, ne vacillet, sive luxetur in genu, tutandæque articulationi, plurimum conferre videtur. Inferne sinus habet tibia, quibus excipit officula tarsi. Habet quoque processum rotundum, unde extuberat malleolus cruris interior. Fibula tibiæ adnectitur in latere, perinde ac ulnæ radius in cubito. Hæc inferne malleolum emittit cruris exteriorem, ibique plures habet sinus, quibus aptantur ossa *tali*, sive *tarsi*.

Distribuuntur ossa pedis extremi in suas classes.

Pes extremus distribuitur in ossa *tarsi*, *metatarsi*, & *phalangis digitorum*. Septem sunt ossa tarsi. Quinque metatarsi. Quatuordecim phalangis digitorum. Eorum connexio, situs, & figura, ab iis, quæ in manibus extremis descripsimus, non multum distant.

Quid sint sesamoides.

Extra sceletum, præsertim ad tendines musculorum extremos, atque ad digitorum internodia, tum in manibus, tum in pedibus, officula quædam occurrunt minima, quæ, quia minima sesami semina æmulari solent, *sesamoidea* appellari consueverunt. Extra sceletum occurrunt, eoquod una cum tendinibus præfatis utplurimum avellantur. Passim replent nodorum intercapedines, ne præ nisu digitorum vacillent internodia. Vid Tab. II. Fig. I. & II.

CAPUT XVIII.

De nonnullis membranis præcipuis interioribus corporis humani, & primo de iis, quæ constituunt parietes Abdominis.

Quid sint proprie musculi abdominis.

HActenus de ossibus, ac de membranis obvolventibus parietes sinuum exteriores. De iis modo agamus oportet, quæ vel sinus intus obducunt, vel earum constituunt parietes. De *meningibus* nimirum in capite, de *pleura* in thorace, necnon etiam de *diaphragmate*, de *peritonæo*, item & de *omento* in imo ventre. Verum enim vero membranas hasce priusquam attingamus, operæ pretium est, ut brevem saltem præmittamus historiam musculorum abdominis, qui simul sumpti, eoquod plerique in latum extendantur, veluti membranæ quædam crassiores, fibrosæ, ac musculares, diversi generis, per parietes abdominis explicantur; quinimmo & eosdem parietes ipsi ferme conficiunt. Musculi abdominis statim occurrunt in facie præsertim anteriori abdominis sub tegumentis communibus. Latissimi sunt, crassissimi, plurimumque carnosi. Explicantur utrinque per faciem universam imi ventris anteriorem, inter panniculum carnosum, & peritonæum. Decem sunt, ideoque in paria distribuuntur quinque, nomina sua ducentes peculiaria a figura, situ, ductuque fibrarum vario. Hinc alii dicuntur *oblique descendentes*. Alii *oblique ascendentes*. Alii *transver-*

versi. Alii *recti*. *Pyramidales alii*. Recti tamen, atque pyramidales, quoniam figuram undique latam, uti priores, non habent, dicendi revera non sunt musculi membranosi, sed potius carnosi, ut deinceps dicturi sumus.

Describuntur oblique descendentes.

Oblique descendentes latissimi sunt. Originem ducunt a costis mendosis, quibus inseruntur tendinibus quibusdam serræ adinstar veluti dentati. Exinde per processus vertebrarum transversos descendunt ad costam ossium iliacam, cui firmiter adhærescunt. Mox pars eorum carnosa admodum crassa extenuatur ubique, & tendines amplissimos, quamexiles licet, & membranaceos efficit, qui ad *lineam albam* utrinque desinunt.

Quid sit linea alba.

Linea alba nuncupatur concursus quidam tendinum musculorum abdominis communis, qui sese mutuo per medium abdomen implicando, lineam candidissimam constituunt, quæ a scrobiculo cordis per umbilicum ad pubem, per faciem imi ventris anteriorem, recta descendit.

Describuntur oblique ascendentes.

Detractis oblique descendentibus, offendimus oblique ascendentes, qui enascuntur a costa ossium iliaca, ac per processus vertebrarum transversos sub prioribus ad costas ascendunt mendosas, quibus arctissime affiguntur. Non secus ac oblique descendentes, in tendines tenuissimos sese extenuando membranosos, in eamdem lineam albam absumuntur.

Describuntur transversi.

Sub oblique ascendentibus explicantur transversi, qui originem ducunt a processibus vertebrarum transversis. Superne costis adhærent mendosis. Inferne ossibus iliacis. Tendinibus suis membranaceis perexilibus ex utroque latere ad lineam usque albam expanduntur.

Describuntur recti.

Inter tendines musculorum præfatos adsunt musculi recti. Crassissimi quamvis, ac longissimi, longe minorem habent latitudinem. Proficiscuntur tendinibus suis extremis, sub finem ossis sterni, a lateribus cartilaginis mucronatæ. Non procul a linea alba recta descendunt utrinque ad ossa pubis, quibus firmiter ita adhærescunt tendinibus suis inferioribus, ut avelli vix queant, nisi eorum discerpatur substantia. Caro, sive venter rectorum in plures quandoque veluti musculos dividitur, lineis quibusdam intercedentibus tendinosis.

Describuntur pyramidales.

Sub rectorum finem in facie eorum exteriori sese perhibent aspectui pyramidales, qui minimi sunt, id nominis sibi vindicantes, eoquod pyramidis adinstar, a lata, crassaque basi consurgant ex ossibus pubis, umbilicum versus; ex quibus paulatim, & sensim decrescentes extenuantur, donec tandem abeant in tendines minimos oblongos, quibus umbilicum interdum attingunt, plerumque licet, priusquam eo perveniant, penitus deleantur. Desunt non semel musculi pyramidales, iis præsertim, quibus crassiores sunt musculi recti.

Musculorum Abdominis munus præcipuum.

Sese contrahendo musculi abdominis deprimunt costas, viscera comprimunt imi ventris; quæ compressa, attolluntur, atque impellunt substantiam diaphragmatis in cavum thoracis. Hinc pulmones quoque quodammodo comprimunt. Quamobrem respirationem plurimum adjuvant, humores per viscera validius promovent, fæces ab intestinis excludunt, emittuntque. Urinam tum ex renibus, tum ex ureteribus, tum ex vesica urinaria, item & fœtum in puerperio, una & secundinas, & lochia, ut locu-

lentius, fusiusque dicturi deinceps sumus, egerunt.

CAPUT XIX.

De Meningibus, Pleura, Mediastino, Peritonæo, & Diaphragmate.

Quid sint meningæ.

MEninges sunt membranæ quædam, quibus cerebrum in Calvaria obducitur. Altera exterior est, crassa, validior; iccirco dicitur *crassa*, sive *dura meninx*. Tenujor altera, & mollior; quamobrem vocatur *meninx tenuis*, sive *mollis*. Quia autem ex meningibus istis originem ducunt reliquæ omnes membranæ corporis humani, ut vulgo saltem creditur, passim sibi comparant quoque penes Anatomicos *Matris* nomen; crassior videlicet appellatur *dura mater*, tenujor dicitur *pia mater*. Verumtamen, quum de meningibus imposterum, ubi de cerebro ex professo, agendum sit, id paucis in præsenti de meningum situ, munere, ac structura in genere prolatum fuisse, sit satis.

Quid sit pleura.

Pleura, uti superius item innuimus, membrana est tenuissima, & validissima, quæ undequaque explicatur per parietes thoracis interiores, arctissime costis adhærens, musculisque intercostalibus. Substantiam duram habet, densam, maxime sensitivam, quæ facile tamen explicatur, sive extenditur. Facies pleuræ interior, ne pulmones in respiratione tangendo lædat, levis est, & mollis. Exterior, ea nempe, quæ proxime attingit parietes thoracis interiores, aspera, atque inæqualis; idque, ni fallor, ut musculis intercostalibus, costarumque periosteo melius adhærescat. Duplici compingitur lamella, atque inter utramque potissimum diriguntur trunci arteriarum, venarumque, necnon etiam nervi intercostales, quibus uberrime pleura contexitur. Hinc levi inflammatur de causa, dolorem, & febrem in pleuritide provocant peracutum.

Quid sit mediastinum.

Ad vertebras dorsales duplicatur, ac duplicata recta producitur inter utrumque pulmonum lobum per medium thoracem ad sternum, cui firmiter affigitur. Ideoque thoracis cavum universum a summo ad imum in duplicem findit sectionem lateralem. Pleura ita duplicata *mediastinum* nuncupatur. Superne claviculis adhæret. Inferne diaphragmati, cujus substantiam in regionem dexteram, atque sinistram dirimit. Mollior est mediastini substantia, quam pleuræ. Inter duplicem mediastini membranam inseritur cor, œsophagus, vena cava, nervi, qui dicuntur *stomachici*, & pleraque vasa lymphatica, quæ a partibus proximis tendunt ad receptaculum chyli commune, ut suo loco dicendum.

Munus mediastini præcipuum.

Mediastinum cor non modo suspendit, ac vasa fulcit, quæ distribuuntur per inferiora, verum etiam thoracis cavum bipartitur, ut uno vulnerato thoracis latere, per alterum respiratio adhuc peragatur.

Quid sit peritonæum.

Quemadmodum pleura thoracem interiorem, ita peritonæum abdomen intus obducit, perque ejus parietes interiores undequaque explicatur, ac veluti sacculus membranaceus viscera non modo omnia imi ventris sub diaphragmate includit; quinimmo & eorum nonnulla, varie sese hinc inde duplicando, ferosim vestit. Binos inferne emittit processus fistulosos, qui ad inguina ex utroque latere tendines perforant musculorum abdominis inferiores,

ut ad scrotum producantur, in quo testes singulos laxe vestiunt. Facies ejus exterior fibris quandoque aspera deprehenditur. Interior mollis, & levis ob humorem tenuem oleaceum, qui jugiter exudat ex minimis glandulis per ejus substantiam undequaque diffusis. Ubique firmiter adhæret faciei abdominis interiori, ossibus præsertim iliacis, vertebris ossis sacri, ac ossibus pubis. Substantia peritonæi, tenuis licet, duplici constat lamellarum strato, non secus ac pleura, sive duplici membrana, quarum altera exterior est, altera interior. Ab exteriori proprie producuntur processus peritonæi superius descripti. A partibus proximis suscipit vasa cujuslibet generis. Secto anterius peritonæo, confestim oculis obversantur vasa, quæ dicuntur *umbilicalia*, quorum historiam exponam, ubi de *Fœtu*.

Quid sit diaphragma.

Diaphragma dicitur, vel septum transversum membrana muscularis, lata, maxima ex parte carnosa, crassa, & mollis, quæ transversum aptatur ad thoracis confinia; ideoque cavum ventris medii secludit a cavo ventris imi. Figuram propemodum orbicularem habet. Posterius tamen binos emittit processus tendinosos, quibus plerumque infigitur prioribus lumborum vertebris. Exinde a vertebris sursum oblique, veluti fornix, laxe producitur ad finem sterni, cui adnectitur, sese tamen circumcirca explicans, costarum inferiorum ambitui firmiter adhærescit.

Figura diaphragmatis in extinctis

Facies diaphragmatis superior, quæ thoracem spectat in expiratione, atque adeo in extinctis, gibba est, vel convexa. Inferior, ea nimirum, quæ ventrem imum respicit, cava. Pluribus foraminibus pervium deprehenditur diaphragma, qua œsophagus transit, & vasa descendentia, præter arteriam magnam descendentem, quæ producitur inter processus tendinosos posteriores nuper descriptos. Substantia diaphragmatis marginem extremum habet tendinosum, item & meditullium, quod centrum dicitur diaphragmatis. Reliqua ubique deprehenditur carnosa. Duplici intercipitur membrana. Superior producitur a pleura per faciem diaphragmatis gibbam. Inferior a peritonæo per faciem cavam. Arterias, venasque plurimas habet a truncis proximis, item & nervos; inter quos præ cæteris insignes sunt nervi, unus scilicet ex utroque latere, qui triplici radice a cervice exoriuntur, utrinque descendentes per mediastinum indivisi ad substantiam diaphragmatis usque; per quam in quatuor, aut plures surculos dirimuntur, quorum alii distribuuntur per substantiam tendinosam, per carnosam alii &c. Ex truncis præfatis effunduntur quoque per membranam narium interiorem stamina nonnulla. Hinc, membrana narium interiori concitata, convellitur per consensum diaphragmatis substantia, & sternutatio, ut probabilius videtur, erumpit.

Quomodo in vivis agat diaphragma.

Non videtur diaphragma, nisi musculus membranaceus, non simplex, sed pluribus constans musculis, idest biventer, sive digastricus apud nonnullos. Triventer, sive trigastricus apud alios; quorum caudæ, sive tendines extremi cohærentes in medio, centrum diaphragmatis tendinosum conficiunt. Capita autem, sive alii tendines sterno, & costis adhærentes, ambitum extremum diaphragmatis tendinosum undequaque compingunt; quo fit, ut,

Digitized by Google

ut, quum agit diaphragma, contrahatur, & complanetur. Hinc ejus substantia media, uno eodemque tempore, quo tendit ad anteriora abdominis, descendit quoque ad inferiora. Quamobrem cavum abdominis angustius evadit, tum quum amplius sit cavum thoracis.

Munus diaphragmatis precipuum.

Diaphragma, ut ad usum descendamus, ad liberam respirationem, ac commodam humorum, per viscera præsertim imi ventris, distributionem, ad validiorem fœcum excretionem, opportunamque fœtus in puerperio, lochiorum, secundinarumque exclusionem, sese contrahendo, relaxandoque una cum reliquis musculis abdominis, plurimum conferre existimamus; viscera quippe comprimit subjecta, a quibus humores exprimit &c. De iis tamen omnibus suo loco. Oesophagum præterea inferne comprimit, clauditque, ne alimenta ingesta levi de causa eructentur.

CAPUT XX.

De Corde, & Pericardio.

Quid sit cor. Vid. Tab. III. & IV.

COR inter organa corporis humani viventis ferme præcipuum, inter viscera maxime necessarium, est pars organica, dissimilaris, carnosa, admodum crassa, in medio thorace sita, inter lobos pulmonum, ubi & sanguinem propellit in corpus universum, atque a corpore universo eumdem reducem recipit sanguinem, lympham, una & chylum, quem magis magisque digerit, extenuatque. Sanguinem propellit sese contraendo. Sanguinem reducem, lympham, & chylum recipit, sese vicissim explicando. Hinc in thorace jugiter movetur cor, pulsatque, id est alternatim contrahitur, atque explicatur. Figura cordis exterior conica quasi videtur; a lata quippe basi in mucronem decrescit. Basis superior, partes nempe supernas spectat thoracis. Mucro inferior. Cordis magnitudinem, prout corporis universi variat moles, ipsam quoque variare comperimus. Nihilominus longitudo in adultis utplurimum ad digitos producitur sex transversos. Latitudo basis ad quatuor, vel quinque explicatur. Ambitus cordis totius ad quatuordecim circiter extenditur.

Quibus partibus innectatur cor.

Cordis basis supenditur partibus supernis, vasorum præsertim interventu, quæ ad cordis pertinent substantiam, item & ad sinus. Reliquum cor liberum, & ubique solutum cernitur, ut facilius fortasse agendo contrahi, explicarique valeat. Quinimmo, ut diaphragmati subjecto cedat, cuspis cordis sinistrorsum paululum vergit. Conditur inter binos mediastini parietes, ubi includitur membrana quadam tendinosa, veluti marsupio peculiari, quæ nuncupatur *pericardium*.

Quid sit pericardium.

Pericardium, sive capsula cordis, sive cordis vagina, sive marsupium, sive sacculus, dicitur membrana tendinosa, quæ veluti sacculus, cor laxe includit. Cordis basi firmiter adnascitur. Per reliquam cordis faciem exteriorem nullibi adnectitur. Extremitas pericardii inferior centro diaphragmatis tendinoso in corpore humano accrescit. Non ita in reliquis animalibus; homo enim recta incedit; ideoque, nisi pericardio adnecteretur diaphragma, deorsum nimis adduceretur gravitate viscerum abdominis; quæ, aut proxime, aut remote diaphragmati suspenduntur universa. A lateribus facies pericardii exte-

exterior membranis interioribus mediastini per minimas fibrulas hinc inde alligatur. Facies pericardii exterior aspera nonnihil occurrit. Levis contra interior.

Describitur pericardii textura.

Distinguitur substantia pericardii in duplicem lamellam, sive in duplicem tunicam. Exterior provenit a mediastino. Interior originem ducit a truncis sanguiferorum communibus, qui consurgunt ex basi cordis. Per membranas, tendinosas licet, distribuuntur propagines sanguiferorum variæ, nervorumque, necnon etiam minima quædam lymphatica.

Pericardii munus.

Pericardium nihil aliud præstare videtur in corpore humano, quam excipere, & continere humorem peculiarem, qui cor humectat, ejusque irrorat fibras, ut facilior sit cordis motus alternus.

Quid sit humor pericardii, & unde proveniat.

Humor pericardii serosum sese perhibet, subsalsum, & aliquantulum rubicundum, veluti carnis loturam. Colligitur in cavo pericardii ad quantitatem cochlearis unius circiter. Quum ad ignem admovetur, tenuioribus, volatilioribusque extenuatis, atque absumptis particulis, paululum concrescit. Exudat, uti opinor, vel a spiraculis sanguiferorum insensibilibus, vel a *thymo*, vel, ut longe probabilius existimo, a glandulis minimis hinc inde sparsim sitis, & per membranas pericardii, & per pinguedinem, quæ ad cordis basin sub pericardio exuberat. Recentiores nonnulli affirmant quoque humorem præfatum a partibus proximis per minima lymphatica defluxisse, se observasse, in cavum pericardii.

Describitur cordis textura, æque ac sinus interiores.

Cordis substantia crassa quanvis, & densa, non æque tamen ubique ejusdem generis occurrit; quandoquidem tenuior, & mollior deprehenditur in latere cordis dextero; crassior in sinistro, magisque compacta; ad apicem densissima; sub finem apicis admodum tenuis, quum ibi nihil aliud videatur; quam productio quædam membranæ cordis exterioris. Partem efficit organicam; siquidem ablata, vel intime læsa, cessat omnino sanguinis distributio per universas corporis partes, cessatque organorum facultas, item & vita. Dissimilaris quoque haberi debet; membrana quippe foris obducitur; fibris intus complicatur; inter fibras sibi comparat a truncis communibus triplicis generis vascula, necnon etiam ductus minimos lymphaticos; quæ omnia ita conveniunt, ut sinus quatuor interiores constituant in corde valde conspicuos. Bini laterales sunt ad basin. Nuncupantur *auriculæ*, quum non videantur, nisi cordis appendices cavæ, quæ tamquam bini loculi, sive sacculi carnosi ad latera basis exurgunt. Bini occurrunt per ipsam cordis substantiam, a basi versus apicem, vocanturque *ventriculi*.

Describuntur ventriculi, item & auriculæ cordis.

Auriculæ abinvicem distinguuntur, cordis basi intermedia. Ventriculi, septo cordis fibroso; quo fit, ut per foramina peculiaria communicent auriculæ cum ventriculis: idest auricula dextera cum ventriculo dextero, sinistra cum sinistro, nequaquam auricula cum auricula, ventriculus cum ventriculo. Ventriculis adapertis sese perhibent aspectui per eorum parietes interiores fibræ quædam carnosæ crassiores; quæ dicuntur *lacerti*. Sese perhibent aspectui plures quoque sulci, sive fossulæ in substantia cordis excavatæ per parietes ventriculorum interiores. Lacerti, item & sulci cordi contrahendo plurimum conferre videntur; nam, quum ventriculorum parietes sint ad-

admodum crassi, contrahi commode nequirent, nisi essent in sulcos hinc inde proscissi, qui propterea in systole per variam lacertorum contractionem valide contrahuntur.

Describitur membrana cordis exterior.

Membrana cordis exterior, tenuis licet, est admodum densa. Explicatur undequaque per ambitum cordis, cui firmiter ita adhaerescit, ut vix distinguatur. Huic extrinsecus, in basi praesertim cordis, plurimus adnascitur adeps; qui, ni fallor, delinire valet fibras cordis extremas, ne prae motu nimio arefiant.

Describuntur cordis fibrae.

Hac detracta membrana, nuda obversatur cordis substantia fibrosa. Haec ubique deprehenditur carnosa, praeterquam in basi, quae tendinosa est. Duplicis generis sunt cordis fibrae. *Longitudinales*, sive *rectae*; *spirales*, sive *obliquae*. Longitudinales recta descendunt per substantiam cordis interiorem a basi ad mucronem; ideoque omnes fere coeunt in lacertos, sive in columnas ventriculorum interiores. Spirales, quae caeteras numero longe superant, ab eadem basi cordis tendinosa ductu obliquo, inflexoque, spirarum in modum, ad apicem prope per ambitum cordis exteriorem descendunt. Ab apice intus ascendunt ad basin cordis, ductibus spiralibus, prioribus omnino contrariis, per parietes ventriculi sinistri sese iterum intorquentes. Quinimmo praefatae fibrae spirales interiores ascendentes maxima ex parte parietes ventriculi sinistri construere solent; adeo ut nihil aliud videatur septum fibrosum inter utrumque ventriculum intercedens, nisi paries dexter ejusdem ventriculi sinistri contextus, sive potius circumdatus fibris spiralibus intus ascendentibus.

Munus praecipuum cordis fibrarum.

Fibrarum spiralium ope fit potissimum, quod arctissime coerceatur cor, ejusque substantia in systole comprimatur. Etenim fibris praefatis contractis, & cor undequaque contrahatur necesse est; eoquod per contractionem fibrarum istarum, ad basin apice accedente, fieri minime possit, quominus adinvicem accedant & ipsi parietes.

Describuntur vasa cordis.

Vascula, quae per cordis substantiam uberrime distribuuntur, sunt arteriae, venae, nervi, ductusque lymphatici, qui tamen potius excurrunt per faciem cordis exteriorem. Arteriae, & venae cordis dicuntur *coronariae*. Binae sunt arteriae coronariae, item & binae sunt venae coronariae. Originem ducunt binae arteriae ex trunco arteriarum communi intra pericardium, prope basin cordis ex communi fere principio. Attamen versus partes extremas per anastomosin mutuo passim conveniunt. Binis arteriis coronariis totidem fere respondent venae coronariae, quae pluribus minimis distractis radicibus consurgunt ex universa cordis substantia, & truncis suis communibus ascendentes conveniunt omnes in truncum venarum majorem communem intra pericardium, non procul a basi cordis. Dicimus *fere*; etenim surculos nonnullos praedictarum arteriarum intimiores sanguinem expuere in eosdem cordis sinus, ex novissimis sectorum observationibus olim accepimus. Tum arteriae, tum venae coronariae valvulas habent in exortu minimas semilunares, quae sanguinis regressum prohibent. Nervi producuntur, & dirimuntur per universam cordis substantiam, tum a pari vago, tum a plexu, quem paulo supra cor in thorace offendimus, qui propterea *cardiacus* a Vvillisio nuncupatur.

Quid sint trunci præcipui arteriarum, venarumque.

At præter vasa hæc, quæ per substantiam cordis, præsertim nutritionis gratia, motusque pulsationis distribuuntur, consurgunt ex eadem cordis basi trunci quatuor maximi communes sanguiferi, qui haberi debent tamquam origo, & tamquam principium reliquorum omnium sanguiferorum, arteriarum nimirum, venarumque, quæ per partes universas, ac per organa omnia corporis humani effunduntur.

Unde proprie arteriæ, & venæ exoriri dicantur.

Arteriæ egrediuntur a ventriculis per basin cordis mediam duobus truncis maximis communibus omnino distinctis. Venæ proficiscuntur ab auriculis ad latera basis ejusdem cordis duobus aliis truncis quoque maximis communibus, atque longe magis distinctis. Exinde tum arteriæ, tum venæ quaquaversum per reliquas humani corporis regiones, vel per ipsam cordis substantiam distribuuntur, quum & vascula coronaria non ita pridem descripta ab iisdem truncis communibus, ut ita dicam, fruticentur, germinentque. In quo tamen id maxime adnotandum respectu motus sanguinis circularis pet universum corpus, arterias revera tantum dici posse, a ventriculis egredi; a ventriculis quippe truncis veluti communibus, in plures propagines minores, & rursus minores dispersis, corpori universo sanguinem impertiuntur. De venis contra opinari potius debemus, pluribus dispersis propaginibus minoribus a reliquis exoriri corporis partibus, ut truncis postmodum maximis communibus desinant in auriculas. Siquidem sanguis per reliquas omnes corporis regiones effusus subit distractos venarum ramos, a quibus confluit in truncos communes, ac per truncos venarum communes iterum refluit ad cor, ut mox dicendum.

Quid sint arteria aorta, vena cava: arteria, & vena pneumonica.

Arteria, quæ egreditur a ventriculo cordis sinistro, quæ plane arteriarum omnium maxima est, quæque in universum dirimitur corpus, vocatur *Aorta*, sive *arteria magna*, quum per hanc sanguis a ventriculo cordis sinistro effundatur in universas corporis regiones. Altera, quæ originem ducit a ventriculo dextero, quæque dumtaxat effunditur per universam pulmonum substantiam, dicitur *Arteria pneumonica*, a nonnullis *vena arteriosa*. Per arteriam hanc sanguis a ventriculo cordis dextero irrigat tantum substantiam pulmonum. Vena, quæ a reliquis corporis partibus, uti ante jam diximus, egreditur, desinitque in auriculam dexteram, vocatur *Vena cava*, a nonnullis *vena magna*; per hanc quippe venam a reliquis omnibus corporis partibus in auriculam cordis dexteram redux evomitur sanguis. Altera vena, quæ pluribus suis propaginibus exoritur tantum a substantia pneumonica, atque in truncum convenit communem, qui in auriculam aperitur cordis sinistram, appellatur *Vena pneumonica*, a nonnullis *arteria venosa*; quandoquidem per hanc venam redux a pulmonibus sanguis refluit ad cor.

Describitur motus sanguinis circularis.

Quamobrem arteriæ aortæ respondet vena cava, Arteriæ pneumonicæ respondet vena pneumonica; eoquod sanguis, qui a ventriculo cordis sinistro per aortam reliqua omnia corporis humani viventis irrigat membra, a reliquis omnibus corporis membris per venam cavam devolvatur in auriculam cordis dexteram. Ab auricula cordis dextera descendit in ventriculum dexterum, a quo propellitur per arteriam pneumonicam ad pulmones. In pulmoni-

nibus ramusculos subit venæ pneumonicæ, ac per truncum communem ejusdem venæ pneumonicæ defluit in auriculam cordis sinistram. Mox in ventriculum sinistrum. A ventriculo sinistro per aortam in universum corpus &c. Hinc sanguis, motu quasi perenni, in gyrum movetur per corpus humanum vivens a corde per arterias in universum corpus. Ab universo corpore per venas iterum ad cor. A corde per arterias ad reliquas omnes corporis regiones &c. Unde sanguinis *motus circularis*, sive *sanguinis circulatio*, quæ Veteribus, nisi penitus ignota, fuit saltem admodum obscura, & quam temporibus fere nostris luculenter evulgavit præ cæteris inclytus Harvæus Professor Anglus.

Quicquid revera observatur de motu sanguinis circulari, qui per venas remeat ad cor.

Motum progressionis, motum nimirum, quo per universas humani corporis vitam habentis regiones in gyrum progreditur sanguis, designantes, reducem sanguinem a trunco venæ cavæ in auriculam dexteram, atque a trunco venæ pneumonicæ in auriculam cordis sinistram immitti, jam ante innuimus. Adnotandum tamen, non omnem sanguinem venosum reducem plane a venis in auriculas effundi; quum aliqua saltem portio a truncis venarum communibus, quin auriculas ingrediatur, ventriculos statim subit. Id apposite adnotavit idem Boerhaavius (a) ex auctoritate Ruyschii, Lovv., Drak., illustris Eustachii. *Venæ quotcumque in toto visuntur corpore eadem ratione se habent ad venam cavam. Hæc autem format amplum, atque membranæ arteriosæ simili obductum sinum, qui in cavum auris dexteræ cordis, & in thalamum dexterum partim desinit &c.*

(a) *Institution. Medicar. num.* 15.

CAPUT XXI.

De Pulsatione cordis, ejusque valvulis.

Describuntur valvulæ cordis.

UT cor in arterias urgeat sanguinem, contrahatur necesse est. Ut eumdem sanguinem a venis excipiat, explicetur necesse est. Hinc *systole*, & *diastole* cordis; idest *contractio*, atque *expansio*, quæ quamdiu corpus humanum vitam habet, tamdiu alternari debent. Quocirca indesinenter pulsat cor, & quodammodo palpitat intus in thorace: ea tamen lege, ut quum ventriculorum fit systole, tum auricularum fiat diastole. Et viceversa. Id profecto maxima ex necessitate; nam sese contrahentes ventriculi sanguinem valide propellunt uno eodemque tempore per arterias, item & per venas universas, in auriculas; quæ propterea, nisi explicarentur, propulsi sanguinis affluxum excipere nequirent. At, ne sanguis semel propulsus a ventriculis in arterias, ab arteriis in ventriculos retrocedat; & ne sanguis ab auriculis propulsus in ventriculos, a ventriculis retrocedat in auriculas, ad orificia ventriculorum valvulæ occurrunt duplicis generis, quæ a figura sua exteriori varia sibi comparant nomina. Aliæ quippe dicuntur *sigmoides*, *semilunares*, *cucullares*, *mitrales*. *Tricuspides aliæ*, sive *pyramidales*.

Describuntur valvulæ sigmoides.

Numero tres sunt sigmoides in utroque ventriculo. Apponuntur ad ventriculorum orificia, ex quibus egrediuntur arteriarum trunci. Figuram habent conicam, sive potius quodammodo elyticam, cavam intus. Basis earum cava, meatum respicit, arteriarum interiorem. Cuspis respicit, sive

sive quodammodo producta pervadit ventriculorum cavum. Altera facies valvularum, ea nimirum, quæ tangit ventriculorum parietes, cordis substantiæ proxime adhærescit. Altera versus cavum ventriculorum libera deprehenditur. Iccirco ita instructæ, ac positæ sunt, ut deprimantur a sanguine propulso a ventriculis in arterias; qui propterea viam per eas sibi sternit, ut irruere valeat a ventriculis in arterias, idest a cuspide versus basin valvularum depressarum. Contra, quum sanguinis retroducere enititur ab arteriis in ventriculos, subit valvularum cavum per basin, quas iccirco inflat, earumque explicat parietes, & per parietes expansos sibi prorsus claudit regressum ab arteriis in ventriculos.

Describuntur tricuspides.

Tricuspides sese perhibent aspectui in orificiis ventriculorum ad venas extremas, nempe ad orificia auricularum, inter auriculas, & ventriculos. Tres, utplurimum, occurrunt sub finem auriculæ dexteræ. Binæ tantum sub finem auriculæ sinistræ. Nihil aliud videntur valvulæ tricuspides, quam productiones lacertorum membranaceæ triangulares; quæ, ne in cavum auricularum reclinent nimis, lacertis alligantur, sive columnis ventriculorum, per fibrulas minimas exortas ab earum cuspidibus. Ita assurgunt valvulæ tricuspides ex lata, & nonnihil crassa basi, ut cedant sanguini venoso, qui ab auriculis ingreditur ventriculos. Valide tamen resistunt, quum idem sanguis a ventriculis impetum faciat versus auriculas.

Cor inter musculos recensetur.

Sedulo perpendenti structuram cordis, motum pulsationis, ac munus, fieri minime potest, quominus liqueat, cor musculum esse carnosum, cavum, pluribus constantem musculis antagonistis, sive contranitentibus, quorum beneficio perennet in universo corpore humano vitam habente sanguinis motus circularis. Pluribus constare musculis videtur antagonistis, quorum tendines reclinantur, & complicantur per basin cordis tendinosam; quippe diversus est motus auricularum a motu ventriculorum; quinimmo & ex adverso opponuntur; motus enim auricularum directe, uti monuimus, motui opponitur ventriculorum, & viceversa.

Declaratur causa motus cordis, utpote quæ nobis probabilior videtur.

Si quis quærat, aut causam motus cordis genuinam, aut quare contrahantur auriculæ, uno eodemque tempore, quo explicantur ventriculi, & e converso, respondemus, pluribus id fieri de causis, & maxime per influxum spirituum animalium, qui a cerebro per nervos radiant in fibras cordis, quas subeunt, atque inflant; siquidem quum spiritus præfati a fibris auricularum transeant in fibras ventriculorum, fit, ut contrahantur prius auriculæ, mox ventriculi. Respondemus præterea, quod cordis structura ejusmodi est, ut contractio ventriculorum necessario inducere debeat expansionem auricularum, & viceversa. Quocirca fieri neutiquam potest, quin systole, & diastole auricularum, & ventriculorum, uti diximus, alternentur &c.

Quare Veteres cor effecerint sedem præcipuam caloris innati. Vid. Tab. III. & IV.

In cordis sinibus longe magis effervescit sanguis, quam alibi. Quod ansam Veteribus dedit, ut haberent cor tamquam sedem præcipuam caloris innati; id licet fieri tantum possit per motum sanguinis intestinum, per fermentationem videlicet ejusdem sanguinis, quæ longe validior in sinibus præfatis excitatur, ut suo loco fusius.

CA-

CAPUT XXII.

De Arteriarum, venarumque structura, pulsatione, distributione, atque usu.

Declaratur arteriarum, venarumque structura, & usus.

ARteriarum parietes crassiores longe, validioresque deprehenduntur, quam venarum. Densissimi sunt, & quasi cartilaginei; præsertim in exortu. Quocirca duplicem arteriis passim concessere tunicam Majores, unam tantum venis. Veruntamen tum in arteriis, tum in venis quadruplicem fuisse, palam fecit Vvillisius, minime dissentiens a Galeno, qui (a) hæc habet. *Unaquæque arteria constat duplici tunica, quibus possunt addi tertia, & quarta.* Exterior a minimis, quibus contexitur, vasculis, retis in modum, dicitur *vasculosa*. A minimis altera, quibus componitur glandulis, vocatur *glandosa*. Tertia dicitur *muscularis*, sive *fibrosa* a fibris suis carnosis, quæ per eam undequaque producuntur. Interior, quæ nervorum staminibus ubique contextam sese profert, nuncupatur *nervosa*. Tunicæ præfatæ longe tenujores deprehenduntur in venis, ac minus fibrosæ, quam in arteriis. Arteriæ vicissim contrahuntur in systole, atque explicantur in diastole, non secus ac cor; quamobrem nihil aliud videntur, quam cor ipsum productum, extenuatum, & ut ita dicam effusum per universa corporis organa. De pulsatione arteriarum id præ cæteris adnotandum, eas explicari, uno eodemque tempore, quo contrahuntur ventriculi, & viceversa. Hoc sane fit, quia excipere debent, non secus ac auriculæ, sanguinem, qui per systolen urgetur a ventriculis. Ac propterea arteriæ, & auriculæ adamussim sibi respondent, tum in systole, tum in diastole. Venæ pulsu carent omnino pluribus ex causis, & præsertim ob texturam membranarum longe minus fibrosam, necnon & ob sanguinis per eas longe imminutam ebullitionem.

Munus arteriarum, æque ac venarum præcipuum.

Munus arteriarum præcipuum est sanguinem deducere, ac propellere a cordis ventriculis in reliquas corporis partes, tum pro earum nutritione, & caloris conservatione, tum pro varia humorum in glandulis excretione, tum ut sanguis magis magisque in dies cum aliis immisceatur humoribus, extenuetur, depuretur, digeratur, & perficiatur in organis corporis humani. Quocirca reliquus a nutritione sanguis, atque ab humorum separatione, reducitur per venas a reliquis corporis partibus in auriculas cordis. Ideoque passim ubique occurrunt in venis, ad earum divisionem potissimum, valvulæ quædam tenues, & leves; quæ nihil aliud sunt, quam minimæ expansiones tunicæ venarum interioris, ita fermè instructæ, ac positæ, ut cedant dumtaxat sanguini refluo a reliquis partibus corporis humani per eas ad cor.

Quid sit aorta ascendens, & descendens, item & arteriæ coronariæ.

Ut æque per aortam distribuatur sanguis in universas regiones corporis humani, truncus aortæ communis, ut primum egressus est a ventriculo cordis sinistro, adhuc tamen pericardio inclusus, binas emittit arteriolas coronarias, quæ, uti ante innuimus, effunduntur per universam cordis substantiam. Extra pericardium sursum tendit indivisus, & fere recta quatuor circiter digitos. Mox plures germinat ramos; quorum pars maxima dirimitur per partes supernas, per brachia videlicet; & per

(a) *In administr. Anatom. lib. 7. cap. 5.*

per membra capitis, tum exteriora, tum interiora. Subinde truncus paululum decrescit, & reflectitur sinistrorsum per partes internas. Quamplurimos quoque emittit ramos, quibus propagatur per membra thoracis universa, ventris imi, necnon et per crura. Quamobrem truncus iste a situ, atque munere *aorta* dicitur *descendens*. Alter contra vocatur *aorta ascendens*.

Ulteriores divisiones trunci aortæ ascendentis.

Rami aortæ ascendentis, qui producuntur utrinque per artus superiores, & brachia potissimum, ad digitos usque extremos, nuncupantur *subclavii*, donec usque tamen egressi nondum sint cavum thoracis. Postmodum ab humero summo ad extremum usque manus extremæ vocantur *axillares*. Reliqui, quorum quatuor occurrunt magis conspicui, distribuuntur in *carotides*, & *vertebrales*, sive *cervicales*. Binæ sunt carotides, & totidem cervicales. Omnes æque per collum ad caput ascendunt. Carotides majores sunt. A trunco aortæ descendentis altera, altera a subclavia, ut luculentius infra dicendum, consurgunt per latera tracheæ, ut propaginibus inde suis pene innumeris per partes effundantur capitis internas, æque ac externas. Quamobrem, digitis gulæ appositis, pulsare deprehenduntur trunci arteriarum carotidum. Rami autem pulsant ad tempora. Vertebrales minores per cervicem, per regionem videlicet colli posteriorem, ad cerebrum ascendunt, medullam spinalem ingressæ, cujus substantiam subeunt per foramina vertebrarum. Cervicales utrinque originem ducunt a subclaviis. Carotis sinistra emergit a trunco maximo aortæ ascendentis. Non ita dextera, quæ utplurimum a subclavia dextera. Subclaviæ rursus plures ramusculos emittunt, quorum alii dicuntur *intercostales superiores*, *musculares* alii, alii nuncupantur *mammarii*, id nominis a partibus, quibus prospiciunt, ducentes.

Distributio trunci aortæ descendentis.

Aorta descendens non procul a principio germinat, minimas producens arterias, quæ *bronchiales* dicuntur. Exinde intercostales emittit inferiores ubique, quarum ramos enumeramus viginti. Inter Intercostales, in regione fere diaphragmatis, pullulat *phrenica*; quam subsequuntur arteriæ *lumbares*, *cœliacæ*, *meseraicæ*, *hæmorrhoidales &c.* Insigniores tamen sunt arteriarum trunci *emulgentes*, qui a trunco aortæ communi descendenti producuntur ex utroque latere ad renes, quorum substantiam, pluribus dispersi ramis, ingrediuntur. Emulgens sinistra magis eminere solet, quam emulgens dextera.

Quid sint trunci iliaci.

Aorta descendens ad principium ossis sacri superscandit venam cavam descendentem; mox finditur in truncos iliacos, qui, nonmodo effunduntur per pudenda, per regionem umbilicalem, hypogastricam &c.; verum etiam producuntur per artus inferiores ad pedes usque extremos.

Quid intersit discriminis inter aortam & cavam.

Quicquid innuimus de distributione arteriarum, dictum quoque volumus de distributione venarum; eo tamen discrimine, quod truncus venæ cavæ longe amplior deprehenditur in exortu, quam truncus arteriæ magnæ. Insuper truncus venæ cavæ, nondum egressus a pericardio, in truncum dividitur ascendentem, & descendentem. Præterea venæ, quæ in trunco venæ cavæ arteriis respondent carotidibus, ab Anatomicis dicuntur *jugulares*.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De Thymo.

Quid sit thymus.

IN parte thoracis superna, e regione juguli, ibi ferme, ubi arteria aorta, & vena cava ascendentes dividuntur, offendimus, inter subclavias, corpus quoddam glandosum, valde molle, spongiosum, albicans, quod duabus utplurimum, vel tribus congregatur glandulis minoribus. *Thymus* dicitur. In pueris, & fœminis longe major esse solet thymus, & mollior, item & in vitulis, atque hœdis. Quocirca in deliciis conviviorum habetur.

Quid sit thymi structura, & usus.

Arterias, venasque habet a proximis carotidibus, & jugularibus. Nervos a pari vago. Habet quoque lymphæ ductus, quos præ cæteris in vitulis observamus. Lymphæ ductus a thymo producuntur in venas axillares. An tamen emergant a thymo, nec ne, adhuc obscurum est. De ductu thymi excretorio nondum habemus, qui illum observasse affirmet, sedulo licet in hunc finem accuratissime rimati sint thymi texturam plerique Recentiores. Quod maximam porro nobis suspicionem facit, an revera glandula sit. Enim vero glandulas hasce habent nonnulli, tamquam lymphæ, chylique diverticulum a ductu thoracico; quod longe probabilius evaderet, si fides Bartholino habenda sit, qui thymum lacte turgidum in recens natis non semel observasse profert. Regnerus de Graaf humore potius quodam limpidissimo thymi glandulas turgentes vidisse affirmat. Quamobrem adsunt inter Recentiores, qui opinantur, thymum glandulam esse conglomeratam, fidenter sibi suadentes, præcipue inservire humori a sanguine secernendo, qui colligitur in pericardii cavo.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Res est valde adhuc incerta, qua ratione cor moveatur.

QUOD cor moveatur motu quodam pulsatili, qui systole, & diastole jugiter alternetur, id observatio sensibilis luculenter declarat. Quod motus hujusmodi, ut vita humani corporis organica conservetur, necessario exigatur, id quoque sensibus nostris procul ab omni dubitatione abunde satis percepimus. An autem ab influxu spirituum animalium, an a motu sanguinis circulari, an a fermentativo, an a sola fibrarum structura mechanica, motus cordis præfatus vitalis excitetur, id non satis hactenus exploratum habemus; eoque minus, quod in vilioribus insectis nonmodo, verum etiam in nobilioribus, necnon etiam in avibus præsertim rapacibus, in anseribus, & in ipsis quadrupedibus adhuc viventibus, corde quamvis reciso, pulsationes in ventriculis, æque ac in auriculis ad aliquot saltem tempus alternari deprehendimus, spirituum quamvis per nervos influxu, æque ac motu sanguinis circulari omnino præcluso &c. In re tam dubia, tamque difficili, ac pene inextricabili, non secus ac in aliis ejusdem generis, quicquid alii probabilius protulerunt, & nos donec novi aliquid, quod veritati magis consonet, sive mathematice demonstrando, sive physice experiundo, nobis excogitare datum sit, cum eadem probabilitate proferre contenti erimus.

CA-

CAPUT XXIV.

De Sanguinis Constitutione, ac Motu.

Declaratur sanguinis constitutio, & varius motus.

QUUM sanguis, uti monuimus, duplici constet humore sensibili, *sero* nempe, ac *cruore*, negare haud debemus, quum id vel sensibus appareat, partem fluidam esse corporis humani viventis dissimilarem, quæ duabus saltem partibus non ejusdem generis congregetur. Verum enim vero, quia posito cruore, positoque sanguinis sero, positis videlicet in massa sanguinis partibus iis solis, quas sensibus attingimus, neque percipere, neque explicare possumus, per hasce partes sensibiles, innumeras pene affectiones, quibus sanguis & secundum, & præter naturam affici solet in corpore humano vitam habente, necessitate adducimur, ut inducamus præter præfatas partes sensibiles, & alias insensibiles, quibus & serum, & cruor compingitur, massæ sanguinis inesse. Quod, ut satius innotescat, præscire juvat, triplicem esse sanguinis motum, qui corporis humani vitam animalem, atque organicam excitare, fovere, & conservare valet. Unus dicitur *fluiditatis*. Alter *fermentativus*. *Progressionis* tertius, sive *localis*.

Quid sit motus sanguinis fluiditatis.

Motus Sanguinis fluiditatis, est motus ille sanguinis intestinus, quo fluit sanguis, quo videlicet sanguis est de genere fluidorum: atque adeo, quo distinguitur a mixtis solidis, quæ arginibus, sive terminis alienis, ut cum Philosopho loquar, licet non detineantur, attamen consistentes in seipsis nequaquam effunduntur.

Quid sit motus sanguinis fermentativus.

Motus sanguinis fermentativus, est motus ille sanguinis intestinus, quo massa sanguinis intime sese exagitans, effervescit, ebullit, calorem suum naturalem sibi nacta fovet, conservatque: alteratur, digeritur, extenuatur. Per motum hujusmodi fermentativum sanguis est de genere mixtorum, quæ fermentationis ope incalescunt, non secus ac mustum in doliis recens conditum, cerevisia &c.

Quid sit sanguinis motus localis.

Motus sanguinis localis, sive progressionis, est motus ille, ut ita dicam, exterior, quo sanguis de loco in locum subinde per vasa sanguifera in gyrum movetur ad irrigandas universas humani corporis partes viventes, tum exteriores, tum interiores; quas iccirco irrorat, humectat, calefacit, vivificat, & nutrit. Per motum localem, sive progressionis haberi potest sanguis de genere *proiectorum*, sive *propulsorum*, de quibus prolixe in Tractatu de Motu verba fecimus.

Unde, penes nos, probabiliter provenit motus sanguinis fluiditatis.

Motus sanguinis fluiditatis, uti ex physicis habemus, non secus ac in reliquis mixtis fluidis, item & in eodem sanguine, provenit a motu ætheris illius, qui minimas ingreditur intercapedines minimorum sanguinem componentium. Æther enim est, uti alibi palam fecimus, & præsertim in Tractatu de Motu: æther est, inquam, qui per rapidissimam Orbium vertiginem, valide, ac celerrime exagitatus, concitatusque, sese immittit inter moleculas mixta fluida componentes, quas iccirco movet, exagitat, atque huc illuc impellit, & præsertim ab interioribus versus exteriora &c.

Unde, penes nos, probabiliter provenit motus sanguinis fermentativus.

Motus fermentationis excitatur in sanguine, eoquod ab æthere, materia secundi generis penitus exclusa, sola per poros minimorum massam sanguinis componentium moveatur materia primi generis;

neris; quæ hoc in casu motum longe majorem sibi comparat, moleculas sanguinis minimas longe validius circumagit, easque intime subit, solvit, infringitque.

Unde, penes nos, provenit probabiliter motus sanguinis localis.

Motus sanguinis localis, sive progressionis producitur in corpore humano per systolen potissimum cordis, arteriarumque; quarum parietes sese contrahentes, sanguinem contentum urgent, comprimunt, atque, ut ita dicam, exprimunt; qui, valvulis reluctantibus, quum retrocedere nequeat cor versus, necesse est, ut ulterius procedat: a corde nimirum in arterias, ab arteriis in venas, a venis in auriculas cordis, ab auriculis in ventriculos, a ventriculis iterum in arterias, & sic deinceps, tamquam a centro corporis humani ad circumferentiam, atque a circumferentia, uti diximus, ad centrum &c.

Calor naturalis in corpore humano vitam habente provenit a calore ipsius sanguinis.

Motus sanguinis præfatos ad vitam, æque ac sanitatem corporis humani conservandam adeo necessarios existimamus, ut nonnisi per ipsos, quicquid passim contingere solet in homine vitam habente, ratione corporis organici, aut proxime, aut remote fieri posse autumemus. His de triplici sanguinis motu naturali per vasa sanguifera ita prælibatis, adnotandum superest, calorem illum naturalem, quo corpus humanum adhuc vivens fovetur, exoriri a sanguine, qui per organa in gyrum movetur; qui quodammodo fervet, atque intus ebullit, atque adeo partes, quas alluit, blande calefacit.

Triplex ratio, qua in corporibus mixtis calor excitatur.

Calor in mixtis, uti habemus quoque ex physicis, provenit a motu quodam intestino minimorum corpora mixta componentium; qui, experientia teste, inducitur in mixtis, sive *igne admoto*, sive *mutuo solidorum attritu*, sive *fermentatione*. Igne admoto toties succenditur materia combustibilis, & calefiunt corpora omnia, quoties vel ea ad ignem, vel ignis ad ea admoveatur. Mutuo solidorum attritu excutimus ignem ex silice. Inflammatur, quum per axem in curru celeriter circumagitur rota &c. Fermentatione effervescit, uti monuimus, & mustum, item & cerevisia in doliis; calx viva, tum quum aqua solvitur communi &c. in quibus sane minimæ partes componentes solvuntur, moventur, exagitantur, una & resolvuntur ab æthere tenuissimo, de quo non semel ex professo loquuti sumus. Hoc posito, ita ratiocinari debemus. In sanguine non inducitur igne admoto. Non mutuo solidorum attritu. Ergo per fermentationem. Non inducitur igne admoto; commentitium quippe, ac plane chimericum flammulam ducimus inesse visceribus naturaliter succensam, aut calorem insitum, hisque similia, quæ non modo Veteres, verum & ipse Cartesius fabulatus est. Non inducitur mutuo solidorum attritu; sanguis enim fluorem quamvis habeat, qui propterea quamvis in gyrum moveatur, motus tamen is per tubulos progressionis idoneus nequaquam videtur calori in eo suscitando; quando quotidie observamus motus hujusmodi longe validiores in fluminibus decurrentibus, quin aqua ita decurrens, vel minimum, per alveum, ac litus, validissime quamvis affricetur, incalescat. Concludendum itaque superest, induci in sanguine per fermentationem: idest per motum quemdam intestinum, quo, uti monuimus, minimæ partes sanguinis componentes ab æthere concitatæ exagitantur, & præcipue a materia primi elementi, ut alibi fuse docuimus.

Quod

Quænam sint minimæ partes, quæ probabilius massam sanguinis constituant.

Quod quum ita sit, rationi consonum videtur inferre, sanguinis massam congregari particulis quibusdam, quæ sensus nostros minime licet afficiant, fermentationi concipiendæ plurimum tamen idoneis: *alKalicis* nempe, atque *acidis*; quæ, uti in Tractatu de fermentatione palam fecimus, sunt principia fermentationis. Quia autem fermentatio sanguinis, suapte natura, lenis esse solet, ideoque præter partes præfatas alkalicas, acidasque, quæ, ratione fermentationis, veluti causa proxima efficiens, & proprie occasionalis habendæ sunt, per eas quippe, tamquam per conditiones necessarias proxime quasi excitantur, ponamus necesse est in massa sanguinis partes alias, quæ fermentationem nimiam temperant, & quodammodo coerceant; quales sunt particulæ sanguinis oleaceæ, butyraceæ, sive balsaminæ, quas sulphureas vocamus; quæque, utpote molles, flexiles, plicatiles, ac in minimos veluti ramusculos ubique distractæ, effusæque, aliis immixtæ, præstant, eas implicando, ne cum impetu in fermentatione circumagantur. Quapropter in massa sanguinis, ut calorem fermentativum corporis humani viventis explicemus, una & reliquas omnes proprietates, tum naturales, tum præternaturales, ponamus oportet, & partem *alKalicam*, & partem *acidam*, & partem *sulphuream*, sive *balsaminam*. Reliquæ si quæ præter hasce insint in sanguine partes constituentes; *aquosæ* videlicet, sive *phlegmaticæ*, *terrestres*, sive *tartareæ*, ab iis diversæ, ibi potius inservire autumabimus, tamquam vehiculum, & tamquam menstruum solvens, quod reliquas solvat, atque hinc inde vehat; & veluti frenum eas detineat, ne ob volatilitatem nimiam extenuatæ, plane in auras evanescant.

ANIMADVERSIONES PRIMÆ.

Declaratur quicquid nos intelligere velimus, quando dicimus alkali, acidum, sulphur, aquam, & terram, ratione constitutionis sanguinis.

SI quis inter Chymicos, probe, ac mature philosophandi indoctus, objiciat, partem acidam neutiquam elici a sanguine, hunc rogamus primo, ut, quæso, ostendat, neque ignem, neque menstruum aliud solvens ab igne diversum delevisse, ac omnino destruxisse, sive comminuisse, vel adeo saltem extenuasse partem sanguinis acidam, ut ipsa imposterum acorem suum haud potuerit amittere: quod profecto plurimum difficile censemus. Atque id si nihilominus fecerit, respondemus, partem eam sanguinis *acidam* dixisse, non quia saporem revera præseferat acidum, verum quia eosdem propemodum effectus præstare valet in fermentatione sanguinis, quos præstare solent particulæ acidæ cum alkalicis effervescentes; adeo ut, ratione fermentationis calcis vivæ tum quum solvitur aqua communi, non secus ac *alKali* habetur *calx viva*, ita & *acidum* haberi poterit *aqua communis*, insipida quamvis, atque acoris intrinsece prorsus expers &c. Quicquid dicimus de parte sanguinis acida, idem ferme dicendum existimamus de parte alkalica, de parte oleacea, sive sulphurea ejusdem sanguinis. Quapropter in eo discrepare non placuit a chymicis cordatioribus, qui observando, & ratiocinando, rem potius, quam voces in rebus medicis pervestigare aggrediuntur, cum quibus propterea *alKalicas* appellamus particulas quasdam sanguinis magis raras, ac pervias. Dicimus *acidas* particulas alias nonnullas ejusdem sanguinis solidiores, magis compactas,

pactas ac pene impervias, quæ sive spicula habent, sive excessus quosdam, sive sunt in minimos aptatæ cylindros, qui pervadere queunt spiracula, vel meatus minimos insensibiles partis alkalicæ; a quibus propterea omnino exclusa materia secundi generis, sanguinis fermentatio suscitatur. *Sulphureas* dicimus particulas alias sanguinis molles, flexiles, plicatiles, & nimiæ sanguinis fermentationi cohibendæ plurimum idoneas. *Phlegma*, sive *serum*, sive *lympham* sanguinis dicimus partem eam sanguinis fluidam, quæ reliquas solvit sanguinis partes, ut vim suam, nisum, sive virtutem opportune exerere valeant. *Caput* tandem *mortuum*, sive *tartarum*, sive *terram* dicimus sanguinis, quicquid crassioris magis gravitat in massa sanguinis, ac per eam fluitando, tamquam frænum cohibet reliquas sanguinis partes leviores, volatilioresque, ne præ nimio motu concitatæ dissipentur. At enim vero a vocibus præfatis si quis adhuc abhorreat, plenam æquo animo ei facimus potestatem, ut non procul ab hypothesi Galenica appellare ad libitum possit partem sanguinis sulphuream *sanguinem stricte sumptum*, *bilem* partem alkalicam, acidam *melancholiam*, sive *atrambilem*, phlegmaticam *pituitam*; dummodo cum nobis unanimi consensu, quicquid vocibus istis in Re medica designare velit, clare, & distincte exponat.

ANIMADVERSIONES SECUNDÆ.

Opinio galenica item & chymica, ratione partium, quæ massam sanguinis constituunt.

SAnguis, veluti pars dissimilaris vel a Priscis olim habebatur, quam quatuor iccirco humoribus præcipuis constare tradebant, *sanguine stricte sumpto*, *pituita*, *bile flava*, *atrabile*, quam *melancholiam* item appellare consueverunt: sanguinem stricte sumptum humorem esse affirmantes sanguinis peculiarem *calidum*, atque *humidum*: pituitam humorem *frigidum*, atque *humidum*: bilem flavam, *calidum*, & *siccum*: atrambilem, sive melancholiam *frigidum*, & *siccum*: id elementorum ad normam quatuor Aristotelis, *aeris* nempe, *aquæ*, *ignis*, & *terræ*. Hinc pro hujus, vel illius humoris in sanguine excessu diversa corporis humani viventis excogitabant Galenici temperamenta; atque affectiones fere omnes, sive omnis intemperies ejusdem corporis humani viventis pro eorum excessu, aut defectu exoriri decreverunt. At enim vero vetus ista opinio, detecto præsertim motu sanguinis circulari, plurimum suspecta esse cœpit Recentioribus; qui per analysin iccirco chymicam in massam sanguinis acriter inquirentes, alia sanguinis principia enucleare aggressi sunt; proferentes, cum Willisio præsertim, quinque esse partes præcipuas, quæ sanguinis massam constituunt, *sulphuream*, *alkalicam*, *phlegmaticam*, *terrestrem*, atque *acidam*; eo tamen discrimine, quod pars sulphurea, & phlegmatica præ cæteris maxima sit, pars acida, & terrestris minima, vixque sensibilis; proferentes præterea partem sulphuream, alkalicam, & phlegmaticam volatiliorem esse, quæ propterea de facili dissipatur, atque evanescit. Fixam contra affirmant, partem esse acidam, & terrestrem; eoquod, sanguine ad ignem admoto, reliquis evanescentibus, salia acida, ac pars terrestris resistunt; quocirca, vel fundo subsidunt vasorum, vel lateribus adhærescunt sub forma, sive *salis*, sive *tartari*.

Quare opinio galenica, item & chymica hic nobis improbanda videatur.

Principia Chymicorum præfata, sive elementa, accommodata magis licet videantur vicissitudinibus pene universis, quæ sanguinis causa corpori humano vitam habenti occurrunt, exponendis, explicandisque; attamen ea quoque, non secus ac Galenicorum humores, maximas patiuntur difficultates; & ea quamvis, sive ignis, sive aliorum menstruorum ope per chymicos a sanguine eliciantur, suspicari adhuc possumus, neque injuria, ne per ignem, neve per alia menstrua ab igne diversa plane immutentur, & de novo quasi excitentur ob mutuam unionem particularum, sive menstrualium, sive earum, quæ per ignem in materia combustibili exaltantur, cum aliis particulis, quas in eodem sanguine soluto offendunt. Insuper partes istæ diversæ, quas tamquam principia componentia ex corporibus mixtis educere contendit analysis chymica, extenuatæ, exaltatæ, ac defæcatæ quamtumvis sint, crassissimæ tamen haberi debent ratione earum, quæ, & ob maximam tenuitatem sensus nostros fugiunt, & eoquod concitatissimæ sint, in vasis, optime licet stipatis, detineri minime possunt, ex quibus, in sanguine præsertim, provenit calor, & reliquæ qualitates, tum expositæ, tum exponendæ. Atque adeo nescio quid *dogmatici* redolere existimandum ducimus hypotesin Galenicam, quæ observationibus minime respondet, Nescio quid *Empirici* chymicam, quæ, rationibus omnino posthabitis, sensibus fidit nimis. Ea contra, quam cum aliis non ita pridem & ipsi excogitavimus, quam hic proposuimus, quamque per varias observationes sensibiles ratiocinando eduximus, experientiæ, æqueac rationi innixa videtur.

ANIMADVERSIONES TERTIÆ.

Ea, quæ nos dicimus principia fermentationis, improprie principia, sive elementa dicuntur.

Fermentatio in genere nihil aliud est, quam *motus quidam intestinus minimorum mixta componentium, quo soluta mixtorum compage, mixta immutantur, digeruntur, & quandoque omnino destruuntur, de alia in aliam formam transeundo*. Motus iste intestinus in mixtis fermentando idoneis inducitur a materia quadam tenuissima, maxime mobili, ac maxime concitata, quam nos *primi generis*, sive *primi elementi* in physicis nuncupavimus, quæque per eorum minimos meatus, perque eorum intercapedines, soluta, ac libera, & sui, ut ita dicam, juris facta, celerrime movetur, atque exagitatur. Id pluribus quamvis ex causis contingere possit, fermentationem passim tamen suscitari observamus in mixtis alkalicis, quæ salia imbibunt acida. Quocirca acidum, atque alkali penes chymicos plerosque habentur veluti principia, sive veluti fermentationis elementa. Perperam utique, quum neque principia, neque elementa proprie dicenda sint. Non dicenda sunt principia, quia uti diximus, & uti dicturi sumus, sunt corpora completa, quæ *materiam* suam, & *formam* habent peculiarem. Non dicenda sunt elementa, quandoquidem elementa corpora licet completa sint, simplicissima esse debent, quæ propterea aliis corporibus simplicioribus haud componuntur. *Elementa* enim, penes Physicos, sunt *corpora completa, simplicissima, quæ reliqua corpora mixta componunt, & in quæ postremo sive resolvuntur, sive resolvi possunt eadem corpora mixta,*

quæ

quæ iis componuntur. At acidum, item & alkali tantam neutiquam habent in rerum natura simplicitatem, ut & aliis corporibus completis simplicioribus non componantur, atque in alia simpliciora resolvi nequeant. Quicquid de acido, & alkali innuimus, dicendum quoque videtur de reliquis chymicorum elementis, quæ vires suas exerere, easque in natura exercere minime possent, nisi essent corpora mixta, moleculis videlicet conflata materiæ tertii generis, sive tertii elementi, de quibus in dissertationibus nostris de Fermentatione, necnon etiam in Tractatu præsertim de Motu, satis superque loquuti sumus.

ANIMADVERSIONES QUARTÆ.

Brevi describitur salium varietas, & natura.

NIL quamvis antiquius in Re medica, atque usitatius, adhuc tamen incertum, obscurum, atque ambiguum est, quid id nominis *sal* vere designet. Sal, sive Græcis *Hals*, vulgo dicitur mixtum quoddam, sive naturale, sive artificiale, aut crystallinum, aut veluti crystallinum, quod aqua facile solvitur, ac denuo, uti prius, aqua præsertim absumpta, evaporataque, concrescit. Hinc salium duplex classis, *naturalium* nempe, atque *artificialium*. Salia naturalia, vulgo sunt *commune*, sive *marinum*, *sal gemma*, *nitrum*, *alumen*, *ammoniacum*, *vitriolum*, & reliqua, si quæ alia in fodinis suis peculiaribus congregentur, de quibus præ cæteris Schroderus, Hoffmannus, Ettmullerus, Lemery, novissime Guglielmini, & reliqui profuse scripsere. Artificialia eliciunt chymici ex triplicis generis materia, *vegetabili* scilicet, *animali*, & *minerali*, quæ quum sint pene innumera, hic prolixe recensere non lubet. Id tantum pro instituti ratione hic adnotare satis sit, salia artificialia distingui in *essentialia*, & *cinericia*. Essentiale dicitur sal, quod elicitur ex decoctionibus mixtorum naturalium, & potissimum plantarum, eoquod participare credatur de natura, sive essentia mixti illius naturalis, unde elicitur. Cinericium vocatur sal, quod ex mixtis naturalibus, per combustionem in cinerem pridem versis, educitur. Præterea salia in genere modo dicuntur *fixa* a Recentioribus, modo *volatilia*, modo *fusa*, modo *concreta*. Dicitur fixum sal, quum vel ad ignem admotum concrescit potius, quam sive fundatur, sive in auram exaltetur. Volatile dicitur, quum aut ignis calore, aut Solis, aut alia de causa exaltetur, atque evanescat. Dicitur fusum, quum sub forma humoris, liquida nempe, sese perhibeat. Dicitur concretum, quum in substantiam solidam concrescat. Salia tum fixa, tum volatilia, tum fusa, tum concreta, tum artificialia, tum naturalia, tum essentialia, tum cinericia, *acida* quandoque nuncupari solent, quandoque *alkalica*, quandoque *acria*, quæ utplurimum alkalica, item & acria sunt. Dicuntur acida, si particulis congregentur oblongis, acutis, non friabilibus, & quodammodo scindentibus. Dicuntur alkalica, quæ friabilia sunt, ob meatus minimos innumeros, sive ob minima spiracula insensibilia, quibus perviæ, atque adapertæ undequaque, sese perhibent moleculæ eorum componentes, particulis acidis imbibendis, destruendisque idoneæ. Alkali enim nihil aliud sonat, penes saltem Lexicographos nonnullos, quam

acido inimicum. Acria tandem dicuntur, si præter insensibiles meatus superficiem habeant asperam, rudem, atque, ut ita dicam, ob varias, quæ extuberant, particulas angulares, plurimum inæqualem; quæ iccirco scindit, lacerat, absumit, exedit, & quodammodo adurit, linguam præsertim, & fauces, quibus salia præfata acria apponuntur. Hinc perperam vulgo salia acria cum acidis interdum confunduntur. Salia acida quippe refrigerare, acria contra incendere potius valent, uti deinceps, ubi de Elementis luculentius, dicendum erit.

CAPUT XXV.

De Vita, & Morte Hominis.

Quid sit in homine Anima rationalis.

QUamdiu corporis organa in homine rite sint constituta, ac per vasa sanguifera quamdiu apposite sanguis in gyrum moveatur, ac reliqui per ductus suos peculiares rite fluant humores, tamdiu & *vivere*, & *sanus*, ac prospere vivere dicitur homo, ratione corporis organici. Vita tamen ejusmodi est hominis plane *corporea*, *materialis*, atque, ut ita dicam, mechanica, quam cum brutis communem habet. Verum enim vero, quum animal ratione præditum homo sit, vitam habeat item necesse est rationalem, cujus ope cogitet, percipiat, judicet, ratiocinetur. Hinc inferre debemus vitam humanam, non tantum emersisse ex vario organorum motu, quæ humoribus per ea decurrentibus concitantur, ut perperam, quam impie non minus præ cæteris olim somniavit Democritus; verum etiam ex variis cogitationibus, quas elicimus a substantia quadam incorporea, materiæ prorsus, item & corruptionis experte, quæ corpus nobis informat organicum; eique intime unitur, carnem intrinsece animans humanam. Substantiam hanc spiritalem, incorpoream, materiæ prorsus expertem, immortalem, *Animam* propterea vocamus *humanam*. Hanc dicimus *Mentem humanam*, sive potius *spiritum hominis* rationalem.

Quid requiritur, ut homo integre vivat.

Carnem animat humanam, secus enim neque ullum ab organis percipere posset homo sensum prorsus incorporeum, neque ullum in organis ad nutum voluntatis motum excitare. Hinc ad vitam humanam requiritur primo, *prioritate* saltem *naturæ*, ut vivat, ut ita dicam, *materialiter* corpus humanum organorum ope, quibus construitur. Secundo requiritur, ut anima vivat rationalis, quæ, corpus, licet in homine destruatur, ipsa, quum sit prorsus incorporea, & iccirco immortalis, destrui minime potest. Requiritur tertio, ut ea conservetur unio, qua anima humana rationalis organis intime consociata corpus informat humanum, tamquam hominis *forma substantialis*, & peculiaris.

Quid sit vita corporis humani materialis.

Vitam corporis humani materialem describere possumus, *actionem esse, sive motum organorum, qui vel proxime, vel remote provenit in corpore humano a motu præsertim sanguinis circulari per meatus sanguiferos: idest a motu, sive potius a pulsatione cordis*, quod est organum, uti diximus, præcipuum, cujus ope sanguis in gyrum propellitur per organa præfata; atque adeo est organum præcipuum, quo reliqui omnes impelluntur humores, quibus in organis motus vitales excitantur.

Vitam animæ incorporeæ, sive rationalis,

Quid propriè sit vita animæ rationalis.

quæ propterea necesse est, ut vita sit omnino spiritalis, dicendum est, *actionem esse pure spiritalem mentis incorporeæ; qua, utpote rationalis, cogitando, percipit, judicat, atque ratiocinatur.*

Quid sit vita hominis.

Vitam hominis inferre debemus, *actionem esse quamdam mutuam, qua organorum motus, licet materiales, excitare valent cogitationes nonnullas animæ, sive mentis materiæ prorsus expertis, quæ organa informat, & qua alternatim cogitationes animæ, spiritalis licet, excitare possunt, in organis per eamdem animam informatis, motus quosdam peculiares, ob eam videlicet intimam unionem, qua anima rationalis corpus in homine organicum informat.* Atque, ut id cuique satius innotescat, ponamus ex. gr. radios lucis reflexos ab objecto visibili per pupillam immissos, ac per humores oculorum infractos retinam ita movere in bulbo, ac per retinam fibras opticas, sive potius substantiam interiorem in nervis opticis, ut ex sensorio communi visionem excitent, speciem nimirum cogitationis, sive sensus, quam *visionem* appellare consuevimus; quæ profecto in homine corporeo sine anima incorporea fieri minime potest. Hæc est *cogitatio* mentis incorporeæ, uti patet, excitata in homine vitam habente per motus organorum materialium. Ponamus e converso, eamdem mentem incorpoream imperando exegisse, ut in corpore humano, quod informat, flectatur ex. gr. brachium. Flectitur statim brachium, ea prævia cogitatione, ad mentis nutum, si modo sanus vivat homo, eoquod spiritus animales, veluti ex præscripto mentis ita imperantis, propellantur a cerebro per nervos in fibras motrices musculorum, qui brachio flectendo inserviunt. Motus ejusmodi est *motus* organorum materialium, qui elicitur in corpore humano vitam habente per cogitationem mentis incorporeæ, idest materiæ prorsus expertis, quæ corporis organa informat; & qui iccirco excitari in organis nequaquam potuisset, nisi ab anima incorporea essent intime informata.

Quid sit mors in eodem homine, qui vitam prius habebat.

Ex quo inferre debemus, quum cesset unio præfata in homine inter animam humanam, & corpus organicum, quod in eo ab eadem anima informatur, tum cessare quoque actionem eorum mutuam, qua, uti ante jam diximus, homo, utpote animal rationale, vivit. Quo in casu *moritur* homo: destruitur videlicet in rerum natura animal illud rationale, quamvis anima rationalis vivat inde seorsim ab eo corpore humano, quod pridem informaverat. Corpus autem humanum, adhuc licet subsistere quodammodo posset, ratione figuræ exterioris, non amplius vivit; quinimmo formam sibi inducens cadavericam, quatenus mortale, paulatim subinde destruitur. Hinc dicitur *cadaver*, sive corpus humanum extinctum, simul atque in eo cessaverit actio, sive motus organorum vitalis, qui, uti diximus, sive proxime, sive remote provenit a motu sanguinis circulari, videlicet a motu cordis pulsatili. Inde liquet, quod Medicus clinicus, ut vivat homo in rerum natura, sanitatem, & vitam corporis organici plane respicere debet; quandoquidem tamdiu sanus erit, & tamdiu sibi vitam in terris servabit, quamdiu in eo sanitas, & vita corporis organici manere, ac vigere poterit.

Triplex vita hominis, quamdiu vivit homo, metaphysice tantum distinguitur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

COR, ut ex iis, quæ hactenus innuimus, abunde colligitur, haberi debet veluti fons, & principium vitæ organicæ corporis humani viventis. Tripliciter vitam, methaphysice saltem cogitando, ratione hominis actu viventis, considerare expedit. Ratione nimirum: *corporis organici viventis* in homine defecturi, quod ab anima incorporea, non defectura informatur: *animæ*, sive mentis incorporeæ, in homine non defecturæ informantis: *totius hominis*, qui consurgit ex mutua unione corporis organici, ac animæ, sive mentis incorporeæ; quæ veluti partes constituentes ex lege divina consociantur in rerum natura, ut animal illud præstantissimum ratione præditum *Hominem* constituant; qui, quamdiu inter corpus organicum, atque animam incorpoream unio præfata conservetur, tamdiu vivat statutum est. Unio autem ista tamdiu in homine conservari debet, quamdiu in eo vita corporis organici conservetur, uti fusius in sequentibus, & luculentius exponam.

CAPUT XXVI.

Quid sit Sanitas Corporis humani vitam habentis.

Definitur sanitas corporis humani.

ACtio, sive organorum motus, in quo consistit vita corporis humani viventis, ita quandoque est, ut munus suum perfectissime exequantur partes singulæ componentes; quo in casu *sanum* vivere dicitur corpus humanum; *morbo* contra affici, quum non ita se res habeat, adhuc licet vivere possit idem corpus humanum. Quocirca sanitatem corporis humani viventis definire optime liceat, *qualitatem quamdam esse, sive statum perfectissimum humani corporis vitam habentis; in quo singulæ ejus partes, tum solidæ, tum fluidæ munus suum peculiare sive absolvunt opportune, sive absolvere valent*. Hinc illud Galeni (a). *Non operari, sed posse, est sanum esse*. Quocirca apposite sanitatem describens, nil aliud esse tradit Sennertus, quam *eas, quæ secundum naturam sunt, actiones exercendi potentiam ex partium omnium naturali constitutione dependentem*. Ex quibus subjectum sanitatis esse liquet *corpus humanum vivens*, partes scilicet corporis humani vitam habentis. Etenim, quæ haud vivunt, quibus propterea actiones naturales edendi nulla facultas est, neque *sanæ*, neque *ægrotantes* plane dicendæ sunt.

Quo pacto sanum, & morbo affectum se esse cognoscit homo.

Ut rectas edant actiones partes corporis humani viventis, necesse est, ut optime sint constitutæ. Quamobrem, ut causam sanitatis efficientem, & conservantem hauriamus, sedulo, solerterque ea omnia perpendere, atque explorare debemus, quæ exiguntur ad constitutionem naturalem partium, quæ organa componunt corporis humani vitam habentis. Hinc est, quod in Physiologia considerare consueverunt Majores *Elementa*, *Temperamenta*, *Humores*, *Spiritus*, *Calidum innatum*, *Partes*, *Facultates*, atque *Actiones*, item & *Generationem* ejusdem corporis humani; in quo partes componentes plurimum, ex eorum sententia, suscipere, redolere, ut ita dicam, & retinere solent qualitatis seminis illius, ex quo in conceptione consurgunt. Nos item,

(a) *De Moth. diff. cap. 2.*

item, ne Veterum institutum pervertamus, ea omnia in hoc Tractatu, quem præ manibus habemus, hinc inde sparsim, prout res exegerit, dilucide non minus, quam breviter declarabimus. Interea temporis, antequam ulterius procedamus, adnotemus hic oportet, quasi in limine, se vivere non alia de causa hominem cognoscere, nisi ex variis sensibus, variisque cogitationibus, quæ in mente incorporea, quæ corpus animat humanum vivens, excitantur per organa corporea ab objectis sensibilibus, quæ ea, alterando, quodammodo afficiunt. Secundo adnotemus oportet, se sanum esse sentire ex voluptate quadam intima, ut ita dicam, & perfecta, quæ provenit, & conservatur in eadem mente incorporea, ab optima organorum constitutione; quæ, nisi optima sit, aut permolestas doloris, sive mœstitiæ cogitationes, aut pravas, licet suaves, ut in amentibus non raro contingit, aut nullas, ut in apoplecticis, elicere, & fovere solet. Id profecto, quia homine vivente, ob mutuam unionem corporis organici, & spiritus incorporei, necesse est, ut anima humana, quamvis incorporea, uti alibi demonstravimus, sentiat, eo quo possit modo, affectiones corporis illius organici, quod informat; non secus ac idem corpus organicum informatum affici quoque debet in affectionibus animæ informantis, quamvis ipsa materiæ prorsus expers sit. Id in dies experimur in animi præsertim motibus, qui a Græcis *pathemata* nuncupantur; & qui animam quamvis primario afficiant incorpoream, afficere quoque solent organa ipsa corporea; in quibus propterea & morbos inducunt, atque inductos, quamvis inveteratos, sanant, sicuti in mœrore præ cæteris, gaudio, amore, odio, atque ira contingere observamus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

HIS præmissis, longe satius elucescit quicquid tum de vita, tum de sanitate, tum de morbo, tum de interitu corporis humani viventis, æque ac totius hominis pridem innuimus. Elucescit nimirum, vitam corporis humani *actionem esse, sive motum organorum, qui vel proxime, vel remote provenit in corpore humano vitam habente a motu sanguinis, & præsertim circulari, sive progressionis, per vasa sanguifera: idest a motu cordis sese vicissim contrahentis & explicantis*. Vitam mentis humanæ incorpoream, *actionem esse pure spiritalem mentis incorporeæ, qua mens ipsa, utpote rationalis, cogitat, percipit, judicat, atque ratiocinatur*. Vitam hominis *actionem esse quamdam mutuam partim corpoream, qua organorum motus materiales excitare valent cogitationes nonnullas animæ; sive mentis incorporeæ, quæ organa corporea informat & partim incorpoream, qua alternatim cogitationes animæ, licet incorporeæ, excitare queunt in corpore humano organico per eamdem mentem informato motus organorum pure corporeos*. Hinc manifestum item est, ut vivat homo, necesse esse: ut in eo vivat prius corpus humanum: ut inde vivat mens humana ei infusa, atque, ut ita dicam, intime consociata tamquam forma hominis substantialis: & ut unio conservetur inter *corpus humanum* organice, ut ita dicam, vivens ab anima informatum, & inter *mentem humanam* spiritaliter viventem, quæ

Quid sit hominis interitus, sive destructio in rerum natura.

præfatum corpus humanum organice vivens informat. Ex quo liquet, ut vita hominis tandem aliquando destruatur, vitæ humanæ destructioni, *prioritate* saltem *naturæ*, præcedere debuisse destructionem corporis organici. Non ita tamen opinari debemus de vita spiritali mentis incorporeæ; quæ utpote materiæ expers omnino, nisi ad nihilum reducatur, quod in rerum natura plane repugnat, destrui neutiquam posset. Hinc sanitas, eoquod in statu perfectissimo sita sit, revera neque augeri, neque imminui potest. Ægritudo autem modo magis, modo minus intenditur, prout magis vel minus pars affecta laborat, & læditur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ ET PATHOL.

Triplex humani corporis vitam habentis constitutio, sive status ex Galeno.

TRiplicem humani corporis vitam habentis constitutionem, sive statum esse tradit Galenus. *Salubrem*, *insalubrem*, & *neutrum*. Salubris est, in statu videlicet perfectæ sanitatis, tum quum partes ejus universæ componentes, tum solidæ, tum fluidæ ita sint constitutæ ratione tum structuræ suæ peculiaris, tum situs, tum connexionis, tum soliditatis, tum reliquarum omnium qualitatum, ut actiones omnes, tum peculiares, tum communes, individuo conservando, ac speciei propagandæ inservientes, recte, & commode sive absolvant, sive absolvere valeant. Quum res autem non ita plane succedat, *insalubris* habendus est; in quo tria præcipue consideranda veniunt, *morbus*, *causa morbi*, *symptomata*; de quibus universis & in hac, & in sequenti sectione suo loco agendum. Quod quum ita sit, chimericum ducimus omnino, constitutionem neutram sibi unquam comparare potuisse corpus humanum vivens, in qua neque sanitatem habeat, neque ullo morbo quodammodo laboret.

Variæ morborum species in genere.

Morborum, quibus aut afficimur, aut affici possumus alii vulgo dicuntur *humorales*, alii *organici*. Organicus est, qui partibus solidis inhæret. Humoralis, qui fit humorum vitio, quin partes solidæ intrinsece affectæ sint. Morbi tum humorales, tum organici differre solent inter se ratione *magnitudinis*, *motus*, *moris*, *eventus*. Ratione magnitudinis dicitur *magnus*, & *parvus*. Magnus dicitur morbus, qui vel impense affligit, vel vires plurimum labefactat. Contra dicitur parvus. Ratione motus, & præsertim durationis, modo vocatur *longus*, modo *brevis*. Brevis dicitur *acutus*, si cum brevitate conjunctam habeat magnitudinem. Longus nuncupatur *chronicus*, si longus sit una & magnus, non secus *ac hydrops*, *febris hectica &c.* Ex quibus patet nonnullas fieri posse affectiones in corpore humano vitam habente, quæ chronicæ sint ratione *essentiæ*, atque acutæ ratione *paroxysmi*, ut in Epilepsia ex. gr. contingit. Acutus triplex est. *Peracutus*. *Acutus simpliciter*. *Acutus ex decidentia*. Rursus peracutus alter est *extreme peracutus*, alter *peracutus simpliciter*. Extreme peracutus adeo vehementer, atque velociter movetur, ut tertia vel quarta die solvatur, sive ad salutem, sive ad mortem. Simpliciter peracutus ad septimam usque perducitur. Acutus simplex, quum stricte simplex sit, ad diem tendit decimamquartam. Quum laxe simplex ad vigesimam, & ultra. Acutus ex decidentia ad diem qua-

quadragesimam usque perducitur; sin autem terminos hosce preterierit, appellatur *longus*, *diuturnus*, *chronicus*. Item & ratione motus, modo dicitur *continuus*, modo *intermittens*. Continuus est quum sine intermissione a morbi principio ad finem producatur. Intermittens contra quum ex intervallo recurrat. Ratione moris alter dicitur *benignus*, qui leniter affligit, alter *malignus*, qui triplex est, *venenatus*, *pestilens*, *contagiosus*. Venenatus est, qui vitæ corporis humani ob venenum, sive assumptum, sive admotum, sive intus, ob maximam humorum pravitatem, & corruptionem genitum, plane adversatur. Pestilens, qui malignam, & deleteriam, idest perniciosam habet qualitatem, atque in omnes promiscue grassatur. Contagiosus, qui ex commercio in alios quoque facile effunditur. Ratione eventus, *salutaris* alius vocatur, qui nullum scilicet vitæ minitatur periculum. *Lethalis* alius, qui certissimam infert perniciem. *Periculosus* alius, dubii videlicet eventus.

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Axiomata nonnulla ad praxim medicam spectantia.

UT sanitas præsens, constitutio videlicet salubris corporis humani vitam habentis, conservetur, mentem, æque ac animum sedulo intendamus oportet in ea, quæ insequuntur axiomata, quæ non modo ad *hygienen*, verum & ad *therapeuticen* spectare videntur.

I. *Natura nihil agit temere*.

II. *Naturæ omne nimium inimicum est*.

III. *Natura haud subitas fert mutationes; quocirca omnis subita mutatio haudquaquam periculi expers*.

IV. *Natura est morborum medicatrix; Medicus vero Naturæ minister, eamque recte agentem imitari debet*.

V. *Consuetudo altera est natura. Hinc consueta longo tempore, deteriora quamvis sint, insuetis minus molesta esse solent*.

Per ea est, quod, & sanitati conservandæ, & ægritudini destruendæ, sex rerum, quæ a Medicis barbare *nonnaturales* vocantur, usum dirigere debemus. Res sex nonnaturales vulgo dictæ sunt 1. *Aer*. 2. *Cibus*, & *potus*. 3. *Excreta*, & *retenta*. 4. *Somnus*, & *vigilia*. 5. *Motus*, sive corporis exercitatio, item & *quies*. 6. *Animi affectus*, quæ Græcis *pathemata* nuncupantur. Nonnaturales dicuntur, eoquod, neque principia sint, neque causæ constituentes partium corporis humani viventis. Attamen extrinsecus, ut ita dicam, quantumvis adveniant, nonnisi per ea, & sanitas diu, & vita ipsa humani corporis viventis conservari, & species propagari potest; quandoquidem quamdiu iis recte utimur, tamdiu fere semper corpus humanum vivens sanum conservari solet; quod, quum iisdem contra abutimur, tum de facili ægrotat.

Quid sint in sensu medico res sex, quæ non naturales dicuntur.

Verum, ut paucis omnia complectar, cum Celso dicam. (a) *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet*. Hinc enim ad sententiam Ettmulleri, aliorumque nullis strictis, neque Veterum, neque Recentiorum se alliget legibus, sed libertate utatur sua; alias *medice vivere*, *est misere vivere*. At optimum, singulare, ac pene dicam, divinum sanitatis conservandæ præsidium, sive potius oraculum habemus ex Hippocrate, qui scriptum reliquit:

Quid homini faciundum sit, ut sanus conservetur.

(a) *Lib. 1. cap. 1.*

quit: *Sanitatis studium est non satiari cibis, neque impigrum esse ad laborem*. Et alibi: (a) *homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret*. Quamplurimos autem resolvendi, præcavendique morbos rationem idem subministrat, docens, *quiete, atque abstinentia multos, & magnos morbos curari*. Quamobrem optime sobrietas ab Helmontio totius vitæ cardo nuncupatur.

CAPUT XXVII.

Exponuntur Elementa ad Mentem Galenicorum.

Qua ratione elementa dicenda sunt corpora simplicia.

PArtes corporis humani, quum revera sint corpora mixta, non secus ac reliqua omnia corpora mixta, suis congregari debent elementis. Elementa, uti ante jam innuimus, dicuntur in Physica corpora ea simplicissima, quæ reliqua omnia corpora mixta componunt, & in quæ postremo, sive resolvuntur, sive resolvi possunt eadem corpora mixta, quæ iis componuntur. Corpora dicuntur elementa, quoniam partes sunt mixtorum completæ, substantiales, revera existentes in rerum natura, extensionem habentes; secus enim alia corpora physica constituere nequaquam possent. Dicuntur simplicia, eo quod constare nequeant aliis corporibus simplicioribus completis genere diversis. Iccirco elementa constant solummodo *materia*, & *forma*, quæ profecto minime sunt corpora completa, verum tantummodo sunt principia corporum completorum, rerum videlicet naturalium *incompletæ*.

Qualitates præcipuæ, quæ quatuor elementis Aristotelis adscribuntur.

Mixtorum elementa, sive rerum materialium principia completa quatuor sunt penes Philosophum. *Terra. Aqua. Aer. Ignis.* Qua de re (b) Anaxagoram confutavit, aliosque, perperam sibi suadentes, mixtorum elementa extitisse infinita. Eos quoque confutavit Hippocrates unicum tantum affirmans (c) elementum extitisse in rerum natura. Cum Aristotele consensere Galenici universi, ac propterea præfatis elementis adscribere consueverunt; non secus ac idem Aristoteles, easdem qualitates peculiares. Quocirca terram docent frigidam esse, & siccam; aquam frigidam, & humidam; aerem calidum, & humidum; ignem calidum, & siccum. Qualitates hasce *primas* appellant, existimantes eas primo elementis inesse, atque ab iis alias exoriri qualitates, quas iccirco *secundarias* appellant. Quamobrem gravitas ex. gr. in terra, levitas in aere, & reliqua, quæ penes eos sunt qualitates secundariæ, proveniunt a qualitatibus primariis; videlicet a frigiditate terræ, a calore aeris &c.

Distinguuntur qualitates elementorum præfatæ in activas, & passivas.

Rursus qualitates præfatæ aliæ dicuntur *activæ*, aliæ *passivæ*. Activæ sunt, quæ præ cæteris, & ad mutuam elementorum alterationem, & ad mixtorum constitutionem validius agere solent. Passivæ, quæ minus. Hoc posito, definitiones hasce, quamvis admodum obscuras, item & falsas utplurimum, tradunt.

DEFINITIONES GALENICORUM.

I. CAliditas est *qualitas prima activa, quæ congregat homogenea, & disgregat heterogenea*. Hinc in visceribus nostris apud Galenicos humores resolvit, incidit, maturat, extenuatque.

II. Frigiditas est *qualitas prima activa*

(a) *In lib. de diat. n. 1.* (b) *de Cal.* (c) *Lib. de Nat. hum.*

activa, quæ congregat homogenea, simul atque heterogenea. Iccirco in glacie congregata promiscue observamus aquam, paleas, lignum, lapides &c. eo usque per calorem disgregentur. Quocirca in corpore humano calorem temperat nimium, ne solvat mixtorum compagem, adstringit humores, eosque condensat.

III. Humiditas est *qualitas prima passiva, faciens, ut suis terminis subjectum difficile, alienis facile sistatur*. Id liquet in aqua, vino, oleo, & reliquis, quæ humida sunt, & quæ propterea, nisi arginibus detineantur alienis, undequaque effunduntur. Hinc lubricat partes solidas corporis humani, easque molliores facit, & leves.

IV. Siccitas est *qualitas prima passiva, faciens ut facile subjectum suis sistatur terminis, difficile tamen ut alienis aptetur*. Verum enim vero, quum id in igne, calidissimo licet, minime contingat, respondent id fieri *per accidens*, ob maximam nimirum tenuitatem subjecti igniti. Siccitas exiccat partes nonnullas corporis humani, easque exasperat.

Secundarum qualitatum, quæ proxime in corporibus mixtis exoriuntur a temperie, & mixtione primarum, quatuordecim solent enumerare: *raritatem, & densitatem: gravitatem, & levitatem: duritiem, & mollitiem: subtilitatem, & crassitiem: ariditatem, & lubricitatem: friabilitatem, & lentorem: asperitatem, & lenitatem*. Raritas opponitur densitati. Gravitas levitati, & sic deinceps.

CAPUT XXVIII.

Exponuntur ad Mentem Chymicorum.

Fusius describuntur Chymicorum elementa.

QUinque esse tradunt elementa Chymicorum plerique, & maxime Recentiores, non alia de causa, nisi quod per analysin chymicam ex mixtis fere universis naturalibus substantias quinque omnino diversas educere solent, quibus iccirco nomina quoque imponunt diversa, *spiritum, oleum*, sive *sulphur, sal, aquam, terram*. Quo revera nequaquam a Galenicis discrepare videntur. Spiritus enim ob tenuitatem maximam, & mobilitatem particularum suarum componentium, quæ levi de causa dissipantur, convenit cum igne; qua de re nominatur quoque *mercurius*. Qualitates oleo, & sali adscribunt Chymici, quæ non discrepant a qualitatibus, quas aeri tribuit Aristoteles. Enimvero activa esse affirmant spiritum, oleum, & sal. Passiva contra reliqua duo: aquam scilicet, & terram, quæ propterea *caput* item *mortuum* appellari consueverunt.

Salia acida, & alkalica quo sensu dicantur a Recentioribus in Physica.

Varias salis, ac pene innumeras, uti non ita pridem innuimus, esse tradidere species Chymici; quas, & brevitatis amantes, & quia in præcedentibus jam recensuimus, singillatim recensere iterum omittimus. Adnotemus tamen satis hic sit, a Chymicis præfatis acida, & alkalica dici salia, præsertim ratione fermentationis. Ideoque, quoniam salia acida subire commode nequirent alkalica, ut ex mutua eorum unione fermentatio suscitetur, nisi particulæ sal acidum componentes sint quodammodo oblongæ, rigidæ, acutæ, atque scindentes, opinantur Recentiores, salia acida variis congregari particulis oblongis, acutis, angularibus, & quodammodo scindentibus; quo fit ad mentem eorum, ut salia præfata sint erodentia, ac fibras permoleste quandoque pungant, & lædant organorum nostrorum &c. Raras e converso, & pervias esse inferunt particulas, quæ salia com-

compingunt alkalica; quæ propterea nonnisi per minimos meatus, quos habent, salibus acidis inhibendis, absorbendisque fieri possunt idonea. Enim vero friabilia utplurimum esse solent alkalica, & longe minus compacta, quam ea, quæ dicuntur acida. Quocirca & insipida plerumque sunt alkalica; & si quandoque acria, uti observamus in eo sale, penes nos, alkalico, quod improprie a Chymicis vocatur spiritus salis ammoniaci, & inter salia tertii generis ab iis recensetur, id fortasse provenit a superficie aspera nimis, atque erodenti ob asperitatem scindentem particularum componentium, licet friabiles, & perviæ sint, necnon & a motu quodam validissimo, quo solutæ concitantur ob copiam maximam ætheris, qui salia præfata alkalica acria, tum ob raritatem tum ob tenuitatem earum undequaque subit, ambit, easque huc illuc celerrime impellit, exagitat, infringitque. Hinc salia hujusmodi facile avolant, atque evanescunt; quinimmo, avolando, nares acriter, atque oculos proxime adstantes stimulant. Nil mirum itaque si alkali, quum acre sit, palatum, & viscera incendat, humores solvat &c. Acida contra refrigerare solent, atque humores conglutinare, uti observamus de aceto, de succo limonum, de spiritibus sulphuris, item & vitrioli, & tum, quum maxime humoribus sulphureis, atque oleaceis confundantur. At enim vero plura de his si quis cupiat, consulat dissertationes nostras de fermentatione jamdudum in lucem editas, ubi rem pro viribus, fuse, & luculenter, quantum fieri potuit, exposuimus.

CAPUT XXIX.

Exponuntur ad Mentem Democriti, & Cartesii.

AB Anaxagora Philosopho, penes Majores nostros celeberrimo, non multum distare videntur Democritus, Epicurus, item & Lucretius olim, nec non etiam temporibus fere nostris Gassendus; omnes quippe nihil aliud existimavere fuisse elementa rerum naturalium, præterquam numerum atomorum infinitum, quæ ad eorum mentem concursu quodam mutuo corpora mixta universa, sive sensilia, sive insensilia existentia componunt. *Atomos* vocant indiscriminatim minima quædam solida individua varie figurata, quæ iccirco ob tenuitatem quam habent maximam, sensus omnino fugiunt, simplicissima tamen, & completa. Simplicissima, quum in eorum sententia aliis non componantur partibus divisibilibus, utpote individua. Completa, eoquod revera corpora sint figurata, atque existentia, sensus quamvis nostros minime attingere valeant. Hinc fit, ut non negent Atomistæ, cordatiores saltem, veram Aristotelis elementorum existentiam, *terræ*, nimirum, *aquæ*, *aeris*, atque *ignis*. Quemadmodum, neque negant existentiam *spiritus*, *olei*, *salis*, *&c.* quæ sunt elementa chymica. Opinatur autem ea nequaquam esse corpora adeo simplicia, ut aliis non componantur corporibus simplicioribus, atomis nempe. Hinc atomos potius quam ea dicendas esse concludunt vera elementa rerum naturalium, quæ Orbem universum compingunt.

Quid sint atomi in sensu atomistarum.

Hic

Quare Cartesius atomos rejiciat.

Hic insurgit Renatus Des Cartes, qui, utpote Geometra acutissimus, atomos præfatas subsistere haud posse sibi cognitum habuit; etenim, quum corpora sint figurata, extensionem physice habeant quoque necesse est. Si extensionem habent, percipi haud potest, corpora esse individua, atque adeo, non costare aliis particulis semper indefinite divisibilibus: tenujoribus tamen, quæ atomos singulas componunt. Id luculentissime liquet, ex pluribus præsertim demonstrationibus geometricis, tum apud Euclidem, tum apud Appollonium &c. Perperam itaque Democritus, & cum Democrito Gassendus, aliique Recentiores Atomistæ, elementorum simplicitatem in eo sitam esse opinantur, quod dividi nequeant atomi; quæ, quum corpora sint, uti ante jam monuimus, necesse est, ut dividi semper possint in alia corpora minora, & rursus minora, & sic deinceps. Quocirca, ne processus admittatur in infinitum, adducit præfatus Cartesius, veluti per simplicem hypothesin, materiam quamdam universalem, sive substantiam quamdam longe, lateque extensam, ubique homogeneam, sibique similem; quæ tamen ob motum ei inditum in creatione Mundi ab Opifice ter Optimo Maximo, qui eam ex nihilo excitavit, indefinenter moveatur, & dividatur, sive potius infringatur in particulas varias hetereogenas, idest varie figuratas, insensiles tamen; quæ postmodum hinc inde, modo varie congregatæ, modo varie distractæ, varias compingunt moleculas majores, ac per moleculas alia compingunt corpora mixta, tum sensilia, tum insensilia; quæ ope generationis, & corruptionis in rerum natura consurgunt vicissim, destruunturque. Id, uti diximus, Cartesius tradidit in suo systemate physico, tamquam meram hypothesin, quæ cæterum sacris Textibus non plane cohærere videretur, a quibus quo pacto principio creavit Deus Cœlum, & Terram &c. sane habemus. At nos equidem non fugit quicquid hic adversus Cartesianos afferre quispiam consuevit pervicax atomorum defensor: nimirum atomos, penes Atomistas, individuas esse, non quod extensionis expertes sint, sed quod tantam habeant duritiem, ac concretionem, ut neque intrinsecus, neque extrinsecus ullo pacto infringi queant. Huic in dissertationibus nostris in lucem editis abunde pro viribus nostris olim responsum fuit.

Quid sit in sensu cartesiano materia primi elementi, in nostro, primi generis.

Hæc hypothesis cartesiana, si rem accurate perpendas, cum ea omnino consonare videtur, quam, uti diximus in præcedentibus, confutavit Hippocrates, (a) ubi affirmat, non unicum esse posse elementum, quia, *si unico*, inquit, *elemento Homo constaret*, *non doleret*, *quia nullum esset contrarium*. Nihilominus varias particulas varie figuratas, quas Cartesius eduxit ex hac materia universali simplicissima prorsus homogenea, varie tamen per motum divisa, distinguere consuevit in tres classes præcipuas diversi generis, quas elementorum nomine insignivit. Prima classis earum est, quæ ob tenuitatem maximam, necnon & ob motum concitatissimum, materiam quamdam constituunt tenuissimam insensilem, maxime mobilem, quæ ubique fluit, refluit, atque effunditur per minimos meatus universos, per universas intercapedines; perque universa interstitia, quæ in reliquis pervia offendit moleculis cras-

(a) *lib. de Nat. Hum.*

crassioribus. Materiam hanc appellavit Cartesius *primi elementi*, nos in Tractatu nostro de Motu eam appellavimus quoque *primi generis*.

Quid sit in sensu cartesiano materia secundi elementi, in nostro, secundi generis.

Altera classis earum est, quæ crassiores sunt, rotundæ tamen, ac sphæricæ, sive quasi sphæricæ ob diuturnam angulorum attritionem, eoquod alias offendentes in motu sese infringant, atque atterantur in superficie. Particulæ præfatæ in sphærulas minimas ita redactæ, materiam quamdam constituunt in rerum natura crassiorem, magisque resistentem, atque adeo multo minus concitatam, sive exagitatam, longe validiorem quamvis, quam materia primi elementi, quæ, uti monuimus, concitatissima est. Hæc altera materia *secundi* a Cartesio dicitur *elementi*. Nos eam appellavimus item materiam *secundi generis*.

Quid sit æther in sensu cartesiano, sive materia ætherea, materia subtilis.

De præfata materia secundi generis, id præ cæteris adnotemus oportet, quum longe, lateque per Orbem universum effundatur, globulisque congregetur minimis rotundis, fieri haud potuisse, ut globuli componentes adamussim ita sese contingant, ut varias inter se non relinquant ubique intercapedines; quas, quum vacuæ esse nequeant, subeat necesse est materia primi elementi longe tenujor. Materia iccirco secundi elementi subsistere nequaquam posset sola in rerum natura, videlicet sine interventu materiæ primi elementi; quæ globulos secundi elementi undequaque circumdat, iisque per universam pene peripheriam circumfunditur. Hinc in Orbe universo, ad mentem Cartesii, consurgit aggregatum quoddam materiæ primi, secundique elementi; quod longe minus movetur, sive exagitatur, hoc est longe minus est concitatum, quam sola materia primi elementi. Longe tamen magis quam si materia secundi elementi sola in rerum natura existere potuisset. Aggregatum istud materiæ primi, secundique elementi quaquaversum per Orbem effusum est id, quod Cartesius appellat *ætherem*, *materiam ætheream*, *materiam subtilem*; quæ meatus universos, universas intercapedines, atque omnia interstitia mixtorum varie ingreditur, pro ut diversa est eorum forma, & constitutio, eorumque densitas, & raritas.

Quid sit materia tertii elementi in sensu cartesiano, tertii generis in nostro.

Tertia tandem classis est reliquarum molecularum, quæ, utpote crassiores, atque inæquales, rudes, atque, ut ita dicam, indigestæ, figuras habent varias, valde dissimiles, quæ motui propterea longe magis resistunt, quæ videlicet difficilius moventur, atque exagitantur, & quæ iccirco ex facili mutuo sese comprehendunt, uniuntur, & motum plane amittentes in moles majores concrescunt. Hæc appellatur ab eodem Cartesio *materia tertii elementi*; quam nos appellavimus *materiam tertii generis*. Materia tertii elementi est, quæ in hypothesi Cartesiana mixta compingit in rerum natura longe crassiora, tum sensilia, tum insensilia, *terram* videlicet, *aquam*, *aerem*, & *ignem*, & reliqua omnia, quæ iis componuntur, mixta crassiora, necnon etiam *spiritus*, *salia omnia*, *sulphur*, *phlegma*, & *caput* tandem ipsum Chymicorum *mortuum*, quod *tartarum*, sive *terra* a nonnullis vocitatur; & quicquid iis denique, ex eorum sententia, in Orbe conflatur.

Quare mixta variis ubique spiraculis diversi generis pervia sint.

Corpora præfata, sive mixta, quum variis congregentur particulis diversi generis necesse est, ut spiraculis saltem minimis, ubique per-

pervia sint, varii quoque generis, hoc est variæ configuratis, quæ repleri debent materia subtili, sive æthere; qui ea, uti monuimus, ingreditur motu quodam pernicissimo, quem suscipit ab impulsu vorticis universalis, uti pridem in Tractatu de Motu præcitato fuse, ac luculenter exposuimus.

Qua ratione variæ opiniones, quæ circa rerum naturalium elementa versantur, conciliari possunt.

Materia præfata subtilis, quæ ingreditur corpora mixta, si vel adeo sit crassa, vel si non in tanta sit quantitate, ut exagitare queat in mixtis moleculas componentes, mixta, quæ componuntur, erunt hoc in casu corpora solida; eoque solidiora, ac dura magis, quo particulæ præfatæ componentes ab æthere intime minus exagitantur. Contra autem, si vel ob tenuitatem, vel ob copiam majorem, eas æther commoveat, atque exagitet, erunt fluida; eoque fluidiora, quo magis exagitantur. In quo tamen id potissimum adnotare juvat, si a meatibus præfatis insensilibus, vel ob minimas angustias, vel alia de causa excludatur a materia primi elementi materia secundi elementi, tum moleculas componentes mixta naturalia tantam in motu acquiri celeritatem a materia concitatissima primi elementi, quæ sola eo in casu, & sui juris, ut ita dicam, facta, in spiraculis movetur, ut vel flammam, vel ignem, vel fervorem, vel fermentationem concipiant. Ex quibus patet a Democrito non alia de causa dissentire Cartesium, quod attinet ad elementa mixtorum, nisi quod Democritus particulas minimas elementorum componentes effingit individuas, & Cartesius eas ostendit dividi posse *indefinite*. Multo discrepare videtur a Peripateticis, quum materia primi elementi non sit revera nisi quam ignis ille perquamtenuis defœcatissimus elementaris, qui procul dubio appellari quoque potest materia primi elementi, sive primi generis. Enim vero Anaxagoras (*a*) ignem *æthera* nominavit. Materia secundi elementi, sive secundi generis convenit cum aqua elementari. Materia ætherea, sive materia subtilis, sive æther cartesianus convenit cum aere elementari. Materia tertii elementi, sive tertii generis, eoquod crassior longe sit, quam reliqua elementa, atque motui longe minus idonea ob varias ac valde dissimiles particularum figuras, adamussim convenire potest cum terra elementari, modo tamen ignis, aqua, aer, & terra in sensu usurpetur scholastico; idest dummodo usurpentur tamquam corpora elementaria simplicissima, purissima, quibus reliqua omnia mixta componuntur, & in quæ, sive resolvuntur postremo, sive resolvi possunt. Affectiones, & qualitates elementorum istorum exposuimus nonmodo in præcedentibus, verum etiam in Tractatu de Motu præcitato.

Cur æther a Cartesio inter elementa rerum naturalium proprie non recenseatur.

Si quis quærat, quare nequaquam appellet Cartesius ætherem, sive materiam ætheream *elementum*. Respondemus, id factum fuisse a Cartesio, quia æther, quum sit aggregatum ex materia primi, & secundi elementi, dici haud potest, corpus simplicissimum fore, uti sunt reliqua tria elementa, quæ & simplicissima, & diversi generis sunt.

(a) *lib. 1. de Cal. text. 22.*

C A-

CAPUT XXX.

De Regionibus Elementorum ex hypothesi cartesiana.

Hypothesis Cartesiana, ratione regionis elementorum, est plane commentitia, neque sacris paginis cohaeret.

ACutissime, perperam licet, urget Cartesius suam de elementis hypothesin, eamque accommodat ad systema damnatum copernicanum. Collocat enim in centro Orbis Solem, qui, penes Cartesium, nil aliud est, quam aggregatum materiæ concitatissimæ primi elementi. Sol undequaque materia circumdatur, sive potius circumfunditur secundi elementi ad globum terraqueum usque, qui componitur, ex illius sententia, materia tertii elementi. Id mechanice exposuit Auctor in Tractatu suo physico ad leges motus vorticis illius universi, cujus in centro Solem accommodavit. Hoc non modo commentitium est, verum etiam sacris adversatur Paginis, ex quibus habemus, globum terraqueum centrum esse fixum, & prorsus immobile vorticis ipsius Solis, qui ab Oriente motu suo diurno tendit in Occidentem &c. Præterea *in principio creavit Deus Cœlum, & Terram* &c. nequaquam materiam simpliciter extensam, & motum, quem postmodum in ea suscitavit, uti idem fabulatur in systemate suo physico, licet per simplicem hypothesin ad explicanda rerum phœnomena ad leges motus mechanici.

Negari non potest vera, ac physica in rerum natura materiæ cujusdam insensilis, longe, lateque effusæ existentia.

Nihilominus, falsa quamvis omnino sit hypothesis cartesiana, ratione generationis, & situs elementorum, non negamus tamen existentiam in rerum natura materiæ cujusdam tenuissimæ insensilis heterogeneæ, quam ætherem appellare possumus; eoquod per Orbem hinc inde moveatur motu quodam perniciissimo; quo, prout modo tenujor sit materia præfata, modo crassior, modo magis, modo minus copiosa, varios inducit motus, variasque progignit in mixtis vicissitudines, uti quoque in Tractatibus præcitatis demonstravimus. Hujusmodi quippe vicissitudines, generationes, & corruptiones mixtorum naturalium proveniunt omnes a motu molecularum componentium; quæ tamen, quum corporeæ sint, moveri nequeunt nonnisi concitatæ ab aliis corporibus, quæ eas proxime impellunt. At, quum corpora ista, quæ proxime agunt in moleculis easque impellunt, sensus fugiant omnino, inferamus necesse est, insensilia esse; atque adeo ex iis materiam quamdam confici mobilem, concitatissimam, adeo tamen extenuatam, atque subtilem, ut sensus organa proxime afficere nequaquam valeat.

Materia ætherea, insensilis licet sit, ab effectibus, quos inducit, sensibus quotidie percipitur.

Proxime diximus, quandoquidem materiam subtilem, sive ætheream quotidie sentimus beneficio aliarum molecularum sensilium, quæ per eam impelluntur. Eam ex. gr. sensibus nostris in igne quotidie percipimus, non proxime, sed adjuvantibus particulis crassioribus, quæ inflammatæ in materia combustibili, non alia de causa agunt, atque inflammantur, nisi quod solvuntur, exagitanturque ab æthere, sive ab aere eo tenuissimo, qui meatus minimos ingreditur materiæ præfatæ combustibilis, particulas ejus componentes valide impellit, movet, exagitat, atque adeo mixti solvit compagem, & particulas solutas secum abripit; quæ propterea moventur, quaquaversum effunduntur, & vel sensus concitant.

Si quis tamen hic quærat unde materia ista ætherea sibi comparet mo-

Unde in æthere, penes nos, provenit motus ille celerrimus, quo per Orbem movetur.

motum suum validissimum, respondemus a motu celerrimo vorticoso, quo circumducitur in vortice eo maximo, quo Sol quotidie in gyrum movetur per vorticis eclipticam ab Ortu in Occasum, atque ab Occasu in Ortum circumcirca globum terraqueum. Etenim Sol, quum maximæ sit molis, & quum pernicissime moveatur, fieri minime potest, quin semper impellat, & secum abripiat copiam maximam ætheris illius tenuissimi, qui propterea ita motus, atque compulsus vorticem concitat maximum rapidissimum, validissimumque, qui centrum cum globo terraqueo habet commune, uti quoque demonstravimus. Aether iste, sive aer tenuissimus, per quem in gyrum Sol movetur, ab Aristotele, (a) aliisque Philosophis veterrimis, item & *æther* passim vocatur. *Hæc vero in aere. Hæc autem in æthere. Et æther in Cœlo. Cœlum autem non amplius in alio est.*

Quare corpora, quæ tum a Veteribus, tum a Chymicis, tum ab Atomistis proponuntur veluti elementa, revera elementa nentiquam sunt.

Ex motu vorticis istius, uti palam fecimus, sive fiat prope globum terraqueum, sive a globo longe distans, motus maximus oriatur, necesse est, materiæ æthereæ; quæ celerrime movetur ab ecliptica vorticis ad axem globi terraquei, atque ab axe per polos in ecliptica &c. Hinc materia præfata motu hoc suo perenni motus universos mixtorum, tum intrinsecos, tum extrinsecos suscitare valet, quos in rerum natura, & secundum naturam, & præter naturam quotidie observamus. Atque adeo, posita in rerum natura materia fluida, positoque motu Solis in gyrum per Orbem universum, facile percipere, atque explicare possumus generationes omnes, corruptiones, affectiones, & proprietates naturales mixtorum naturalium, dummodo tamen sint mixta physica inanimata, cogitationis videlicet, & sensus omnino expertia, quin diutius ad virtutes confugiamus occultas, ad proprietates sympathicas, atque antipathicas, & reliqua, quæ sunt revera in Accademiis tutissimum ignorantiæ asylum. Quamobrem, existant quamvis in rerum natura quatuor Veterum, Chymicorum quinque, ac pene innumera Atomistarum elementa, ea nequaquam elementa revera habenda sunt, quum non sint corpora simplicissima, & nonnisi per motum alterius materiæ simplicioris concitatissimæ, cujus ope vel ipsa agunt elementa, qualitates suas exerere, atque exercere valeant. Quæ de elementis hactenus exposuimus, si quis accurate perpendat, æque ac intime percipiat, si tamen reliquas omnes Philosophiæ partes optime calleat, citra negotium per quam facile, & luculenter, nonmodo haurire poterit causas universas qualitatum, actionum, item & affectionum omnium, quæ in corpore humano, quatenus materiale est, contingere solent; verum etiam ea dilucide exponere ad mentem tum Veterum, tum Recentiorum, tum Chymicorum, qui in plerisque quæstionibus, verbis profecto potius, quam re non cohærere videntur.

Mens hominis, licet incorporea, necesse est, ut in corpore humano, quod informat, agat per organa corporea.

Diximus *quatenus materiale*, quatenus videlicet vitam habet materialem, atque omnino corpoream ab actione organorum materialium. Etenim quatenus vivens, & agens quoque ope Mentis incorporeæ, quæ illud animat, informatque, necesse est, ut præter motum materiæ, ponamus in homine cogitationes quoque prorsus incorporeas; quæ in

(a) *lib.4. text.46.*

ejus Mente excitantur incorporea, in ea nempe forma hominis prorsus incorporea; quæ, utpote corpus informans humanum materiale, debet quoque, uti palam fecimus in animadversionibus præsertim nostris metaphysicis, in eodem corpore humano, & cum eodem corpore vitam habente, per organa ejusdem corporis agere &c.

ANIMADVERSIONES PHISIOLOGICÆ.

Quid sit revera mixtio penes Chymicos.

QUum ad invicem varia in unum congregentur elementa, ita tamen, ut ex mutua eorum unione corpus aliquod exurgat, in quo elementorum qualitates mutuo alterentur, id corporis *mixtum* proprie nuncupatur. Unio elementorum præfata *alteratorum* proprie dicitur *mixtio*. Quocirca apposite Aristoteles (a) mixtio est, inquit, *miscibilium alteratorum unio*. Miscibilia sunt elementa, quæ in mixtione vera alterentur, necesse est. Quandoquidem unio plurium ex. gr. seminum, quæ denuo secerni possunt, vocatur *appositio*; non secus ac aquæ, vinique permixtio in vase, nuncupatur *confusio*; eoquod, licet imposterum vinum ab aqua secernere non valeamus, novam tamen formam in hujusmodi mixtione minime sibi comparant, adeo ut tertium quid ex ea consurgat, quod neque vinum, neque aquam sapiat. Hinc mixtio, penes Chymicos, qui nullam in elementis admittunt veram alterationem, *est unio naturalis spiritus, salis, sulphuris, aquæ, ac terræ. Naturalem* dicunt, ut ab appositione, & confusione distinguatur mixtio, quas appellant mixtiones *artificiales*, *accidentales*, *extrinsecas*.

Hoc posito, liquet primo in mixtione elementa esse debuisse contraria; secus enim sese mutuo alterare, & quodammodo destruere nequaquam possent. Liquet subinde, generationem a vera mixtione differre tantum secundum magis, & minus, nempe gradibus, quamvis affirment Peripatetici pristinam elementorum formam remanere in mixtione, sed valde alteratam; in generatione omnino corruptam, ut nova adveniat. Hinc vulgatum illud penes Physicos: *corruptio unius, est generatio alterius*; quum generatio revera nil aliud sit, penes nos, quam major elementorum in mixtis alteratio. Hinc corpora mixta proprie dicuntur lapides, qui quamvis, vel penes nos, per digestionem alimoniæ cujusdam intus influentis incrementum sibi suscipiant, in iis tamen terra ex. gr. compacta, maximam, saltem ratione sensuum nostrorum, non subit alterationem. Plantæ contra, frondes, flores, fructus in arboribus &c., eoquod in iis eo perveniat elementorum alteratio, ut pristina eorum forma prorsus deleta, novam acquirant, uti declarant sensus, proprie nuncupantur *corpora generata*, sive *mixta generata*. Quamobrem corpora mixta dici quoque possunt terra hæc nostra sensilis, aqua, aer crassus, atque ignis hic noster materialis; quæ, quamvis materiam præ cæteris sapiant elementorum, a quibus denominari solent, nihilominus haud sunt corpora simplicia; aliis siquidem congregantur elementis, ut patet ex Physica.

In quo distet generatio a vera mixtione.

(a) 1. de Generat. Cap. 10.

LI-

LIBRI PRIMI

SECTIO SECUNDA

De Febribus, aliisque Morbis, qui afficere solent sanguinem, una & cor.

CAPUT I.

De Febribus in genere.

Febris definitio.

QUum nihil aliud esse videatur *Febris*, quam *calor naturalis in corpore humano vivente præter naturam sive adauctus, sive imminutus, vitio quodam, quod pravam inducit sanguinis fermentationem*, ut febris natura, ejusque symptomata luculenter innotescant, quicquid de triplici sanguinis motu per meatus sanguiferos corporis humani viventis in præcedentibus innuimus, hic mente imprimis recolendum est; qui uti diximus, triplex est: *fluoris*, *fermentativus*, *localis*, sive *progressionis*; etenim febris, triplicem quamvis motum istum afficere quodammodo semper soleat saltem non directe, directe tamen, ut ex dicendis haurire quisque poterit, nonnisi motum sanguinis fermentativum afficit; quod, ut magis elucescat, conditiones singulas, quibus febris definitionem exposuimus, singillatim perpendere juvat. Et primo febrem ideo *calorem* esse affirmavimus in corpore humano vivente præter naturam sive *adauctum*, sive *imminutum*, quia in febribus plerisque, calor quamvis augeatur, negare tamen minime possumus, vel in febribus quandoque, in iis nimirum, quæ *frigidæ* propterea nuncupantur, a principio ad finem calorem naturalem præter naturam imminui. Quinimmo & febres ipsæ, in quibus calor processu temporis augetur, non raro prævio rigore, uti docet experientia, suscitantur.

Declaratur definitio febris præallata.

Dicimus præterea *humorum vitio*; calor quippe neque augetur in febribus, neque imminuitur, ut ita dicam, *ab extrinseco*, quemadmodum fit, quum foco v. gr. assidemus, neque a chilo optimi succi, ac servido, neque a gelidis potionibus, neque ab aere extrinseco; verum oritur a prava quadam fluidorum alteratione, sive corruptela, quæ pravam sanguinis fermentationem procreat; siquidem optima sanguinis fermentatio, quemadmodum calorem naturalem inducit, ita quoque prava ejusdem sanguinis fermentatio calorem præternaturalem in corpore humano vitam habente inducat necesse est.

Sanguis est, qui in febribus, ex nostra sententia, primario afficitur.

Ex quibus patet, partem in febribus primario affectam *sanguinem* esse; qui profecto affici potest vitio, tum sui, tum reliquorum fluidorum: lymphæ videlicet, succi nervei, vel spiritum animalium, æque ac vitalium, chyli, bilis, succi pancreatici &c., necnon & quandoque vitio item partium solidarum,

videlicet Medicinæ parte, quam *Semioticen* appellavimus, signum vocamus *quicquid*, *aut declarat*, *aut notum facere valet ea*, *quibus indigemus in medendi methodo*, *ut dignoscamus*, *an corpus humanum vivens ægrotet*, *cujus generis sit affectio*, *qua ægrotat &c.* Hinc alia dicuntur *salubria*, alia *insalubria*, alia *neutra*, utpote quæ, vel sanitatem indicent corporis humani viventis prosperam, vel adversam, sive morbum, vel neutram ejusdem corporis dispositionem, quam ut possibilem profert Galenus. Rursus alia vocantur *pathognomonica*, idest *morbum indicantia*. Alia *synedrevonta*, nimirum *assidentia*. Pathognomonica morbum indefinenter comitari solent; cum eo quippe incipiunt, augentur, imminuunturque, usque dum tandem deficiant; ideoque morbi essentiam proprie commonstrare valent. Synedrevonta morbis non cohærent necessario, neque eorum indicant essentiam; verum indicant potius quicquid affectionibus evenire solet per accidens, ratione scilicet, tum *magnitudinis*, tum *indolis*, tum *eventus*. Signa hæc prodeunt utplurimum processu morbi; quocirca nuncupantur quoque *epiphænomena*, nimirum post apparentia, *epigenomena*, hoc est post genita. Præterea alia eorum præsentem indicant corporis humani viventis statum, dicunturque *diagnostica*, sive *demonstrativa*. Alia prænunciant futura, dicunturque *prognostica*. Alia præterita commemorant, dicique solent *commemorantia*, sive *anamnestica*, quæ tamen passim, tum sub diagnosticis, tum sub prognosticis, comprehenduntur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sint causæ; eæque in suas classes distribuuntur.

QUicquid morbis excitandis quomodocumque, aut confert, aut conferre valet, id *morbi causa* dicitur. Hinc aliæ dicuntur *per se*, aliæ *per accidens*. Per se dicitur, quum agit primo tamquam causa efficiens, ratione illius, quam producit affectionem; ut *scammonium* ex.gr., quod, calidissimum licet censeatur, bilem nihilominus, penes Galenicos, calidosque humores egerit: tamquam causa *per se*, viscera impense præter naturam calefacere valet, eorumque inflammationes inducere: eadem contra viscera, tamquam causa *per accidens*, humores calidos educendo, potest quandoque præter naturam refrigerare; ideoque tamquam causa per accidens idoneum censeri potest *scammonium*, hepatis ex. gr. intemperiei frigidæ, & siccæ pariendæ. Præterea, modo appellatur *causa principalis*, modo *adjuvans*, modo *sine qua non*. Principalis est, quæ affectionem proxime producit, quæque sola eam inducere valet. Adjuvans est, quæ sola quamvis affectionem non inducat, aliis tamen, ut inducatur, auxiliatur; requiritur nimirum tamquam conditio necessaria. In *tumore* ex.gr., qui ob contusionem extrinsecus intumescit, tubuli contusi, & labefactati, partem affectam licet non attollant tamquam causa efficiens, sunt tamen veluti conditio perquam necessaria, ut pars affecta in tumorem attollatur; quæ profecto in iis circumstantiis neutiquam attolleretur, atque intumesceret, nisi in tubulis læsis humores stagnando concrescerent, eorumque propterea parietes ex in-

terioribus versus exteriora in omnem dimensionem propellerent. Rursus dici potest modo *proxima*, modo *remota*, prout vel proxime, vel remote morbos inferat. Item modo *exterior*, modo *interior*. Exterior, vel est necessaria, vel nonnecessaria. Causæ exteriores necessariæ sitæ sunt in vitio quodam, sive abusu sex rerum nonnaturalium, de quibus ante jam diximus; quæ, quum bene se habeant, & quum iis probe, ac opportune utamur, morbos quamvis non inferant, necessario tamen quodammodo afficere debent corpus humanum vivens, quod secus vivere diu nequaquam posset. Non ita ex. gr. lapidis ictus, viperæ morsus, & reliqua, quæ, quum sint fortuita, inter causas morborum exteriores nonnecessarias recensentur. Causæ interiores, quæ videlicet, in recessibus corporis humani viventis delitescentes, sensibus haud quaquam obversantur, sed per simplices conjecturas deprehenduntur, sunt vel *antecedentes*, vel *conjunctæ*. Antecedentes movent conjunctas, ut affectionem proxime pariant. Quocirca in tumore præter naturam sine causa manifesta extrinsecus exorto, humor, qui ad partem confluit affectam, prius quam ibi stagnet, causa antecedens est. Humor stagnans, qui jam confluxit, & qui tumorem proxime producit causa conjuncta vocatur. Id de causis quoque exterioribus, quæ propterea exteriores conjunctæ nuncupantur, tum, quum morbum proxime pariant, dicendum est. Telum ex. gr. quod vulnus inflixit, ratione vulneris inflicti, est causa externa conjuncta. Causæ exteriores antecedentes passim in Re medica vocitantur *procatarticæ*, idest *præincipientes*. Causa conjuncta, vel *simpliciter conjuncta est*, vel *continens*. Conjuncta simpliciter est, in exemplo superius allato, telum vulnus infligens, quo posito ponitur & vulnus, eoque tamen ablato, vulnus haud aufertur. Continens est, qua posita, ponitur morbus, & sublata, morbus, quem infert, aufertur. Calculus iccirco obstructionem faciens in collo vesicæ, non injuria haberi potest veluti causa conjuncta continens interior, ratione suppressionis urinæ; quæ eo in casu, ideo non egeritur, quia calculus resistit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Varia ratione prognosis, signorum genera.

EX signis prognosticis, quæ uti monuimus, in morbis futura indicant, alia designant morbi *eventum*, an videlicet ad salutem, an ad interitum tendat. Alia *tempus eventus*, an brevi nimirum, an diu duraturus sit. Alia *modum in eventu*, an scilicet qua solvendus sit crisi, si ad salutem; an quibus opprimi symptomatibus debeat æger, si ad interitum.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit symptoma.

QUicquid causa morbi in corpore humano ægrotante, præter morbi essentiam, producit præter naturam, sive molestum, dicitur symptoma, quod revera nihil aliud est, quam *accidens*, *sive potius modus præternaturalis*, *sive essentialis*, *sive accidentalis*, *qui morbi essentiam insequitur*, *& sine ea subsistere nequit*. Essentiam morbi insequitur, aut prioritate tantum *naturæ*, aut prioritate *temporis*, & *naturæ*, sive aut proxime, aut re-

natura caloris febrilis, tum exterioris, tum etiam interioris, a qualitate, & quantitate pulsus, item & urinæ, a sanguinis inspecti constitutione, necnon & a varietate, atque intensione reliquorum symptomatum, quæ in febribus contingunt; de quibus tamen omnibus suo loco singilatim dicendum, ubi de febribus singulis ex professo acturi. In genere tamen adnotandum, sevo scatentes febribus ardentibus longe minus lædi, cæteris paribus, quam graciles, & macilentos. Sevum enim uno eodemque tempore, quo solvitur, &, ut ita dicam, funditur ob exscandescentiam febrilem, a sanguine præterlabente absorbetur, atque adeo oleositate sua tantum sanguinis fervorem lenire, ac blande compescere valet. Pulsus magnus in principio plerumque bonus, & quo major, eo melior habendus. Contra, quum imbecillitatem præseferat, eoquod vires tum indicet maxime fractas, dubii eventus existimandus. Intermittens, nisi una, & valde debilis sit, non pessimus habendus. Syptomata in febribus, licet ingravescant, cum pulsu tamen magno, atque æquali, meliora sunt, quam leniora cum pulsu parvo, & inæquali. Urina turbida, nihil in matula deponens, magnam in febribus humorum perturbationem declarat. Quo tenujor, & rubicundior, eo pejor. Quamdiu cruda, tamdiu suspecta. Quo major, vel minor ex indiciis apparet sanguinis perturbatio, eo quoque magis, vel minus anceps haberi debet febris. *Autumnales longæ* utplurimum, *aut mortales*, tum maxime, quum symptomata ingravescant. Id profecto ob spirituum animalium, atque vitalium, quos calor æstivus pridem dissipavit, inopiam.

Cutatio diætetica.

Non secus ac in cæteris affectionibus, ita & in febribus, ut methodice curentur, ex triplici fonte, *diætetico* nimirum, *pharmaceutico*, ac *chirurgico* elicienda sunt præsidia medica. In diæta id præ cæteris observandum in genere, ratione victus ex Hippocrate (*a*), quod *corpora impura, quo plus nutries, eo magis lædes*. (*b*) *Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus*, quandoquidem in febribus, organorum facultatibus enervatis, aut saltem immutatis, alimentorum copia neque digeri probe, neque extenuari, neque descecari, neque commode distribui potest. Habenda tamen ratio est temperamenti, regionis, anni temporis, ætatis, febrisque naturæ, de quibus universis suo loco dicendum. Interim de diæta in febribus, ex eodem Hippocrate (*c*), id in genere adnotare juvat primo, quod *victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & aliis, qui tali victu uti consueverunt*; fluida nempe alimenta longe facilius concoquuntur, citius, citraque magnum laborem solidas partes, æque ac fluidas corporis humani viventis reficiunt. Secundo, quod *in accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare, nocuum est; & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*; (*d*) in accessione enim cibus ingestus organa jam labefactata, magis adhuc defatigat, atque adeo febricitantem magis quoque lædit. Observamus tamen bilem nonnullis, aut reliqua viscerum fermenta in accessionibus ita exaltari,

(a) *Aph.* 10. *Sect.* 2. (b) *Aph.* 68. *Sect.* 7. (c) *Sect.* 1. *Aph.* 16. (d) *Sect.* 1. *Aph.* 11.

modi mitigandis, solvendisque existimamus. Verum enim vero, quandoquidem ad praxin medicam faciendam melius erudire nemo poterit Tyrones, quam ipsa experientia, Rerum præsertim medicarum dux, & magistra, ad calcem singulorum capitum, historiam practicam exponendam suscepimus; ut inde luculentius quisque seligat quicquid practice in ea præstare debeat affectione, quam clinice tractare aggreditur, & quam pridem, theorice tantum, atque in genere, ut ita dicam, proposuimus.

Historia I.

Quicquid, febri Ephemerę medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

TItyrus agrestis ætatis suæ annum agens decimum circiter octavum corporis validi, modicæ staturæ, non pinguis, neque macilentus, plethoricus tamen, Mense Decembri venando plurimum insudans, ac sudore repente præcluso, febre ardentissima, prævio autem per artus præsertim, necnon etiam per dorsum, & lumbos, rigore, inde corripitur. Conqueritur in paroxysmo de dolore capitis acuto, ac permolesta temporum pulsatione, sitique intensa. Pulsum habet celerem, & magnum, cutem mollem, humidamque una & cætera symptomata, quæ febrem ephemeram ex cutis constipatione, uti pridem exposuimus, futuram fore, prædicere solent. Quamobrem nisi vehementiora subsequerentur, eam haud maximi fecimus; non desperantes crisi quadam, sive sensili, aut per sudorem, aut per urinam, sive saltem insensili per minimos cutis meatus erumpente, brevi solutum iri. Iccirco, ut a cibo prorsus per horas 24. sese abstineret æger, constituimus. Quinimmo, quia crapulis ante indulserat, & alvus erat adstricta, eam clystere blande solvendam existimavimus. Quocirca clystere simplicissimum ita præscripsimus A. Et ad sitim restinguendam, emulsionem hanc B, quam, ut ad libitum large biberet, potestatem fecimus.

Itidem diaphoresi tempestive promovendæ, cutim universam, palmis oleo amygdalarum dulcium inunctis, ut leniter defricaretur, fecimus. Enim vero, ea per vices large hausta emulsione, clystere una & fœcibus abunde restitutis, ac universo corpore, ut ante jam innuimus, defricato, placide obdormivit æger. Sudor per universum corpus erupit, & febris ante horam a morbi principio 18. plane cessavit.

A ℞. *Mell. comm. unc. iiij. Sal. comm. dragm. ii. Aq. hord. q. s. m. pro clystere, ut m.*

B ℞. *Sem. melon. unc. ij. Aq. Nucer., sive comm. lib. j. m. f. emul. S. A., & adde Syr. violat. violac. unc. ij. b., ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit principium, augmentum, status, & declinatio morbi.

IN plerisque morborum quatuor distinguuntur tempora. *Principium. Augmentum. Status. Declinatio.* Principium nuncupatur quoque proprie *invasio*, sive *accessio morbi*. Augmentum dicitur quoque *exacerbatio morbi*. Status proprie vocatur *vigor morbi*, sive paroxysmus, a nonnullis quamvis promiscue dicatur *paroxysmus* invasio, item & *accessio*. Declinatio, quæ tamen utplurimum deest in morbo lethali, qui multo ante plerumque interimit, nuncupatur etiam *finis*. Id, nonmodo de morbis præcipuis, verum etiam de symptomatibus nonnullis, & de singulis præsertim recursibus

bus, qui, aut periodice, aut erratice, aut alio quovis pacto in affectionibus potissimum intermittentibus invadunt, dicendum est.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit clyster.

CLyster, *clysterium*, *clysma*, aut *enema*, nonnisi *injectionem*, sive *ablutionem* in Praxi medica sonant. Clinice tamen usurpatur utplurimum pro injectione fluidorum in anum, sive in intestinum rectum, beneficio fistulæ, aut tubi cujusdam idonei. Alii dicuntur alterantes, purgantes alii; quibus addunt item & roborantes, ratione qualitatis rerum, quibus parantur. Nos autem eos distinguendos satius ducimus in emollientes, atque irritantes; in quibus id potissimum adnotare juvabit; eos plane falli, qui, ut alvus validius purgetur, clysterem emollientibus, una atque irritantibus componunt, haud prævidentes, quicquid emollit, acrimoniam irritantis enervare; non secus ac quicquid irritat, vim non semel emollientem frustrari.

An per clysteres nutriri, ac refocillari possit corpus humanum vivens.

Clysteres in genere quo simpliciores sunt, eo plerumque validiores, citra quamvis maximum ægrotantis incommodum alvum cieant. Quamobrem eos ex simplici aqua hordeacea, sive modice salita, sive mellita, sive saccharata frequentissime præscribere consuevimus, optimo fere semper cum successu. Præter clysteres præfatos, habemus quoque clysteres refrigerantes, anodynos, refocillantes, necnon etiam nutrientes. De clysteribus anodynis id adnotemus præ cæteris oportet, opiata, doloribus intestinorum sedandis, per clysteres immissa, si dosin convenientem superant, soporem quandoque lethalem intulisse. An vero liquor per clysterem injectus refocillare, & nutrire possit, id hactenus incertum est. Quod refocillare possit utplurimum probabile existimamus. Quod possit nutrire, id maximas, penes nos, patitur difficultates, & quamvis omittamus, portionem saltem quamdam tenuissimam fluidi illius, quod clystere impellitur in fistulam intestinorum, per vasa lactea ex colo perduci in receptacula Mesenterii, ut ibi cum chylo immisceatur; nihilominus rem perdifficilem ducimus, ut in alimoniam partium alendarum transire valeat, nisi in ventriculo prius, atque in intestinis, ope succorum digestionis, extenuatus sit, alteratus, atque digestus; quod fieri nequaquam potest, nisi materia enematis ex intestinis crassis transferatur in tenuja; quo sane, valvula Bauhini reluctante, transferri nequit. Et in volvulo, si clysteres quandoque immissos nonmodo, verum & fœces ipsas vomitu egestas observemus, id præter naturam, motu intestinorum peristaltico inverso, evenisse haud dubitandum.

Clyster ex fumo tabaci per anum immisso.

Temporibus fere nostris a Recentioribus excogitatum quoque fuit instrumentum quoddam, quo, vel fumum tabaci in usum clysteris per anum sibi quisque commode adhiberi, immittique possit, intestinorum doloribus contumacioribus, cito, blande, ac opportune sedandis, discutiendisque. Instrumenti hujusmodi structuram, formam, item & modum adhibendorum id generis clysterum, fuse nobis descripsit Bartholinus (*a*); necnon & Federicus Dekkers. (*b*)

C A-

(a) *Cent. 6. hist. anatom. 66.*

(b) *Observ. suis pract. circa diuretica.*

remote. Quamobrem triplex est symptomatum genus. *Actio lesa. Excrementorum vitium. Qualitas partium mutata.*

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ.

Distribuitur medendi methodus in suas classes, in Diætam scilicet, Pharmaciam, & Chirurgiam.

MEdendi methodus, in qua præsertim sita est curatio therapeutica, apud Capivaccium, aliosque nonnullos Praxis Medicæ scriptores, est *Ars, qua per indicationes inveniuntur auxilia, ut deperdita sanitas corporis humani viventis restituatur*. Medicinæ pars, quæ de hac agit arte, Græcis *Therapeutice* nuncupatur. Indicatio, penes Practicos, est *ostensio auxiliorum, sive potius agendorum demonstratio*. Dicitur quoque *communitas*, item & *scopus*, quæ voces frequentissime a Clinicis usurpantur. Scopum tamen luculentius describendum existimamus, *perceptionem esse, sive comprehensionem juvantis ex indiciis in morbo desumpti*. Quicquid percipitur juvans, vocatur *indicatum*; quæ indicant, dicuntur *indicans*. Nexus inter indicans, atque indicatum, vocatur *indicatio*. In tumore, qui præter naturam extuberat, habemus indicia humoris stagnantis; qui, ut curetur, resolutionem indicat; ac propterea humor stagnans hoc in casu indicans est. Resolutio, sive præsidia, quæ resolvere debent, sunt *indicatum*. Mutua connexio, quam inter humorem stagnantem in parte affecta *resolvendum* percipimus, & *resolutionem*, ratione curationis, est quod *indicatio* dici debet. Auxilium, sive præsidium idem ferme sonat, ac si dicas *remedium*: id nimirum, quod sanitatem, aut præsentem conservare, aut amissam restituere valet. Ex triplici fonte desumuntur auxilia. *Diætetico. Pharmaceutico. Chirurgico.* Diæta dicitur victus ratio, vivendi modus, ac lex, certa victus institutio, & norma, non in solo cibo, potuque consistens, verum in omnibus aliis rebus nonnaturalibus dictis. Pharmacia hic sumitur pro ea therapeutices, necnon etiam hygienes parte, quæ versatur circa auxilia per os sumenda; quæ vocantur quoque præsidia, sive auxilia, sive remedia interiora, atque universalia. Chirurgia proprie est ea pars tum hygienes, tum therapeutices, quæ rectam beneficio manus, equeac instrumentorum, pro sanitate, vel conservanda, vel recuperanda, nos docet administrationem. Hic tamen sumitur pro ea Medicinæ parte, quæ versatur in auxiliis exterioribus, partibus externis præsertim apponendis, sive injiciendis, quæ propterea vocari quoque solent *auxilia particularia, localia*, sive *topica*.

CAPUT II.

De Febre Ephemera.

Descriptio Febris Ephemeræ.

FEbres, aut continuæ sunt, aut intermittentes, aut continuæ intermittentes, quæ *periodicæ* quoque passim nuncupantur. Continuæ distribuuntur in *Ephemeras, Acutas*, & *Chronicas*. Acutæ modo *benignæ* sunt, modo *malignæ* &c. Febris Ephemera, sive *Diaria*, *est febris quædam continua simplex, sive benigna, quæ sine periculo citissime solvitur per circuitum utplurimum viginti circiter quatuor horarum*. Hinc dicitur *ephemera*, unius videlicet diei.

Diagnosis.

Febris ephemera fere semper excitari solet prævia quadam levi per cutim universam horripilatione; quam insequitur calor fe-

CAPUT III.

De Synocho simplici.

QUum ultra spatium horarum 24. producatur febris continua benigna, quod nonraro contingit, solvi nequaquam solet, nisi ad quartam, aut quintam, aut septimam diem; quo in casu, si intra terminos hosce feliciter solvatur, proprie dicitur *Synochus simplex*. Sin autem eos prætereat, & ulterius perducatur, vocatur *Synochus putrida*, aut *fermentativa*. Definiri itaque potest Synochus simplex, *febrem esse continuam simplicem, sive benignam, quæ utplurimum, utpote benigna, sine periculo effervescit, neque ultra diem septimam producitur*. *Synochus* dicitur, quasi continens, idest contiguum, sive non intercisum. Hujus causam sibi suadebant Majores in vasis dumtaxat contineri, atque humores propterea, solidis partibus planæ illæsis, tantum affici.

Definitio synochi simplicis.

Synochus simplex eadem fere habet symptomata, quæ habere solet simplex ephemera. Synochus tamen simplex sub vesperam plerumque exacerbatur, atque a cibo sumpto, quod de simplici ephemera haud observamus. Ideo sub vesperam exacerbatur, quia aer vespertinus crassior, atque impurior factus, spiramenta cutis extrinsecus plurimum immutare, atque per pulmones inspiratus massam sanguinis intrinsecus inficere valet. Neque mirari debemus, si chylus non procul a pastu, rudis indigestus, & crudus per ductus lacteos, & per thoracicum in vasa sanguifera proxime immissus, fermentationem sanguinis naturalem magis, magisque turbet, atque excandescentiam febrilem validius foveat.

Diagnosis.

Quum Synochus simplex nihil aliud sit, quam longior, & validior, ut ita dicam, ephemera, credendum est, vitium sanguinis, quod pravam in febribus fermentationem inducit, majus esse nonnihil in Synocho simplici, quam in simplici ephemera, utpote quæ mitior, uti ante jam diximus, & brevior esse debeat.

Causa.

Synochus simplex, levis licet, & sine periculo plerumque sit, cum majori tamen periculo haberi debet, quam simplex ephemera. Persæpe ad quartam, ad quintam, & ad septimam tendit diem, & nonnisi aut sudore, aut urina, aut quandoque hæmorrhagia extenuatur.

Prognosis.

In Synocho simplici tenuis sit victus, humectans, refrigerans, concoctuque facilis. Potiones largæ conveniunt, non secus ac in capite præcedenti ad ephemeram curandam proposuimus; quinimmo, & quum ardor febrilis impense urgeat, optimo cum successu gelidas quoque ad nimium viscerum æstum febrilem compescendum subacidas non semel propinavimus. Ad sordes ex meatibus primarum digestionum detergendas, necnon & ad intestina fovenda, abluendaque, clysteres conveniunt refrigerantes, atque emollientes. In plethoricis sanguinis missio haud negligenda; & tum, quum maxime, vel menstrua suppressa, vel fluxum interceptum hæmorrhoidalem, vel ex naribus, subsequuta sit synochus. Defricationes, cucurbitulæ, inunctiones, & fotus modice tepentes, & reliqua exteriora, quæ cutim extendunt, atque emolliunt, ejusque meatus explicant, opportune adhibita, nonnisi plurimum conferre valent.

Curatio.

Histo-

Historia II.

Quicquid, Synocho simplici medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

DAmætas viator, vir ætatis annorum triginta, optime constitutus, temperamenti, quod vocant calidum, & humidum, sive sanguineum, habitus plethorici, nonnihil pinguis, proceræ staturæ, ac pene athleticus, qui sanguinem floridum, statis temporibus, ac propemodum periodice vere quotannis ex naribus emittere consuevit ad libram, & ultra, non sine maximo œconomiæ animalis commodo. Mense Aprili sub dio equitans, aere sereno, ac feriantibus ventis, ob Solis ardorem plurimum insudat. Prope vesperam, zephyro flante frigidiusculo, cessat illico sudor. Paulo post rigore quodam correptus, una & doloribus per articulos potissimum circumvagis, iter sistit. In proxima recumbit taberna. Rigorem, qui ad horam circiter duravit, insequitur ardor febrilis, levis quamvis initio, vehementissimus exinde. Incœnatus obdormit inquietus, atque insomniis exagitatus. De dolore capitis pergravi potius, quam acuto, conqueritur expergefactus. Sitit, fauces quamvis, una & linguam humidam habeat. Pulsus frequens est, æqualis autem, & altus. Urinæ sanorum sunt similes. Facile respirat. Congrue decumbit. Mollis, ac tore veluti quodam tenuissimo superfusa extrinsecus deprehenditur cutis. Sub vesperam, eadem ferme hora, qua pridie sese manifestavit, exacerbatur febris. Postridie diluculo nobis in Nosocomio sese commisit curandum. Pulsum iccirco, symptomata, æque ac causas sedulo explorantes, febrem, qua Damætas laborabat, synochum fore simplicem non desperavimus. Ad alvum itaque, quæ diu compressa fuerat, concitandam, clystere simplici immisso, libram circiter sanguinis ex brachio confestim educendam duximus; atque hora circiter a phlebotomia elapsa, ut sitim large expleret, potionem hanc A frigidiusculam præscripsimus. Neque alio victu in refectionem bis in die utebatur, quam ferculo ex hordeo, & pane in jure modice salito, elixato, atque expresso, ovorum vitello superaddito. Pro potu ad libitum sorbebat, aut aquam simplicem hordeaceam, aut nucerianam, aut communem cum saccharo depurato, succo & corticibus, sive citri, sive limonum non insuaviter paratam. Siti haustibus reiteratis præscriptæ potionis, expleta, horis duabus circiter a sanguinis missione placide obdormivit. Longe melius sese habere experrectus prædicabat. Enim vero febris inde in dies semper decrescere cepit, donec eadem in omnibus ab ægro servata methodo, sudore uberrimo sub finem a decubitu diei quartæ omnino evanuit.

A ℞. *Syr. de pom. unc. ij. de cort. citr. unc. i. Aq. Nucer., sive font. purissim. lib. iv. Succ. limon. q. s. ad g. s. m. f. p., & large bibat iterum, atque iterum, donec sitis omnino restinguatur.*

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Conditiones in pulsu explorandæ

NIhil aliud est pulsus in corpore humano vitam habente, quam *cordis, arteriarumque motus sensilis, qui in organis eiusdem corporis humani alternatur per systolen, & diastolen*. Fit, ex Veterum sententia, a facultate vitali, ut caloris nativi conservetur temperies. Ex quo patet,

patet, cor, item & arterias esse pulsus instrumenta. Causæ autem pulsus efficientes eædem plane sunt, quas, ratione motus cordis, arteriarumque, jam ante exposuimus. Motus arteriarum, item & cordis præfatus sensilis, qui, neque in omnibus, neque idem semper est sibi similis vel in uno eodemque individuo, maximam pulsuum differentiam, ac varietatem, sive *absolutam*, sive *respectivam* efficit; quæ, ut in praxi optime distinguantur, exigunt, ut ratione eorum id hic maxime adnotemus, quum pulsus non sit revera, nisi motus contractionis, atque expansionis cordis, arteriarumque, quinque imprimis in eo expendere opus esse, *movens spatium*, per quod fit motus, *tempus*, *quietem* inter unum, & alterum ictum, *instrumentum*.

Declarantur præfatæ pulsus conditiones.

Ictus proprie dicitur in pulsu motus arteriarum tactui in carpo præsertim occurrens. Quies appellatur intervallum, sive temporis spatium, quod inter ictum utrumque intercedere solet. Ratione istorum, videlicet ratione spatii, pulsus simplex dicitur, *magnus*, diciturque *parvus*. Ratione temporis dicitur, aut *celer*, aut *tardus*. Ratione quietis, aut *creber*, aut *rarus*. Ratione momenti, quod ictibus exercet, aut *vehemens*, aut *debilis*. Ratione instrumenti, arteriarum nimirum, aut *durus*, aut *mollis*.

Magnus dicitur, qui spatium superat motui arteriarum concessum a natura. Contra nuncupatur parvus.

Celer est, quum arteria pulsans brevi tempore spatium percurrit, sese tum explicando, tum contrahendo. Contra vocatur tardus.

Frequens, sive creber est, quum arteria brevi interposita pulsat quiete. Contra vocatur rarus.

Vehemens est, qui tangentes digitos valide ferit, & quodammodo reluctatur. Contra vocatur debilis.

Durus est, quum digiti tangentes arteriam in carpo duram quasi, & resistentem offendunt, quæ propterea haud facile cedit. Contra vocatur mollis.

Quid sit pulsus compositus, & præsertim intermittens.

Ex speciebus pulsuum præfatis simplicibus, aliæ componuntur, quæ propterea dicuntur compositæ: magnus nimirum, & celer &c.: rarus, & debilis &c.: tardus, & rarus &c., & sic de aliis. Ex quo patet pulsum simplicem componi quandoque posse. De iis tamen experientia, & usus potius quam descriptio, quantumvis scrupulosissime, ut ita dicam, exarata, Tyrones erudire poterit; quamobrem, ne tempus frustra teramus, brevi hic tandem adnotandum supererit, pulsum intermittentem esse, quum arteria ita inter utramque pulsationem quiescit, ut pulsatio una, duæ, vel tres &c. inter utramque deficere videantur; sive, quum post unam, vel plures pulsationes intermissas iterum pulsare incipiat.

Quid sit pulsus intercurrens, sive intercidens.

Intercurrens, sive intercidens vocatur, qui omnino intermittenti opponitur. In hoc siquidem inter utramque pulsationem plures aliæ diversi, ut ita dicam, generis intercurrunt, quæ crebritatis inæqualitatem inducunt.

Quid sit pulsus deficiens.

Deficiens nuncupatur, quum ictibus quibusdam inæqualibus perceptis, plane deficere, & cessare videatur arteriarum motus; qui, si in pristinum redeat, tales pulsationes inducit, quæ tum constituunt pulsum reciproce deficientem. Neque aliud interest discrimen inter pulsum vere intermit-

mittentem, & reciproce deficientem, nisi quod reciproce deficiens post longum intervallum, quo pulsus omnino deficere videtur, iterum, ut ita dicam, revivisci. Intermittens autem post quatuor, aut quinque ictus ad summum intermissos, revertitur.

CAPUT IV.

De Synocho putrida, sive fermentativa.

Definitio synochi putridæ, sive fermentativæ.

SYnochus, quæ *fermentativa*, sive *putrida* nuncupatur, ideo id sibi nominis a Majoribus comparavit, quia a putredine quadam sanguinis fermentescente exoriri opinabantur. Nihil aliud est, quam *febris continua, atque acuta, quæ cum periculo producitur, ob vitium humorum intensius, quod validiorem propterea, diuturnioremque pravam inducit fermentationem, ac graviora iccirco infert symptomata*.

Diagnosis.

In Synocho enim putrida, calor, capitis dolor, & reliqua longe magis infesta esse solent, quam in synocho simplici. Pulsus insuper varie micantem sese perhibet. Genæ intense rubent; necnon etiam maculis, quandoque & livescentibus, cutis universa suffunditur. Variæ sunt urinæ. Alvi excrementa prætermodum graveolent. Non raro supervenit diarrhœa. Intumescunt hypochondria. Anxius quandoque fit æger, deliquiis cum sudore frigido obnoxius &c., quæ omnia maximam œconomiæ animalis perturbationem præseferunt.

Causa.

In hac, non secus ac in cæteris febribus, in quibus calor præter naturam intenditur ob pravam sanguinis adauctam fermentationem, in causam adducere possumus quicquid non congrui, &, ut ita dicam, extranei massæ sanguinis immixtum, eam ita inficit, turbatque, ut partes sanguinis fermentativæ, quas, ratione fermentationis, *acidas*, atque *alKalicas* appellavimus, solutæ, suique juris propemodum factæ, parte præsertim oleacea, atque balsamina, quam *sulphuream* diximus, sive absumpta, sive præcipitata, sive a reliquis prorsus extricata, libere coeunt, atque adeo longe magis effervescunt. Ex quo, & calor præter naturam augetur, & cor irritatur, necnon etiam variæ fiunt seri, lymphæque fusiones, ac variæ sanguinis in tubulis potissimum capillaribus congestiones; quæ præcordiorum anxietatem, deliquia, sudores frigidos, ac maculas exteriores, hypochondriorum tensiones &c. inducunt.

Prognosis.

Synochus putrida, quum in ea, uti monuimus, œconomiæ animalis eversio longe major sit, periculosa semper habenda; eoque periculosior, quo gravioribus stipatur symptomatibus. Solvitur persæpe critico superveniente sudore, interdum urina abunde excreta, nonraro alvo soluta, ac fœcibus copiose egestis, quandoque hæmorrhagia, longe rarius vomitu.

Curatio.

Victus Synocho quoque putridæ curandæ, ut sit idoneus, eligendus est tenuis, humidus, concoctuque facilis, & refrigerans. A sordibus officinis digestionis detergendis, & tum quum maxime repletionis, & congestionis appareant indicia, conducunt clysteres, item & purgantia leniora, quæ parare convenit floribus cassiæ, electuariis lenientibus, syrupis rosaceis, infusionibus senæ orientalis tartarisatis, in sero præsertim caprillo &c., modo blande, ac leniter alvum concitent. Si adsit plethora, sanguis educendus; in quo tamen animadvertendum, an

an extent malignitatis indicia, siquidem hoc in casu caute admodum incedendum. Ad sanguinis nimiam excandescentiam reprimendam conducunt decoctiones, æque ac infusiones ex floribus, herbis, & radicibus refrigerantibus, emulsiones ex seminibus ejusdem generis, aquæ per destillationem elicitæ ex cichoreo, borragine, foncho, radicibus graminis &c. Plurimum idoneum censemus quoque in hunc finem serum caprillum depuratum, aquam, sive nucerianam, sive hordeaceam, sive avenaceam, sive alteratam per infusionem corticum citri, & reliqua; quæ large hausta diluunt, solvuntque quicquid in Synocho putrida pravam fermentationem excitaverit. Quinimmo, si calor febrilis magis magisque adhuc intendatur, cum oris præsertim amaritudine, potiones nonnihil subacidas ad bilem coercendam felicissimo semper cum successu propinavimus. Defricationes interim, cucurbitulæ, fotus aquæ tepentes ad hypochondria, inunctiones, & reliqua ejusmodi, quæ diaphoresin provocant, membranas exteriores explicant, emolliuntque, atque humores per tubulos, æque ac glandulas cutaneas in gyrum promovent, non negligenda. Potiones, quæ præsertim interdiu propinantur, nisi immineat, sive interior, sive exterior inflammatio, frigidas potius in Synocho fermentativa, quam tepentes commendamus, quæ viscerum perquammolestum ardorem ex nimia sanguinis fermentatione suaviter demulcent.

Historia III.

Quicquid, synocho putridæ medendo, præstare consuevimus, historia, declaramus.

ÆSchinus, qui vigesimum quartum ætatis nondum exegerat annum, modicæ staturæ, pinguis, calido, humidoque temperamento præditus, idest sanguineo, crapulis, venerique indulgens, die septima Martii, anno a Deiparæ semper Virginis Partu 1700. permolestam quamdam capitis gravitatem hora circiter a prandio persentire cœpit, quam febris vehementer ardens sine rigore insequuta est. Viribus iccirco fractis, decumbit. Conqueritur de siti ardentissima, ac impenso viscerum ardore. Anxius fit, nauseabundus. Pulsum valde inæqualem habet, maximeque concitatum; altum tamen, & vegetum. Intumescunt hypochondria. Urinæ sunt rubicundæ. Lingua, & fauces aridæ. Adstricta est alvus. Quamobrem, clystere simplici sub vesperam immisso, ut aquam nucerianam frigidam large potaret cum syrupo violat. violac. præscripsimus, item & ut incœnatus obdormiret. Non multum requievit. Quinimmo & varia per noctem ingrata passus insomnia, longe pejus se habere affirmabat. Nihilominus tum ex aspectu, tum ex decubitu, tum ex reliquis, quæ non perperam se habebant, malignitatis indicia nondum extabant. Quapropter febrem synochum potius fermentativam, ac putridam, quam malignam futuram eatenus judicavimus. Hinc frictionibus præviis per cutim universam, ac sanguine per venam ex brachio ad libram circiter educto, emulsionem hanc A refrigerantem, & aliquantulum soporiferam, hora circiter a phlebotomia sumendam, eamque horis medicis quotidie repetendam, frigidam autem semper, præcepimus. Victu interim tenui, humidoque ex panatella in jure gallinaceo cum hordei cremore cocta bis in die horis congruis reficiebatur. Die a morbo quarta, hac methodo in rebus omnino servata, ad horas circiter qua-

quatuor, aut quinque placide tandem requievit. Plurimum insudavit. Maximam urinæ copiam excrevit, ac multo melius se habuit. Postridie, loco emulsionis præfatæ, aquam frigidam nucerianam, cum corticibus citri alteratam perbibit semper ad septimam usque diem, donec scilicet, rebus omnino pacatis, a febre immunis penitus evasit.

A ℞. *Sem. melon. unc. ij., pap. alb. dragm. ij, aq. lactuc; papav. ana lib. ss., sacch. depurat. q. s. ad g. s. m. f. emul. S. A. Sum. ut m.*

CAPUT V.

De Causo.

Definitio causi. SYnochus putrida, quum in hac calor plurimum ita intenditur, ut ardentissimus, & vehementissimus vel tactu percipiatur, proprie dicitur *Causus*, idest *incendens*. Quamobrem paucis causus describendus videtur, *synochum esse putridam, in qua calor vel extrinsecus ita intenditur; ut vel tactu acerrimus, ac vehementissimus deprehendatur*.

Diagnosis. Hinc dignoscitur imprimis a calore febrili, qui in gradu percipitur intensissimo; quem, utplurimum, comitantur sitis ardentissima, ac propemodum inexplebilis, vox clamosa, capitis dolor plerumque pungens, infestissimæ temporum pulsationes, & reliqua; quæ de Synocho putrida in capite præcedenti recensuimus, quæque intensissimum sanguinis fervorem præternaturalem commonstrare solent.

Causa. Fermentum febrile, quod causum excitare valet, ex dictis inferre debemus, situm esse in humore quodam pravo massæ sanguinis immixto, qui sive destruat, sive præcipitet, sive alio quovis pacto dirimat, ac separet omnino a reliquo sanguine partem eam sulphuream, oleaceam, & balsaminam; quæ, uti monuimus, ad maximam sedandam sanguinis fermentationem in eodem sanguine cumulatur; quæ tamen quandoque absumitur, & dissipatur quoque pluribus aliis ex causis, nimirum, aut ob nimiam insolationem, aut ob nimiam membrorum in motu exercitationem, aut ob vigilias, lucubrationesque diu protractas, animique affectus vehementiores &c. in quibus maximum fieri solet minimorum dispendium. Fieri item potest, ut in eadem sanguinis massa ob varios in rebus errores, augeantur partes sanguinis heterogeneæ, quas, ratione fermentationis, alk*alicas*, atque *acidas* appellavimus. Verum enim vero, ne in Theoria exponenda frustra tempus diutius hic, quam par est, teramus, quo pacto ex prava sanguinis fermentatione calor in causo intendatur, ex iis, quæ alibi de fermentatione exposuimus, commode elicere quisque poterit.

Prognosis. Causus, quum revera de genere sit acutorum, neutiquam sine periculo habendus; quinimmo & dubii semper eventus esse debet. *Acutorum morborum non omnino sunt certæ prædictiones, aut salutis, aut mortis* ex Hipp. (a). Ad diem utplurimum, perducitur decimamquartam, in qua, aut solvitur, aut febricitantem interficit. In senibus, ex Galeni sententia, fere semper lethalis. Pulsus in causo quo imbecillior, & a statu naturali recedit magis, eo majori semper cum periculo. Causus, uti practice observavimus, signis coctionis ex urina apparentibus, rigore die critico superveniente, aut per sudorem, aut per uri-

(a) *Aph. 18. sect. 1.*

urinam, aut per alvum, aut per alias excretiones, humoribus peccantibus ejectis, plerumque solvitur. Hinc rigor in talibus circumstantiis prenuncium esse solet criticum.

Curatio. Victus vel in causo tenuis esse debet, humectans, refrigerans, facilisque coctionis. Potiones iis non absimiles, quas pro curatione synochi, tum simplicis, tum fermentativæ paulo prius descripsimus, & ad causum curandum eligendæ sunt. Intestinis a sordibus, clysteris ope injecti, ablutis, sanguis iterum, atque iterum si opus fuerit, symptomatibus sedandis, educendus est. In præscribendis evacuantibus, fortioribus maxime, caute incedendum; hæc quippe, nisi lenissima sint, membranas interiores irritando, & serum lymphaticum ex tubulis exprimendo, febrem exasperant; quæ contra extinguitur potius, sive saltem per haustus delinitur uberrimos, uti ante jam diximus, & uti imposterum dicturi sumus.

Historia IV.

Quicquid, causo medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

DArius Vir nobilis, corpore venusto, nonnihil tamen gracili, temperamento calido, & sicco, idest bilioso præditus, annum ætatis nondum compleverat trigesimum septimum, tum quum post varios, in victu præsertim, errores, Mense Octobri, dum animi relaxandi gratia ruri commorabatur, febri ardentissima correptus fuit. Is propterea, opem medicam quærens, nobis sese curandum objecit. Febris principio lenis, & vix sensilis percipitur. Mox intensissimus ex ea, ac pene intolerabilis succenditur calor. Calori associatur dolor capitis acerrimus, ac pulsans. Plurimum sitit. Aridam linguam, & fauces habet. Vocem clangosam edit. Dies est morbi quarta, & symptomata ingravescunt. Pulsum explorantes, arteriam in carpo plurimum semper irritatam, ejusque pulsationes admodum varias, valide licet sese explicantes, adinvenimus. Urinæ erant rubicundæ; tenues, ac perexiguæ. Diu noctuque pervigil, irrequietus conquerebatur. Libere tamen respirabat, ac optime decumbebat. Oculi, ac facies universa bene se habebant. Quamobrem causum febrem fore judicantes, vivendi norma, ut supra, ratione victus fere præscripta, alvum, rite quamvis responderet, ad sordes nihilominus intestinorum magis adhuc expurgandas, clystere simplici concitandam judicavimus. Id profecto, ut sanguinis missio præmeditata longe tutius fieri posset; quam diluculo postridie, die videlicet quinta, ex venis hæmorrhoidalibus ad libram circiter præscripsimus. Sanguine, venis jam adapertis, extillante, capitis dolor longe mitior subinde semper evasit; ac siti per haustus frequentes aquæ nucerianæ expleta, blando postmodum sopore captus ad horas fere quatuor placidissime quievit; atque in omnibus dehinc melius se habere sensit. Die sexta corporis peripheria pluries defricata, ac cucurbitulis scarificantibus cervici, æque ac dorso infixis, alteram sanguinis libram educi curavimus. Sanguis floridus licet, sero tamen parce scatebat. Qua de re; ut quamsæpissime hauriret in dies, aut aquam nucerianam, aut hordeaceam, aut jusculum insulsum cum seminibus citri alteratum, præcepimus. Clysteres quoque quotidie reiterandos, eo usque donec die tandem nona, procul ab omni crisi manifesta, una cum febre reliqua omnia cessaverint symptomata, judicavimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit proprie morborum solutio critica.

AFfectiones universæ, quæ nos præter naturam invadunt, contumacissimæ quamvis, ac diuturnæ, tandem aliquando cessent necesse est, sive ad interitum, sive ad salutem corporis humani viventis sese solventes; sive, uti non semel contigisse in Praxi observavimus, in alias affectiones sese commutantes. Id dupliciter fieri solet, sensim videlicet, & paulatim; subito & repente. Quum sensim ad interitum solvitur affectio, tum solutio vocatur *Marasmus*. Quum sensim ad salutem, tum proprie dicitur *solutio*, sive *lysis*. Quum subito, & repente in utroque casu vocatur *crisis*. Hinc vulgatum illud penes Clinicos: *solvuntur morbi, aut per crisin, aut per lysin*. Crisis tamen passim usurpatur pro solutione ægritudinis subita, ac repentina ad salutem corporis humani vitam habentis. Quum affectio, quin vel interimat, vel plane solvatur, in aliam affectionem transit, tum dicitur *Metaptosis*, idest permutatio, fitque aut per *Diadochen*, aut per *Metastasin*. Per diadochen, tum quum materia peccans ad partem ignobiliorem defertur; hoc est quum superne deorsum, intus foras, & procul a morbi foco, non sine aliquo saltem ægrotantis commodo excluditur. Per metastasin fit e converso, quum nimirum materia peccans ex partibus ignobilioribus moveatur ad partes nobiliores, idque fere semper in perniciem ægrotantis.

Declarantur voces nonnullæ, quibus varios crisis gradus explicare consueverunt Veteres.

Solutiones hasce, motu quodam, neque perperam omnino, declarare consueverunt Majores, ad lancem physices expendentes, *movens*, *mobile*, *terminum a quo*, *ad quem*, *medium*, *per quod fit motus*. Movens in eorum sententia est ipsa natura, quæ materiam concoquit peccantem, atque humores pravos secernit, ut eos inde die extrudat critico. Mobile est materia peccans. Terminus a quo est morbi augmentum, tum quippe revera incipit crisis. Incipit videlicet motus is, quo natura, sive potius structura organorum corporis humani vitam habentis, per humores, quibus adjuvantibus agunt organa, excutitur, ut ita dicam, & conatur, ut quicquid sibi non congruum, atque insensum est, egerat, excludatque. Terminus ad quem est sanitas in crisi perfecta, interitus in crisi mala, sive lethali, vel status ei proximus, quum in aliam transit morbi speciem. Veluti medium habetur id spatii, sive intervalli, quod ab invasione morbi ad solutionem usque intercipitur.

Triplex motus genus, ratione crisis, penes Priscos.

Præterea motus præfatus partim dicitur *localis*, partim *alterativus*, partim *naturalis*, partim *violentus*. Localis dicitur ratione *materiæ peccantis*, quæ sane movetur, atque exagitatur, ut in crisi perfecta, sive salutari per vias consuetas excernatur. Alterativus dicitur ratione animalis, sive *subiecti ægrotantis*, fieri quod minime potest, quominus quodammodo alteretur, ut vel per crisin salutarem convalescat, vel per lethalem intereat. Naturalis dicitur respectu naturæ, quæ, tamquam proprium instrumentum, crisin movet primo, ut ajunt, & *per se*. Violentus dicitur, habita ratione perturbationis, celeritatis, & certaminis, quod in organis corporis humani ægrotantis fieri debet, quum crisis intus intentatur, atque absolvitur.

ANI-

ANIMADVERSIONES SEMIOTICAE.

Conditiones, quæ ad optimam crisin requiruntur.

UT perfecta sit crisis, una & salutaris, sex exigit conditiones. Primo, ut optimis indicetur signis. Secundo, ut sit manifesta. Tertio, ut die fiat critico. Quarto, ut fida sit. Quinto, ut tuta. Sexto, ut conveniens tandem sit, tum morbo, tum naturæ, sive constitutioni ægrotantis. Perfectam, & salutarem indicant crisin dies *judex*, item & signa coctionis optima; coctiones enim penes Hippocratem *celeritatem judicii, crisis nimirum, & morbi securitatem ostendunt. Cruda vero, & non concocta, aut in malos abscessus conversa, dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam afferre solent.* Denotant quippe maximam naturæ irritationem, ejusque leges, & consuetudines, sive funditus eversas, sive prætermodum labefactatas. Crisin manifestam declarant evacuationes insignes, quæ sive excernendo, sive per abscessus fiunt. An autem die contingat critico, id ex iis educendum, quæ de diebus criticis deinceps dicturi sumus.

Fidam facit crisin, si nullas post se morbus relinquat reliquias, ex quibus supersit, nisi recidivæ periculum, aliqua saltem suspicio.

Tuta est crisis, si erumpat cum lenibus symptomatibus, necnon etiam cum ægrotantis tolerantia.

Conveniens denique, si fiat per loca conferentia tum ægrotanti, tum naturæ ægritudinis, & constitutioni. Atque adeo conveniens existimanda erit crisis in Juvene febre ex. gr. correpto ardente, si fiat per narium hæmorrhagiam. Inconveniens si in Sene per alvi fluxum. In morbo chronico confert, utplurimum, per abscessum. In acuto per excretionem.

Crisis imperfecta, altera tendit in melius, altera in deterius. Illa, morbum quamvis non plane solvat, efficit tamen, ut affectionem, qua laborat, alacrius perferat æger. Hæc affectionem magis, magisque in dies exasperat.

Signa crisis distribuuntur in antecedentia, comitantia, & subsequentia.

Reliquum signa crisis alia sunt *antecedentia*, alia *comitantia*, alia *subsequentia*. Rursus antecedentia, tempus alia prænunciant, alia speciem crisis. Tempus crisis innotescit ex signis, tum coctionis materiæ morbificæ, tum ipsius morbi. Speciem crisis declarant ea loca, qua crisis adventura est, an per vomitum, an per urinam, an per sudorem &c.

Explicantur signa præfata.

Signa comitantia ea sunt, quæ una cum crisi apparent, atque adeo crisin declarant, an bona sit nec ne, an perfecta, an imperfecta &c. hæc desumuntur præsertim ab ipsamet natura crisis, necnon & a causis crisin promoventibus. Iccirco crisis, quæ fit per excretionem, judicari debet salutaris, & bona, si commode fiat. Et ut commode fiat, quatuor maxime requiruntur. *Qualitas laudabilis. Quantitas moderata. Tempus opportunum. Excernendi modus naturæ familiaris.* Humor excernendus laudabilis dicitur, si peccans, & coctus per crisin evacuetur. Moderatæ dicitur quantitatis, si excernatur ad justam mensuram; exiguus enim suspectus esse debet; uberior quam par est, enervat, atque adeo periculo non vacat. Tempore fit opportuno, si diebus erumpat criticis. Familiaris, si per loca conferentia, & naturæ commoda. Conditiones tamen præfatæ attendendæ sunt potissimum, in crisi, quæ per excretionem fit. In ea quippe, quæ

quæ per abscessum erumpit, tria maxime perpendenda sunt, ut censeatur legitima. *Quo. Unde. Propterquod.*

Quicquid requiritur, ut decubitus in morbis sit salutaris.

Quo denotat partem, in quam descendit materia peccans, quæ inferior sit, oportet, ignobilior, remota a parte affecta, & capax, ut affluxum excipiat totius materiæ peccantis, quæ secus retrocedendo symptomata quoque pejora inferre posset. *Unde* partem denotat, ex qua descendit humor peccans; decubitus enim fieri debet apud Practicos secundum directionem, idest si partem sinistram afficit morbus, minime per dexteram decubitus, quinimmo & per eamdem sinistram optimus existimari solet in abscessu. *Propter quod* declarat causam, quæ abscessum inducit: num a natura digestis, coctisque humoribus peccantibus: num a materia urgente, & natura divexante, humoribus adhuc crudis, & nondum subactis; quo in casu parvus est abscessus, neque sufficiens, ut affectionem solvat.

Signa crisis consequentia desumuntur ab *actionibus*, *excrementis*, & *qualitatibus* corporis affecti, quæ ad statum naturalem quo magis accedunt, eo spem crisis optimæ meliorem faciunt; & viceversa &c.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Denominantur dies, respectu morbi.

DIES critici, ii nimirum, in quibus, utplurimum, crisis erumpere solet, alii dicuntur vere, & perfecte critici. Alii indices, aut judices. Alii intercidentes, necnon & intercalares. Dies perfecte critici sunt ii, in quibus crises habere solent notas omnes crisis perfectæ, qui propterea vocantur *principes*, & *radicales*. Hujusmodi, penes Practicos, sunt dies septimus a decubitu, decimus quartus, vigesimus, vigesimus septimus, trigesimus quartus, quadragesimus.

Indices vocantur qui crisin indicant futuram, idest quartus, undecimus, decimusseptimus, item & vigesimusquartus. Indicant vero per signa præsertim, quæ apparent coctionis in urina. Si apparent ex. gr. die quarto, crisin præcinunt futuram ad diem septimum; si undecimo, ad decimumquartum, & sic deinceps.

Appellantur intercidentes tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimusnonus, & penes nonnullos item & decimusquintus, & decimusoctavus, in quibus nonnisi per accidens, & præter naturam, inquit Sennertus, vel ob paroxysmi vehementiam, vel ob causam externam, natura concitata expulsionem intentat intempestivam.

Præter dies hosce, alii dicuntur *non critici*, sive *vacui*, in quibus nulla, aut admodum raro, sive imperfecta, & mala plerumque accidit crisis. Sunt sextus, octavus, decimus, decimussecundus, decimussextus, decimusoctavus, quibus addunt nonnulli vigesimumsecundum, vigesimumtertium, vigesimumquintum, vigesimumnonum, trigesimum, trigesimumsecundum, trigesimumtertium, trigesimumquintum, trigesimumoctavum, trigesimumnonum, qui & *medicinales* passim nuncupantur; eoquod tutius diebus hisce præscribere possit Medicus purgantia, phlebotomiam &c. Post diem quadragesimum languent, ut ita dicam, morbi, & lenta coctione, atque abscessu potius, quam crisi solvuntur, experientia teste.

Dierum criticorum enumeratio, ut æqua sit, fieri debet; ad nostram sen-

sententiam, ab ea hora, ex qua manifestam percipit æger actionum suarum læsionem. Varia de causis dierum criticorum fabulari consueverunt Scriptores, earum qualitates, & virtutes vario Lunæ influxui præ ceteris adscribentes; quæ tamen, quum propemodum commentitia videantur, fusius impræsentiarum recensere non arridet.

CAPUT VI.

De Febribus Malignis.

Quare febres malignæ vocentur.

INter febres acutas, peracutas quoque, ac mortiferas eas connumeramus, quæ a pravitate symptomatum *malignæ* nuncupantur. In iis quippe, eoquod ob labem quamdam pene venefficam, quæ humores universos inficit, sanguinis compages longe magis, quam in cæteris febribus a statu naturali recedat, funditus, ut ita dicam, evertitur œconomia animalis. Duplici ex causa ab eo, quem, ut sanitas in corpore humano vivente conservetur, habere debet, statu præter naturam recedere solet, penes Recentiores, sanguinis compages; nimirum vel quia densa nimis sit, sive nimis concreta ob acidum coagulans; exuberans, quod partem sanguinis sulphuream densat; vel quia sit nimis laxa, sive soluta nimis, alkali exuberante, quod eam solvit. Quapropter febres in genere malignæ bifariam distinguuntur in *vere malignas*, atque in *malignas pestilentes*, sive *pestiferas*. Proprie maligna dicitur febris, quum in ea sanguinis compages, eoquod præter naturam plurimum concrescat, a statu naturali longe recedit. Pestilens autem, & maligna nuncupatur febris, quum in ea sanguinis compages, eoquod præter naturam plurimum soluta fluorem nimium habeat, a statu naturali longe recedit. Utraque dicitur maligna, quia utraque occulte, utplurimum, & quasi per insidias agit, & clanculum febricitantem non semel interficit. De febre proprie maligna in hoc capite acturi, de maligna pestifera in sequenti agendum ducimus.

Definitio febris vere malignæ.

Febris vere maligna, quæ quoque maligna dicitur ex coagulo, *est febris quædam acuta perniciosissima, quinimmo & quandoque peracuta, in qua symptomata maximam indicant humorum pravitatem, ac universam œconomiæ animalis eversionem ob coagulum quoddam sanguinis virulentum.*

Diagnosis.

Indicia malignitatis, tum ex coagulo, tum ex nimia solutione, sunt in febribus admodum ambigua; pleraque enim communia esse solent, & passim in utrisque indiscriminatim obversantur. Hujusmodi sunt virium lapsus repentinus, horripilatio frequens, necnon & animi dejectio. Quocirca perterritus, utplurimum, nimium timet æger, anxius est, inquietus, delirat, conqueritur, ac palpitat, lipothymiæ, ac sincopæ frequenter obnoxius. Hæc omnia principio febris, & tum quum maxime pulsui, atque urinæ sanorum similibus associentur, intestinam febribus inesse denotant malignitatem. Quandoque adest nausea, vomitus, cardialgia, atrocissima cephalalgia, aurium tinnitus, item & surditas, vertigo, pectoris angustiæ, viscerum ardor urens, convulsiones, & reliqua. Alii præterea maligne febricitantes sunt somniculosi, quinimmo & lethargo quandoque consopiti arctissime dormiunt. Alii contra pervigilant insomnes. Oculos præseferunt alii obscuros, feroces alii. Lacrymas alii fundunt involun-

tarias. In sudores alii resolvuntur frigidos. In nonnullis defluit, vel saltem extillat ex naribus sanguis &c. Verum, ut paucis omnia complectar, ea universa symptomata in febribus malignis non raro exoriuntur, quæ facultates universas corporis humani viventis commotas, irritatas atque labefactatas esse commonstrare valent. Pulsus præterea, item & urina, nisi sanorum similia sint, maximam habent varietatem. Lingua, & fauces arefieri, & nigricare persæpe solent, unde sitis intensissima &c. Insuper extrinsecus in pluribus erumpunt exanthemata, petechiæ, aliæque maculæ livescentes, necnon etiam tumores, qui ad inguina præsertim, sub axillis, & secus aures in abscessus erumpunt; quæ omnia humores ob labem veneficam contractam in glandulis stagnare, concrescere, ac putrescere satis superque declarant.

Causa. Febris vere maligna, ut per ipsam patet definitionem, provenit a fermento quodam venefico, quod sanguini in vasis sanguiferis immixtum, uno eodemque tempore, quo pravam sanguinis fermentationem inducit, sanguinis massam intime ita inficit, ut eam præter naturam coagulet.

Prognosis. Lethales utplurimum sunt febres hujusmodi, fraudolentes, & subdolæ. Quinimmo & quo in vere malignis atrociora apparuerint symptomata, eo meliorem, uti observationes docent quotidianæ, spem salutis inde desumere debemus; eo quod longe minus tum habere soleant periculi. Nil mirum itaque, si Ægrotum, Adstantes, & Medicum quamsæpissime fallant. Verumtamen si floccos aut carpat Æger, si plicas explicet linteorum, si quid non congrue sibi arripiat, id funestum fore semper observavimus. Malum quoque si negligenter decumbit, & indecore nudetur. Pulsus valde explicatus, validus, constans, atque æqualis in febris processu melior est, quam si parvus evadat, debilis, profundus, atque inæqualis. Delirium morbi principio, quod, sopore præsertim superveniente, non sedetur, pessimum haberi debet, item oblivio, motusque convulsivi, inter quos præ cæteris singultus, tremores, & spasmus. Vigiliæ contumaces, quas utplurimum lethargus insequitur, perniciem inferunt. Si oculi ferocitatem præseferant, si præter voluntatem, procul ab occasione manifesta, lacrymentur, si nullo apparente extrinsecus ophtalmiæ indicio, oculorum bulbi doleant, raro evadunt Ægri, item & si rubeant intense, atque in sopore nisi adamussim committantur palpebræ, ita ut inde albi quid foris appareat. Linguæ tremores, æque ac manuum damnat Hippocrates. Ex naribus stillæ sanguinis, cardialgia, & maxima apepsia mortem proximam interdum præcinunt. Petechiæ, aliæque cutis maculæ, luridæ, quamvis, ac livescentes, quæ die nona, ac decima prodeunt, non malæ semper existimandæ. Contra si statim ab initio morbi fœdæ, atque obscuræ, quæ minimam habeant extensionem, aut uberrimæ effundantur cum anxietate, & respiratione difficili, & præsertim si retrocedant, lethale est. Si tussis accedat, si cutis vel leniter madefiat, & quodammodo irroretur, sicut & in aliis, ita & in febribus quibuscumque malignis ex coagulo serum inesse sanguini, & naturales per glandulas fieri excretiones indicat; ideoque bonum.

In

Curatio. In febribus vere malignis, malignis nimirum ex coagulo, curandis, sanguis valde concretus blande solvendus, & virus coagulans, aut corrigendum, aut destruendum, aut foras ejiciendum est. In diæta aer sit temperatus, ventilatus, & purus, qui alteretur quoque, si opus fuerit; suffitibus variis odoratis, uti ex ligno juniparino, aloetico, ex foliis rorismarini, aliisque idoneis accensis combustibilibus, in quibus ea pinguedo, qua scatent volatili, balsaminaque, per ignem extenuata, atque, ut ita dicam, exaltata, longe, lateque per aerem effunditur, spiracula subit cutis, necnon etiam pulmones inspirata, atque adeo sanguini sese funditus immixta, labem veneficam contractam discutit, extenuat, emendatque. Ambiens frigidum nocet semper. Victus, principio saltem, tenuis sit, optimi succi, & qui facile digeratur. Processu tamen ad vires pridem enervatas reficiendas plenior convenit. Potiones calidas potius quam frigidas hisce in casibus prosuisse observavimus. Evacuantia, item & emetica, in febribus passim, licet malignis, atque indiscriminatim usurpentur, admodum tamen suspecta pluribus de causis esse debent, tum ob maximam organorum ex labe contracta irritationem, tum ob virium defectum, quibus purgationes, & præsertim catharticæ fortiores, plurimum adversantur. Tutiores longe sunt clysteres, quorum ope alvo, & bis in die prius abluta, conferunt potiones alexipharmacæ ex aquis destillatis, & decoctionibus florum ex. gr. borraginis, foliorum sonchi, card. benedict., rutæ caprar., cichorei; radicis scorzoneræ, contrayervæ &c. Commendantur item pulveres absorbentes, atque alkalici, uti sunt oculorum cancrorum, matrisperlarum præparat., margaritar., cor. cer., & præcipue philosophici, sive usti &c. quæ diaphoresin, & diuresin placide movent, quæque, nisi juvent, nocere saltem nequicquam possunt. Si adsint convulsiones, dolores interni, cardialgia, deliquia, vigiliæ contumaces &c., apprime conducunt anodyna, theriacalia, cordialia &c., quæ utpote vim habeant alexipharmacam, sive directe, sive non directe sanguinem solvunt, irritationes sistunt, & vel sudorem, vel urinam placide movent. Sanguinis missionem, neque passim cum Riverio admittendam, neque cum aliis indiscriminatim plane damnandam censeo. Ubi sanguis redundat, & in primis ob diu retentam sanguinis excretionem per loca consueta, in pueris nimirum ex naribus, in adultis ex hæmorrhoidibus, in fœminis post pubertatem ex fluxibus menstrualibus, non video cur iis vel in febre maligna ex coagulo non emittendus sit sanguis, per ea præsertim loca, ex quibus egeri consueverat, sive saltem per partes proximas. At enim vero, si phlebotomia suspecta nobis unquam fuerit, certum est, eam hisce in casibus præ cæteris debuisse; nam quemadmodum febres hujusmodi per phlebotomiam ex locis consuetis, idoneis nimirum, opportune constitutam, curatas interdum observavimus, ita & necem quamsæpissime attulisse intempestive præscriptam evidentissime cognovimus. Tutius itaque semper erit in labe maligna, nisi urgeat necessitas, eam omittere. Non idem tamen de vesicantibus, & sinapismatibus judicandum; quæ profecto, & tum, quum

quum maxime extet ex coagulo malignitas, virus coagulans resolvunt, discutiunt, destruunt, ac foras, aut sudore, aut urina eximunt. Defricationes interim, inunctiones, fotus, cucurbitulæ, & præsertim ventosæ, haud negligendæ; quinimmo &, ubi opus fuerit, eas in cute scarificare conducit.

Historia V.

Quicquid, febri malignæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

CRemes rusticus annorum quadragintaquinque circiter, temperamenti calidi ad humidum vergentis, validus, ac pinguis, bene pridem in omnibus se habens, Mense Septembri varia, in rebus rusticis sese villicando exercens, subdio passus incommoda, repente febricitat. Ad proximum in Urbe Nosocomium delatus, viribus omnino fractis, conqueritur de præcordiorum angustia, de acri viscerum ardore, ac de aurium tinnitu. Pulsus valde inæqualiter explicatur. Frequens est, una & imbecillis. Urina sanorum est similis, & quamvis non sitiat, linguam, & fauces aridas habet. Febris identidem in dies, nulla periodi servata lege, animi tamen prævio semper deliquio, necnon & sudore, sive potius madore tenui quodam frigido, exacerbatur. Quibus mature consideratis, malignam fore febrem ex coagulo suspicabar, eoque magis, quia calor urens, viscera quamvis intus affligeret, foris nusquam effundebatur. Quinimmo frigidæ potius vel ad tactum partes extremæ utplurimum deprehendebantur. Victu crassiori, ac pleno, fructibus cujusque generis, meroque plurimo antequam ægrotasset, vesci solitus erat æger. Alvus triduo fœces non excreverat. Quamobrem, clystere injecto, fœcibus antea egestis, ut cutis leniter universa cum oleo Matthioli quotidie defricaretur præcepimus. Clyster injectus erat hujusmodi A, quem bis in die horis congruis ad diem usque septimam reiterandum duximus. Præscripsimus præterea potionem hanc B horis Medicis in decoctione alexipharmaca, ut infra, hauriendam. Victus fecimus ut esset tenuis, humidus insuper, & medicatus. Fercula quippe parabantur foncho, cichoreo, borragine in jure gallinaceo modice salito; ac per infusionem rasuræ cor. cer., ac matrisperlar. alterato elixatis, necnon etiam cum ovi vitello recentis quassato immixtis. Pro potu aqua destillata modo sonchi, modo scorzoneræ, modo carduibenedicti alternatim ad libitum propinabatur. Sub finem diei quartæ delirare cœpit, somniculosus esse, ac præter modum nauseabundus. Quapropter, rebus jam præscriptis haud omissis, ad vesicantia, & sinapismata confugimus, partibus infernis applicanda; quibus virus illud malignum, quod organa nobiliora labefacere jam cœperat, aut evinceretur, aut saltem averteretur. In quem finem leni emetico ex hydrelæo cum oxymelite simplici, ut vomitum blande cieret, tepenti non ita pridem propinato, purgans quoque, quod validius ageret ita paratum C inde sumendum duximus. Quum primum alvum concitaverit purgans, ut serum caprillum depuratum, ac cum eodem melle hispano non insuaviter mellitum ad libras duas circiter superbiberet, necnon & aquam nunc simplicem purissimam, nunc corticibus citri alteratam per vices abunde biberet, potestatem fecimus; quam per urinam, æque ac per alvum una

una cum fæcibus, sine dolore ubertim excrevit. Postridie, die nimirum a decubitu septima, sub noctem obdormivit, plurimum insudavit, atque experrectus, longe melius se sensit. Sudor per noctes singulas ad diem decimamquartam uberrime prosequitur, donec tandem, labe virulenta penitus deleta, febris maligna ex coagulo, ut opinor, qua per dies fere quindecim, & ultra, non sine maximo vitæ discrimine, Cremes rusticus laboraverat, soluta est.

A ℞. *Mell. com. unc. iv., sal. com. unc. ss, aq. hord. q. s. m. p. clys. ut m.*

B ℞. *Confect. hyacint., alKerm. ana drag. j., aq. theriac. tot. cit., flor., & fruct. acerbor. aurant. ana unc. j. m. sol. exag. & adde juscul. alterat. cum foliis sonchi, card. benedict., radicib. scorzon., & contrayer. bib. æger. ut m.*

C ℞. *Sen. orient. mund. unc. ss, rhab. elect. dragm. j., cinnam. opt. scrup. j., ser. Capr. rec. lib. j. m. f. lev. inf., & mac. S. A. Colet., & adde mell. hisp. opt. unc. iij. cap. ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

In Febribus malignis non semper damnanda est sanguinis missio.

IN febribus, tum ex coagulo, tum ex solutione malignis, indiscriminatim, hic præsertim ROMÆ, veluti plena periculi, utpote quæ febricitantem confestim pene jugulet, incusari solet sanguinis missio, tum potissimum, quum ea adsit suspicio, febrem exarsisse ob aeris pessimam quamdam virulentiam, quam in Agro Romano, æstate, aut autumno vel leniter consopitus quis clam contraxerit. Enim vero sanguinem mittere hoc in casu perniciosum fere semper extitisse unanimi pene omnium firmata consensu, vetus item & recens opinio fuit, quam magis adhuc semper in dies, neque injuria, convaluisse accepimus. Et quamvis plane obscurum sit, cur præ cæteris in febribus ejusmodi improspere quidem hactenus cesserit id chirurgiæ præsidium, rem tamen ita prorsus se habuisse longævus per diutinam experientiam nos item satis superque edocuit usus. Nihilominus si aut viscerum inflammationis, sive præsentis, sive imminentis, aut ex redundante sanguine, proximæ suffocationis, aut hæmorrhagiæ non ita facile compescendæ non dubia adsint indicia, in plethoricis præcipue sanguinem, aut cucurbitulis in cute scarificantibus, aut hirudinibus ex partibus infernis elicere, rationi consonum ducimus; quod ferme in Regiis præsertim Hispanorum Urbis Nosocomiis non semel cum successu tentavimus.

Sanguis non indiscriminatim ex qualibet parte in febribus malignis emittendus.

Quare autem in affectionibus saltem quibusdam ex una potius, quam ex altera humani corporis parte venas solvere conducat, reperto sanguinis circulo etiamsi penitus ignoremus, negare tamen haud possumus, observationibus practicis edocti, sanguinem ut ex vasis quibusdam peculiaribus peropportune eductum quamsæpissime prosuisse, ita quoque noxam plurimam intulisse, ubi, aliis tubulis sectis, eamdem sanguinis quantitatem in iisdem propemodum ægritudinibus ex opposita regione detraximus.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Theriac., mithrid. confect. hyac., alker., & reliqua, quamvis medicamenta composita, non semper damnanda.

IN medendi methodo, non secus ac in reliquis, non modo Medicinæ, verum etiam universæ Philosophiæ partibus, simplicitatem quantumvis semper amavimus, non est tamen, quod inter medica præsidia confectiones hyacinthinas, alkermes, theriacam, mithridatum, & reliqua hujusmodi non magni faciamus; quæ composita quamvis, vi sane plurima in usu medico pollere, tum in gravioribus sedandis symptomatibus, tum etiam in morbis omnino quandoque profligandis, abunde comperimus. Fieri nihilominus posset, non inficior, ut præfata præsidia, vel ad longe majorem simplicitatem redacta, nisi meliores, eosdem saltem propemodum effectus præstarent. Attamen hisce in rebus ad Praxin medicam spectantibus, quas ad multos jam ante actos annos nobis indefinenter usus, & consuetudo probavit, vetustatem venerari potius, quam vanam quamdam Recentiorum innovandi libidinem consectari, Tyronibus præcipue suadebamus olim, suademus modo, & suadebimus semper.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quomodo tuto, cito, ac blande moveri debeat sudor.

SUdoribus ciendis, eliciendisque, aquam simplicem communem, aut frigidam, aut tepentem abunde haustam, cute universa prius, oleo præsertim inuncta, & defricata, atque cubiculo modice tepefacto, præ cæteris omnibus diaphoreticis, vel præ lapidibus ipsis bezoar, hystricis &c., longe magis idoneam semper adinvenimus; quam propterea quoties in hunc finem, atque in iis circumstantiis adhibuimus, toties plane, brevi, tuto, ac blande effectum suum præstitisse hactenus observavimus. Interdum vero, quum id tamen citra ægrotantis noxam fieri datum sit, ne vel injuria pervicaces existimemus, sinimus, vulgo indulgentes, ut præfata quoque præsidia, sudori promovendo penes Clinicos decantata, tametsi prorsus essent inepta, propinentur; quo & futiles plerumque, inanesque quæstiones, & sophisticas, verbosasque inductiones, ac permolestas, pene ad nauseam in congressibus medicis, refrictas digressiones opportune quandoque resecando, ut æger quantocius revalesceret, unice curavimus. Verumtamen sudorem, quamtumvis sorbitionibus, ut ante jam diximus, large haustis, facile sit movere, id tamen nequaquam morbi principio, humoribus peccantibus, crudis adhuc, indigestisque tentandum, ne loco materiæ morbificæ ea lympha tenuis, oleosa, balsamina, quæ febriles æstus compescit, per diaphoresin aut exprimatur, aut egeratur. Atque adeo, ne febris, sudore excreto, excandescat. Quod quamsæpissime contigisse satis superque constat.

ALIÆ ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ, AD CHIRURGIAM PRÆSERTIM SPECTANTES.

Opinio probabilis, cur sanguis

SI quotidianis observationibus fidem adhibere velit, negare nemo poterit in febribus malignis,

ex vasis majoribus scalpello solutis eductus in febribus malignis, lethalis utpluri mum sit.

gnis, in Urbe saltem, necnon & in Regionibus finitimis, perniciem quandoque maximam intulisse sanguinem ex brachio præsertim, venis majoribus sectis, etiamsi parce emissum. Quod tanta saltem cum noxa fieri nequaquam solet, si vel longe uberior iis, aut hirudinibus ex vasis hæmorroidalibus, aut ex cute cucurbitulis scarificata educatur. Non latet id tamquam ridiculum ratione motus sanguinis circularis a nonnullis Anatomicis Recentioribus improbatum fuisse, ac pene irrisum. Experientia tamen nos, etsi non facile credulos, ut rem ita se habere ingenue fateamur, olim inducere valuit. Num autem id succedat, quia ex vulnere inflicto una cum sanguine, qui valide erumpit, maximum quoque fiat spirituum præsertim vitalium dispendium, uti Veteres opinabantur; num quia motus sanguinis progressionis per ejusmodi phlebotomiam valde acceleratus ex latebris viscerum venenum quoddam abditum, & quasi ibi consopitum excitet, educat, fundatque; num uno, eodemque tempore, quo sanguis cum impetu per vulnus exilire contendit, sese intus in venas ab aere extrinseco proxime circumfuso nescio quid virulenti sese immittat, quod una cum fermento sanguinis maligno immixtum, atque intime cum reliquo sanguine longe, lateque perfusum, massam universam magis magisque coinquinet, ejusque fermentationem funditus evertat, uti nos, tamquam longe probabilius excogitavimus olim, id aliis plane decernendum relinquimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Vesicantia, ut quandoque prodesse, ita & nocere possunt.

INter cætera Artis præsidia, quibus ab ineunte ætate, quum Praxis medicæ plane imperitus Theoriæ tantum vacabam, adversari ceperam, ea propemodum rejiciens, veluti in perniciem quasi excogitata, obversabantur vesicantia; eo quippe tempore suadere mihi neutiquam potueram, quo pacto id puris, quod in parte affecta erodentibus arte vitiata procreatur, sanguinis febrilem impuritatem eluere unquam valeret, Quinimmo fluidis universis id potius inficiendis, fœdandisque idoneum esse intulissem, nisi variis deinceps in Urbe præsertim Nosocomiis præfectus, postquam ægrotos tractare maturius susceperim vesicantia profecto, sicuti pluribus in morbis nocere, ita pariter & in aliis prodesse satis superque exploratum habuissem. Cur autem modo prodesse, modo nocere potuerint, ex dictis in præcedentibus abunde constat, neque est cur in eo diutius immoremur. Id tantum rursus innuere præstat, vesicantia ea parte tenujori, ac volatiliori, qua intus sese immittunt, sudori, atque urinæ ciendis, egerendisque mirifice conferre. Cavendum vero ne iis adhibeantur, quibus sive ob luem veneream, sive alia quaque de causa, affecti sunt aut renes, aut vesica urinaria, aut organa generationis adjacentia; quæ sale cantharidum volatili exasperata inflammantur, atque adeo ægrotantem longe magis lædere solent; propter quod vesicantibus, maxima nisi necessitate coacti, inflammatione viscerum proxime immi-

minente, uti nequaquam debemus.

CAPUT VII.

De Febre Maligna Pestilenti.

Definitio febris pestilentis.

FEbris, quæ maligna pestilens vocatur, pestilens ideo dicitur, quia in peste grassari utplurimum atque invalescere creditur. Est *febris quædam perniciosissima, acuta, & peracuta, in qua symptomata maximam indicant humorum pravitatem, atque universam animalis œconomiæ eversionem ex solutione quadam sanguinis virulenta.*

Diagnosis.

Quia autem eosdem plane affectus, qui in corpore humano vivente exoriuntur a prava sanguinis fermentatione, quum præter naturam ob coagulum veneficum inspissatus concrescit, eosdem, inquam, præstare quoque valet prava ejusdem sanguinis fermentatio, quum præter naturam solutus prætermodum fluit, sive effunditur, perquamdifficile existimamus in febribus malignis dignoscere, num ex *coagulo*, num ex *solutione* malignitas extet. Nihilominus id maxime adnotandum, eum, qui febre maligna pestilente laborat, plerumque aut nequaquam sitire, aut sitim in eo non adeo intendi, eoquod fauces, item & linguam mollem, utplurimum, atque humidam habeat ob exuberantem salivam, quæ sanguinis compage soluta uberrime in glandulis salivalibus secernitur. Frequentiores præterea, & adhuc magis perniciosæ esse solent in cute congestiones, quæ in febribus hujusmodi fiunt. Hinc profecto carbunculi, exanthemata, necnon item bubones pessimæ indolis, suppurationes pravæ &c., in quibus salia acria, atque erodentia tubulos exedendo, membranas irritando, ac nervos vellicando, non modo dolores excitant acerrimos, verum etiam solidarum partium gangrænam, atque sphacelum inducunt.

Causa.

Ex definitione febris maligne pestilentis inferre debemus, eam excitari a fermento quodam venefico, quod sanguini in vasis sanguiferis intus immixtum, uno eodemque tempore, quo pravam sanguinis inducit fermentationem, massam sanguinis intime inficiat, & prætermodum solvat. Ex quo opinari non erit absurdum, fermentum, quod febres vere malignas fovet, acidum esse virulentum coagulans; atque acre virulentum esse potius, ac solvens fermentum, quod malignas pestilentes inducit.

Prognosis.

Quicquid innuimus, ratione prognosis, in capite superiori de febre vere maligna, id plane & de maligna pestilenti item affirmare debemus. In hac tamen anthraces, & bubones lethales pene semper. Nihilominus quo citius erumpunt, atque ex locis consuetis, eo melius. Anthraces non procul a cordis regione, bubones in collo, vel retro aures, funesta utplurimum. Febres hujusmodi motibus convulsivis, hæmorrhagia exuberante, animique deliquio, sudore præsertim frigido aut prævio, aut superveniente, necem moliri solent. Et si quandoque solvantur, phthisis insequitur, hydrops, cachexia, aliæque affectiones chronicæ, ex quibus nonnisi admodum raro evadit Æger.

Curatio.

Ut febris pestilens evincatur, id pro viribus tentare debemus, ut virus solvens in massa sanguinis destruatur, sive saltem eluatur. Victus igitur ei non sit absimilis, quem in capite præcedenti proposuimus, subacidus tamen po-

potius, quam amaricans. Quamobrem ferculis multum commendamus folia acetosæ immixta, uvam, quæ vulgo dicitur *spina*, sive grossularia, passulas orientales recentes, hisque similia. Sorbitiones quoque parentur subacidæ, cum succo præsertim, ac corticibus citri, aut limonis, aut cum succo omphacino &c. Frigidæ sane propinentur, raro tepentes, quinimmo & quandoque gelidæ. Purgantia, æque ac emetica noxam hisce in casibus attulisse semper hactenus observavimus. Nisi respondeat alvus, clysteribus cienda. Alexipharmaca leniora, tum diuretica, tum diaphoretica, quæ fermentum pestilens blande egerant, eligenda. Inter hæc apprime conducunt terracea, bolosa, crustacea, absorbentia &c. Hinc conveniunt terræ sigillatæ omnes, nuceriana, rasuræ cor. cer., eboris, matrisperlarum, mandibulæ lutii præparatæ, dentes apri in pulverem redacti, margaritæ præparatæ, cancrorum oculi, cor. cer. philosophicum, lapis cordialis, coralli præparati, gelatina cor. cer., & similia. Ut vires solutæ instaurentur, & præsertim in deliquiis, commendamus theriacalia, confectiones cordiales, hyacinthinam, alkermes, sive in bolos cum conserva rosarum digestas, sive in aquis ejusdem generis solutas. Massa sanguinis, ne fluxus lethalis superveniat, opportune minuenda. Vesicantia, item & sinapismata prorsus arcenda, utpote quæ particulis suis acribus, atque volatilibus, quas intus immittunt, sanguinis compagem magis magisque solvant, tubulos erodant, atque adeo hæmorrhagiam non raro vel moveant, vel augeant, una & reliqua symptomata exulcerent.

Historia VI.

Quicquid, febri pestilenti medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

LYsimachus viator annorum quinquaginta circiter, optime constitutus, temperamenti sanguinei, calidi nempe, atque humidi, habitus plethorici, vegetus quamtumvis, & sanus, pluribus tamen diu itinerando defatigatus incommodis, Mense Octobri repente febricitat. Febris principio mitem sese perhibet. Inde exasperatur. At enim vero, neque sitit, neque capite laborat, neque calor extrinsecus intenditur. Viribus tamen plane destitutus, una & animo dejectus, valde timet. Ferox est aspectu. Livore quodam præter naturam suffunduntur oculi. Anxius est, brevi se decessurum existimans. Pulsus, lingua, fauces, urina nullam fere sensibus eatenus præseferebant præternaturalem immutationem. Affectionis causas interim inquirentes, Lysimachum ab ineunte ætate sanguinis copiam quotannis per fluxum hæmorrhoidalem excernere sub finem Æstatis solitum fuisse intelleximus, qui Æstate proxima præterita omnino restiterat. Clystere itaque simplici injecto, venas hæmorrhoidales hirudinibus appositis illico aperiendas judicavimus ad libram circiter sanguinis. Sanguis erat floridus, tenuis, solutus, ac serosus. Hora circiter a sanguinis missione interposita, potionem hanc A frigidam statim sumendam præscripsimus. Sorbitione hac sumpta, paululum obdormivit. Expergefactus caput sibi pergravatum sensit, ac prurientibus antea superciliis, ex naribus sanguis affatim inde stillare cepit ad libras usque circiter duas; qui nonnisi per motus universos convulsivos, restitit, quibus identidem

dem per horam circiter misere torquebatur. Convulsiones bis, aut ter in die quotidie recurrebant, nulla servata periodo, cum febris exacerbatione ad diem usque septimam decubitus. Erat decubitus dies secunda, & morbi tertia, ex qua præfatæ convulsiones inceperant. Convulsiones præterea insequebantur sudores quandoque frigidi, item & syncopæ, quibus profligatus, ac viribus plane fractus procul dubio, ut opinor, decessisset, nisi per id conditum B cordiale opportune refectus, quodammodo resocillaretur. Interea temporis ad vires conservandas, duobus ovorum vitellis recentium in jure gallinaceo modice salito, cum hordei cremore alterato, solutis, bis in die vescebatur, item & aquam gelidam saccharatam ut supra cum corticibus, & succo limonum paratam, ut ad libitum interdiu sorberet potestatem fecimus. Diebus singulis in Aurora jusculum jejuno insulsum alteratum ex radicibus scorzoneræ, graminis cum foliis sonchi, acetosæ, melissæ, & cum seminibus citri propinabatur. Alvus clysteribus frequenter abluebatur. Sub finem diei septimæ a decubitu æstuare intus cœpit Æger, uberrime tandem insudavit, ac maculis quibusdam ubique per cutem livescentibus effusis, a motibus convulsivis, una & a sudoribus frigidis, item & a syncope prorsus immunis deinceps fuit. Hinc rebus in dies gradatim subinde in melius procedentibus, ante diem decubitus vigesimamprimam hac methodo plane convaluit; enervatus tamen, & viribus ita languens, exsuccus, atque excarnis, ut ad tabem proxime accederet; quinimmo & pene dicam attingeret, nisi per optimam vivendi normam, ac per usum diuturnum lactis asini, a pluribus quibus per sex fere menses obnoxius vicissim imposterum fuerat, incommodis se subducere valuisset.

A. ℞. *Syr. de cort. citr. unc. j., aq. acetos. meliss., sonc. ana. unc. iv., m. f. p. &c.*

B. ℞. *Conf. hyac; alKer, conf., ros., marg. præp., corall. rub. præp. ana. drag. j., syr. de pom. unc. ij., aq. cinnam., flor. aurant. ana. unc. ss. m. f. cond. cochleatim in dies propinandum.*

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ AD CHIRURGIAM PRÆSERTIM SPECTANTES.

Quid sint bubones parotides, anthraces, sive carbunculi &c.

SIve ex coagulo, sive ex solutione malignitas extiterit in febribus, anthraces, & bubones ob labem intus ingenitam, uti dictum est, non raro in iis vel extrinsecus extuberant. Tumores sunt quidam inflammatorii, qui humoribus prave alteratis, atque in tubulis stagnantibus, variis in locis, & præsertim exterioribus, ex regionibus humani corporis ægrotantis, præter naturam attolluntur. Bubo dicitur, quum glandulas inficit insigniores quasi humani corporis vulgo *emunctoria*, ac per inflammationem ad suppurationem tendit. Anthrax autem, sive carbo, sive carbunculus, quum membranis nervosis, partibusque tendinosis acriter inhærens, eas mordicando lacerat, corrumpit, incendit, ac pene inurit. Bubones distinguuntur in benignos, malignos, & venereos. Benigni vocantur, sive simplices, qui in pueris præsertim, atque adolescentibus, redundante in partibus affectis sero, extant; qui propterea, & corporis robur, & prosperam valetudinem inferre solent. Ma-

Maligni nuncupantur, qui ab illuvie quadam, sive maligna, sive pestilenti, quæ humores prius coinquinaverit, exoriuntur. Venerei tandem dicuntur, qui ob labem fiunt ex impuro concubitu contractam. Bubones passim ex inguibus erumpunt; interdum tamen ad fauces, secus aures, in collo, partibusque finitimis; quo in casu *parotides* proprie appellari debent.

Quid præstandum sit in curatione bubonum, qui ex malignitate extent.

Bubones malignos nequaquam discutiendos censemus, sed tentandum potius, symptomatice quamvis extiterint, ut blande maturati, ad commodam suppurationem quantocius perducantur, qua humores peccantes, ibique stagnantes egeri possint. Parotides vero, quum non semel adeo increscant, ut præsens inde suffocationis immineat periculum, tum nisi proximæ, ac salutaris suppurationis non ambigua nobis sese objecerit spes, exigunt, ut aut immature aperiantur, aut fotibus, vel inunctionibus, vel cataplasmatibus emollientibus, volatilioribusque, benigne semper, quum id tamen fieri possit, resolvantur. Quinimmo & quum necessitas urgeat, eas hisce in casibus nequaquam sane causticis, at ferro candente inurere non plane damnamus.

Quid præstandum sit in curatione anthracis.

Anthraces, sive carbunculi eam propemodum requirunt curandi methodum, qua, gangrænæ evincendæ, extirpandæque, quotidie utimur; in quo conatus omnis adhibendus videtur, ne pars infecta proximam non infectam corrumpat. Hinc ut suppuratio propediem, sive potius corruptio sequatur, curandum est, atque adeo escharæ separatio. In quo plurimum sane cauti simus oportet, ne aut altius quam convenit scarificando, aut acrius quam par est erodendo, topicorum auxilio morbum longe magis exulceremus. Nos quamsæpissime anthraces ita, ut sequitur, optime curatos vidimus: nimirum debite prius parte in anthrace affecta proxime emoritura scarificata, atque cum aqua calcis vivæ postmodum intime madefacta, mel hispanum specifice paratum, linteamentis eo intime imbutis superimposuimus: idque sæpesæpius in dies renovavimus, donec ulcus tandem omnino extersum cicatricem induxerit. Mel hac propemodum ratione parare consuevimus A. Interdum addidimus etiam therebintinam venetam ovorum vitello solutam, theriacam, & reliqua, quæ pro indicatorum ratione nobis congruere visa sunt.

A ℞. *Mell. hispan. unc. ij.*, *sper. cet. dragm. ij.*, *camph. scrup. j.*, *spir. vin. rect.*, *sive aq. Reg. Hung. unc. ſs.*, *m. pro usu ut m.*

CAPUT VIII.

De Febre Hectica.

Definitio febris hecticæ.

INter febres chronicas primo sese objicit hectica, febris nimirum, quæ in habitu corporis consistere, in partibus videlicet solidis humani corporis viventis inesse, autumabant Prisci, quam proinde hecticam dixerunt, solutuque difficilem habuerunt. Eam vero paucis describendam censeo, *febrem esse chronicam, in qua, calor augeatur licet, lenis est, acris tamen nonnihil, ac liquans, qui propterea solidas partes fundendo, earum maciem extremam, sive tabem inducit*. Tres habet gradus. Primus est, quum in ea calor febrilis adeo lenis est, ut vix percipiatur, quo in casu febricitantem, non modo, atque adstan-

Gradus hecticæ.

istantes, verum & Medicum ipsum eludere valet. Alter est, ubi calor febrilis aliquantulum exacerbatur, & una præsertim, vel altera hora post pastum interposita, intensior fit. Tertius est, ubi calor febrilis acris, ut ita dicam, & mordicans, in hectica adeo intenditur, atque extenditur, ut partibus solidis adiposis imprimis liquatis, corpus universum extenuet, emacietque. Febris hectica, quæ, quum eo devenerit, nullam plane curationem admittit, proprie dicitur *marasmoides*, *marasmus*, sive *tabes*.

Diagnosis. Signa, quæ num hectica, & quo in gradu sit febris, declarant, alia ex dictis elucescunt, alia sunt quæ sequuntur. Pulsus frequens in primo hecticæ gradu, celer, & minor semper in dies. Sopor quasi pervigil. Permolestum quoddam, vix tamen quandoque sensile capitis, cæterarumque partium fastidium. Calor in gradu hecticæ secundo, unius circiter horæ spatio post pastum interposito, plurimum intenditur. Rubore intensius suffunduntur genæ. Torpidi evadunt ægri, mœrentes, tristes, infesti. Sitire incipiunt. Tussicula nonnumquam infestantur sicca. Urinæ, quæ naturales prius erant, crassiores fiunt, atque oleosæ. Sudores, & præsertim nocturni, uberrimi sane, graveolentesque in gradu tertio, iique liquantes; quibus iccirco solvuntur vires, extenuatur adeps, absumitur caro, usquedum marasmoides tandem, sive tabes manifesta insequatur.

Causa. Hecticam febrem ab ulceribus utplurimum interioribus, necnon etiam exterioribus, & inductam, & fotam fuisse cognovimus; sanies enim, quæ a sanguine præterlabente in ulceribus absorbetur, humores labefacit universos, eosque coinquinat, fœdatque; atque adeo fermentationem succendit febrilem, quæ tamen lenis saltem principio fit necesse est; eoquod particularum vis fermentescens, sanie per sanguinem effusa, quodammodo obruatur, eatenus dum tandem sanguinis balsamo per fermentationem diuturniorem absumpto, sive præcipitato, aut alio quovis pacto a reliquis secreto, exaltetur, calorem majorem, sive potius acriorem exerat, qui solidas iccirco partes, atque imprimis adiposas fundendo, sudores, item & urinas oleosas, easque uberrimas movet, quæ *colliquativa* nuncupantur.

Prognosis. Febris hectica facile in gradu primo curari posse creditur. Difficilius in secundo. Neutiquam plane in tertio. Ab anno decimooctavo ad trigesimum quintum usque, penes Hippocratem, (a) hecticæ febri obnoxii sumus; quo tempore quamdifficile, si succendatur, evadimus. Non ita, quum vel ante, vel post eam ætatem supervenerit. In fœminis facilius solvitur, quam in maribus. Alvi fluxus si insequatur, febricitantem quamprimum decessurum præcinit. Si decidunt capilli, pessimum omen faciunt: maximam quippe indicant fluidorum corruptelam, succique alibilis acrimoniam, qui rescindit, eroditque potius quam nutrit pilorum radices; quæ propterea recisæ, exsuccæ, ac pene dicam, excarnes avelluntur; quo fit, ut proprio pondere defluant capilli. Hectica febris, quæ ab ulceribus fovetur exterioribus, nisi ea tamen curationem plane respuerint, longe minus habet periculi, & longe facilius cedit, quam quæ produ-

(a) *Sect. 5. Aphor. 9.*

ducitur aut sine causa manifesta, aut ab ulceribus internis.

Curatio. Nullum unquam, hecticis curandis, prout ipsa rerum magistra quotidie præcipit experientia: magis antiquum, magis accommodatum, ac præsens videtur præsidium, quam pacatus animus, jucundæ consuetudines, rusticationes salubres, itinera, equitationes, vectationes, & vel in exteras regiones navigationes frequentes, ac diuturnæ, quibus vel tabidos quandoque solis omnino restitutos nonmodo accepimus, verum & ipsi vidimus. Ubi id contra nullatenus profuerit, incassum pene pleraque cessisse alia remedia in hectica vera semper observavimus. Victus esse debet optimi succi, humectans, non semper tamen tenuis, quin & plenior potius, utplurimum, quam tenuissimus, concoctu cæteroquin facilis, & medicatus, ut infra dicendum. Vinum noxam plerumque intulit. Loco vini ptisanam alii, alii mulsam, cerevisiam alii objiciunt. Infusionem radicis chinæ cum melle hispano, ac sufficienti quantitate optimi cinnamomi in mulsæ formam digestam, nos utique commendamus. Loco mellis, satius interdum quoque utimur passulis majoribus recentibus mundatis, necnon & radice glycyrrhizæ &c. In victu prosunt hordeacea, amygdalata, cancri fluviatiles, in jusculis præsertim sive gallinaceis, sive vitulinis elixati. Nocent salita nimis, aromatizata, eaque omnia, quæ particulis scatere solent acribus, ac volatilibus nimis; quæque iccirco humores universos acriores in die semper efficiunt, magisque erodentes. Aer deligatur temperatus, serenus, perflatus, qui ad humidum, frigidumque potius, quam ad calidum declinet. Id præ cæteris monet Galenus, qui docet præterea æstivo tempore, ubi calor magis intenditur, hectica febre laborantes, commorari debere in locis subterraneis, quæ sint frigidissima, una & maxime ventilata; eoque unico præsidio febricitantem hecticum extrema macie confectum, intra mensem restitutum se vidisse proclamat Riverius. Nisi respondeat alvus, clysteribus leniter concitanda. Plurimum confert, uti ante jam diximus, hilaritas. Mœrorem e converso, æque ac animi angustias, curasque mordaces hecticam quamsæpissime per se solas induxisse habemus. Coitus, maxime nimius, fugiendus, in quo sanguinis, ut ita dicam, uligo, quæ nimiam fluidorum compescit acrimoniam, absumitur. Purgationes penitus in hectica proscribendæ, ne lympham eam per dejectionem educamus; quæ humores concretos diluit, ac salium vim acrem, fundentemque enervat. Hinc potius humectantia conveniunt, alkalisata, bolosa, atque absorbentia. In quem finem optimo cum successu adhibentur pulveres ocul. canc., rasur. ebor., cor. cer. &c., gelatina ejusdem cor. cer., & reliqua ejusmodi, decoctiones emollientes, antiscorbuticæ ex radicibus ex. gr. graminis, altheæ, fragarum, ex floribus, foliisque borraginis, violarum, primulæveris, pimpinellæ, hederæ terrestris, cochleariæ &c. At præ cæteris serum, item & lac, asininum imprimis, solemne, ac præsens hecticæ curandæ solet esse auxilium; de quibus in historia, necnon & in animadversionibus subsequentibus fusius. Ad obstructiones viscerum, quæ hecticam passim aut fovere, aut comitari, aut saltem in-

sequi solent, referandas, perquam idoneas censemus aquas chalybeatas large haustas, non secus ac nucerianam, quæ particulas insuper salsas eluit, infringitque, ac per urinam subducit. Sanguinis missio, ubi redundet, & ob menses præsertim aut non debite fluentes, aut diu retentos, sive ob excretiones consuetas, aut per hæmorrhoides, aut per nares, aut per alia loca non ita pridem suppressas, necessaria videtur. Vesicantia contra, item & fonticuli plane ableganda; eo quod pus illud, quod in ulceribus conficitur, per ulcera ea extrinsecus inducta, non excernatur omnino; quinimmo ejus aliqua saltem portio, sive a sanguine, sive ab aliis per ulcera circumeuntibus humoribus absorpta, in gyrum per venas remeat, fluidorum massam iterum coinquinat, atque hecticam potius exasperat. Vesicantia præterea damnamus item ratione potissimum cantharidum, quarum acerrima effluvia, uti sensibus patet, a carne extrinsecus affecta, intus immittuntur in vasa, ac fluidorum acrimoniam longe magis acuunt. De fotibus, æque ac balneis, aquæ potissimum dulcis, non ita judicandum, quæ opportune adhibita, seri vim erodentem diluunt.

Historia VII.

Quicquid, febri hecticæ medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

GLycerium nobilis, ac nubilis puella, quæ decimum septimum nondum compleverat annum, optime constituta, robore valens, atque aspectu venusta temperamento prædita calido, humidoque, nempe sanguineo, amore tribus circiter ab illinc mensibus vehementer capta, zelotypa fit, ac misere ideo angitur. Mense Augusto, tum, quum fluxus lunares, qui prius opportune, commode, affluenterque ad id temporis numquam non confluxerant, recurrebant, ex inopinato exterrita, ac mensibus iccirco omnino compressis, febre corripitur ardentissima, rigore prævio; quæ ex acuta post diem morbi vigesimamprimam, quartana simplex evadit, contumax, diutina, quam tandem pertesa, ulteriorem curationem ad annum, & ultra neglexerat. Fluxus præfatus pridem suppressus, uti consueverat, tandem reversus quartanam penitus solvit. Paulo post febricula quædam insequitur; quam, cum ad menses fere octo sine ulla sensili remissione perdurasset, hecticam esse pronunciavimus. Mitis erat quippe calor. Lenis per articulos universos evagabatur dolor. Aderat tussicula, quæ duarum circiter horarum spatio a pastu interposito nonnihil exacerbabatur, quo tempore impense quoque rubebant genæ. Torpida erat, languens, pervigil, siticulosa, mœrens, irrequieta, noctu præsertim, ubi præterea in sudores uberrimos solvebatur. Urinas emittebat crassas, oleosasque. Pulsus parvus erat, frequens, & celer. Saliva salsa. Corpus insuper universum tabes ita confecerat, ut febrem ad gradum saltem hecticæ secundum pervenisse, inferre quisque potuerit. In eo plane statu hanc mense Aprili Anno salutis 1713. tractare cœpimus. Quia autem, ut famem, qua interim laborabat quasi canina, expleret, opipare vescebatur, & alvus adstricta erat, ventrem ideo blande prius sero caprillo solventi A concitavimus. Ut vero viscerum obstructiones evincerentur, atque ut ab humoribus labes fundens jam ante contracta elueretur, serum hac alia

alia ratione B paratum in Aurora quotidie iterum sumendum confecimus. Ut primum alvus sero solventi soluta, fluere cœperit, alteram quantitatem seri caprilli ad libras circiter quatuor depurati ex intervallo potandam ei præscripsimus; ac deinde, modo ulterius sitiisset, ut aquam nucerianam frigidam, utut ei libuisset vel post pastum superbibisset, potestatem fecimus. Serum præfatum B pro diebus sequentibus constitutum in cubili hauriebat *. Et postquam ad horam fere quievisset, insurgere consueverat, per amœna subinde ambulatura. Ut placide tamen, commode ac lente incederet, ne sanguis excandesceret, hortabamur. Lacte interim dumtaxat caprillo cum ovorum vitellis recentium quassatis, per B. M. cocto bis in die cum s. q. panis optimi triticei, abstemia prorsus, reficiebatur. Loco vini potare consuevit decoctionem hanc C. Diebus quindecim vix exactis, sudores nocturni plane sistuntur. Uberior excernitur urina, quæ tamen optimæ sit conditionis; atque alvus laxitatem quamdam inde naturalem sibi comparare cœpit. Quamobrem longe placidius noctu requiescebat Glycerium. Longe minus febricitabat. Et ut multa paucis complectar, longe melius eam se deinceps habere manifestissime cognovimus. Adeo ut brevi post, febre radicitus extincta, ac animo tandem pacato, carnem sibi induit, modicam suscepit pinguedinem, neque alia imposterum patiebatur incommoda, præter eam, qua adhuc vexabatur tussicula sicca, atque irritanti, quæ, ut plane extenuaretur, lac asininum post seri præfati usum, ea, quæ insequitur, ratione D paratum, proposuimus; neque incassum, siquidem lac illud sorbere vix cœperat, ut optime convaluerit; ea tamen prorsus in omnibus servata ratione, quam pro usu seri præscripsimus.

A ℞. *Mell. bispan. opt. unc. iv., crem. tart. drag. ij., ser. caprill. lib. j., m. f. serum solv. sumendum in Aurora, cui horæ unius circiter interposito intervallo, superbibere alteram per vices incipiat seri quantitatem ad libras usque quatuor, & ultra.*

B ℞. *Flor. borrag., viol., primulæver., folior. pimpinel., heder. terrestr., choclearia ana. pug. iij., ser. capril. recent. lib. j. m. f. levis infus., & mac. S. A., col., f. f. expr. & adde Mell. bisp. opt. unc. j., matrisperl. præp. dragm. j. cap. quot. jejuno in A. pro syr. ad dies 40. circiter.*

C ℞. *Hord. mund., & elixat. unc. ij., rad. opt. chin. dragm. ij., cinnam. opt. scrup. j., aq. nucer lib. iv. m. f. inf. & mac. S. A. ad hor. xii. circ. ciner. calid. Adde passular. majorum mundat. rec., & mel. bisp. q. s. ad g. s. bull. lenit., desp. S. A., col. pro potu quotid. ut m.*

D ℞. *Lact. asin. lib. j., cui adde syr. rad. chin. cum mel. bisp. confect. unc. j. cap. bis in die h. m.*

ANIMADVERSIONES AD TERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit mel, & quid præstet in usu medico.

MElle intus satius quam saccharo in Praxi medica utendum ducimus. Mel quippe, nihil aliud esse videtur, quam succus quidam roscidus, quem ex variis hinc inde delectissimis floribus, odoratisque foliis delibare solent apes; quemque ingestum, ac leviter immutatum ex stomacho postmodum in foveolis alvearium cereis eructant; ubi reconditus fermentatur, atque effer-

vescit; donec optime tandem digestus, atque in mellis formam subactus, eam, qua pollet vi, sibi comparet balsaminam. Particulas quæ tamen blande agunt, longe volatiliores habet, quam saccharum *hodiernum commune artificiale*, quod ex cannis contusis, atque contritis expressum, igne concrescit. Saccharum dico hodiernum commune artificiale; *vetus* enim, quod, penes Majores nostros, solemne fuisse accepimus, species fuit mucoris, ut ita dicam, melliti; qui naturæ solius ope in foliis, sive in tubo talium cannarum extrinsecus ex succo quodam earum tenuissimo exudante, cum rore matutino immixto, ad Solem inde, veluti manna, inspissatur. Mel tum ob plurimum, quod habet volatile, tum ob balsamum illud roscidum, tenue, ac blandum, quod ex plantis potissimum suaviter fragrantibus rore madefactis nanciscitur, leniter solvit, detergit, roborat, una & aperit. Quamobrem Mulierum mensibus, aut deficientibus, aut diu suppressis ciendis, revocandisque; necnon etiam obstructionibus viscerum reserandis præsens sane haberi debet remedium; quo optimo cum successu in jure utplurimum simplici ad unciam unam, aut duas quotidie in dies plures subinde frequentissime utimur & ipsi, jampridem edocti a Viro celeberrimo Francisco Redi Præceptore nostro olim dignissimo, qui pro re nata mel præsertim hispanum in præfatis affectionibus prædicare consueverat. Hispanum præ cæteris in Italia optimum existimamus, inde Calabrum. In plagis siquidem ejusmodi calidioribus ob majorem plantarum virtutem mel longe melioris notæ deligitur. Si decoquatur, & despumetur, tenujores avolant particulæ, atque adeo ejus, ex nostra sententia, potius obtunditur vis, qua morbis medetur. Mellis abusus pluribus ex causis noxius censeri debet, juvenibus potissimum, hypochondriacis, scorbuticis, hystericis, & maxime febrientibus, dummodo febris ardens sit; eo quod cum succis intestinorum facile fermentando, effervescat, immutetur, corrumpatur, atque in vappam, ut ita dicam, degeneret.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Victus salitus pro hecticis curandis non plane improbandus.

SUnt qui hæcticæ curandæ victum plane insulsum commendare consueverunt; atque adeo hectica affectos ab eduliis salitis omnino arcebant. Sal quamvis, vel ex nostra sententia, quum eo hectici abutantur, valde noxium haberi debeat, utpote quod intus per meatus corporis humani effusum, humores universos, & præsertim lymphaticos acriores facere, magisque erodentes valeat. Tantum tamen Clinicorum ea in re rigorem non probamus. Salis abusum in hecticis utique damnamus; quemadmodum damnamus item, fercula iis neque sale vel minimum condiri. Sal enim dapibus modice inspersum, ventriculi fibras, æque ac intestinorum roborat, blande stimulat, fermentorum vim acuit, digestiones adjuvat, secretiones movet, alvum lubricat, atque alios optimos præstat effectus vel in hecticis ipsis; qui præpostera ejusmodi quandoque victus potius ratione, quam febre ipsa, brevi, aut contabescunt, aut cachectici prætermodum intumescunt &c. Hyacinthus Fontana, vulgo

go *Farfallino*, municeps noster inter comicos modulate canentes, temporibus nostris celeberrimus, hectice superioribus annis febricitans, Parisiis Romam, pene jam confectus, nauseabundus, imbecillis, insomnis, ac propemodum expirans, redierat; quem nos protinus quasi, mense Januario inter ludos baccanaliorum, convaluisse observavimus postquam eo, quo utebatur victu, prorsus insipido fidenter improbato, ut fercula de more saliret præmonuimus. Si adeo, uti vulgo creditur, nobis noceret sal, saporibus, quos ex dapibus non inconcinne salitis elicit, sensus nostros tam eleganter neutiquam scalperet; quum sensuum organa, ut & in aliis tractatibus ante jam declaravimus, ad id unice nobis instruxerit Sapientissimus ille Maximus Optimus Opifex, ut per affectiones modo suaves, modo insuaves ab objectis sensilibus intime partas, quicquid humani corporis fabricæ conservandæ, sibi conveniat, ad punctum, ut ita dicam, temporis quisque intelligat.

CAPUT IX.

De Febre Intermittente in genere.

Varia intermittentium genera.

QUia febris intermittens modo certa, modo incerta recurrit periodo, hinc fit, ut modo dicatur *vera intermittens*, sive *intermittens regularis*, modo dicatur intermittens *erratica*; sive intermittens *non regularis*. Vera intermittens est, ubi *certa recurrit periodo*. Intermittens erratica vocatur, quum *incerta recurrit periodo*. Veræ intermittentes rursus dividuntur, *ratione temporis*, *ratione moris*, *ratione complicationis*. Ratione temporis distribuuntur in *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas &c.* Ratione moris in *benignas*, *& malignas*. Ratione complicationis in *simplices*, *& compositas*; quæ iterum distinguuntur in *compositas homogeneas*, atque in *compositas heterogeneas*. Compositæ homogeneæ, sive ejusdem generis, dicuntur, quæ pluribus componuntur intermittentibus ejusdem generis. Hujusmodi sunt quotidiana ex. gr., sive duplex, sive triplex &c., duplex, sive triplex tertiana, quartana &c. Intermittentes heterogeneæ vocantur, sive generis diversi, quum intermittentes simplices, quibus componitur intermittens composita, sint diversi generis, ut ex. gr., quum quotidianæ simplici injungatur tertiana, quartana, & sic de cæteris.

Diagnosis.

Ex hactenus dictis de natura, ac diversitate intermittentium in genere, educuntur quoque signa diagnostica; de quibus tamen fusius, quum de singulis intermittentibus verba facienda sunt, dicturi, non est, cur impræsentiarum plura dicamus.

Causa.

Febres intermittere, easque per intervalla recurrere, ideo autumamus, quia humor peccans, fermentum nempe febrile confectum prius, atque in cavis, meatibus, tubulis, sive in glandulis obstructis collectum, adeo ibi cumuletur, atque excandescat, ut objicibus tandem, sive repagulis superatis, atque distractis, identidem eructet in massam sanguineam, qua fædata, labefactaque, nil mirum si ejus vis, aut fervor quodammodo prius obruatur; qui postmodum, subactis, digestis, atque extenuatis, sive discussis crassioribus grumis, necesse est, ut invalescat, ac longe majorem vim acquirat. Hinc fermentatio, calor videlicet in ac-

cessionibus, quæ intermittunt, principio utplurimum valde restinguitur, incrementum longe majus deinceps suscepturus.

Prognosis. Duo potissimum, ratione prognosis, de intermittentibus in genere consideranda sese objiciunt: febris nempe natura, atque urinæ constitutio. Respectu febris, *quocumque modo intermiserit, periculo vacat* ex Hippocrate. (a) Attamen, ubi accessiones malignitatem præseferunt, plane quantumvis intermittant, neutiquam sine maximo vitæ periculo recurrunt. Intermittens, quæ diu sese produxerit, aut in hecticam, aut in hydropem facile desinit. Autumnales contumaciores. Si negligantur, aut si perperam tractentur, fieri solent continuæ, quandoque acutæ, quandoque chronicæ admodum pervicaces. Respectu urinæ, si principio tenuis sit clara, cruda; & crassior tamen si subinde evadat, turbeturque, febrem intermittentem brevi solutum iri indicat. Quinimmo & sedimentum quo citius demittit, eo melius.

Curatio. De curatione intermittentium perpauca hæc in genere recensere juvat. In diæta id præ cæteris curandum, ne vel ante, vel in ipso paroxysmo vescatur æger. Quinimmo principio paroxysmi, neque potus propinandus cujus tamen in statu, atque in declinatione potissimum, pluribus de caussis, de quibus infra, plenissima facienda est copia. *Quicquid enim*, verbis utor Dolæi, *paroxysmus in stomacho invenit, id omne corrumpit, atque in scorias febriles vertit*. Sorbitiones chalybeatas commendamus, utpote quæ viscerum obstructiones intermittentibus consuetas reserare valeant. Vigente paroxysmo, necnon etiam sub finem, sudoribus præsertim instantibus, ut largæ sint, ac frequentes, opera danda est; membranas quippe, ex æstuatione febrili arefactas, refrigerant, humectantque, salia concreta, & quodammodo fixa, volatilioribus in fermentatione febrili absumptis particulis, solvunt, eaque per sudorem, quem longe facilius movent, eluunt, emittuntque. Emetica, vomitoria nempe, febribus extinguendis, extirpandisque, si unquam convenerint, id maxime in intermittentibus, & præsertim contumacioribus, ex vitio ventriculi contulisse, comperimus. Ubi idonea censentur, una, vel altera hora antequam paroxysmus invadat, & tum maxime, quum stomachus nauseabundus sponte, ut ita dicam, sua, sese exonerare enititur, propinanda; vel quum a somno matutino experrectus æger, aut oris amaritudinem, aut nauseam, aut ructus patitur nidorosos. Morbi principio, ut diximus, maxime conveniunt; neque nocent processu, si intermittens, aut producatur, aut reviviscat, aut symptomata ingravescant. Leniora tamen eligantur, quæ neque irritent nimis, neque viscera torqueant. Purgationes, si fortiores sint, intermittentes utplurimum exasperant; organorum quippe facultates evertunt, fluidorum constitutionem turbant, vires minuunt, atque æstus febriles, symptomatum recrudescente syndrome, movent magis, ac augent. Clysteres contra vel ante paroxysmum injecti, & præ cæteris leniter detergentes, symptomata valde leniunt, iis præsertim, quibus aut alvus adstringitur, aut injunguntur in paroxysmo præcordiorum angustiæ, viscerum.

(a) *Aph.* 47. *sect.* 4.

rum ardor, borborygmi, hypochondriorum inflationes &c. Febrifuga, cortices nempe Kinæ Kinæ, coni cupressini exsiccati, cortices aurantiorum, hisque similia nequaquam in paroxysmo, verum aut ingruente, aut multo ante, aut etiam post, vel diebus ipsis intermissionis, propinanda sunt, eaque iteranda, parva tamen dosi per vices plures, iterum, atque iterum vel quum ad plures dies penitus intermiserit febris, quo morbi radicibus omnino sublatis, intermittens funditus tandem evellatur. Hæc tamen, nisi alvo prius opportune purgata, humoribus rite præparatis, ac fermento febrili per accessiones febriles quodammodo subacto, adhiberi tuto nequaquam solent, præterquam in intermittentibus malignis; quibus principio confestim occurrere debemus, ne ægrotum interficiant, ut deinceps fusius dicturi. Accessiones, nisi prævia saltem aliqua horripilatione invadant, febrifugis plerumque reluctantur. Venæ sectionem intermittentibus compescendis utplurimum sine successu hactenus experti sumus; quinimmo & atrociores quandoque provocasse invasiones, observavimus. Non ita tamen ubi febris intermittens excretiones sanguinis diu retentas insequuta sit; tum enim minime negligendam existimamus.

CAPUT X.

De Quotidiana simplici benigne intermittente.

Definitio quotidianæ simplicis benigne intermittentis.

QUotidiana benigne intermittens ea dicitur febris, *quæ quotidie intermittit, atque adeo quotidie recurrit sine malignitatis indiciis, frigore tamen, utplurimum, atque horrore prævias, febrientem non procul a cibo ingesto invadens.*

Diagnosis.

Quamobrem ab invasionibus præsertim dignoscitur quotidianis, quæ penitus intermittere, atque recurrere debent sine ullo malignitatis indicio, ut quotidianam simplicem benigne intermittentem proprie constituant.

Causa.

Quicquid commenti unquam fuerint Veteres de origine febris hujusmodi intermittentis, pituitæ in stomacho, æque ac in intestinis putrescentis vitium culpantes, nos longe probabilius ducimus, non alia de causa quotidianam simplicem benigne intermittentem excitari, nisi quod humor quidam stagnando in tubulis obstructis visceris alicujus, depravetur, ac depravatus tantum ibi quotidie suscipiat incrementum, ac tanto cum impetu obices quotidie impellat, ut semel in die eos vincat, atque in vasa irrumpat sanguifera; ubi sanguini immixtus fermentationem febrilem suscitet. Quod autem ut luculentius sit, ponamus ex. gr. in mesenterio, ductibus quibusdam lacteis obstructis, glandulis, sive potius receptaculis chylosis stagnando inhæsisse portionem quamdam chyli; quæ ibi propterea consistens adeo alteretur, sive potius depravetur, ut in fermentum abeat febrile; quod intra spatium horarum 24. ita cumuletur, effervescat, rarefiat; ac rarefactus ita ebulliendo intumescat, ut ibi inclusus diutius stare nequeat. Atque adeo ponamus, impetu facto, viam sibi per meatus obstructos quodammodo stravisse. Fermentum id, tum deferatur necesse est in cysternam chyli communem, ac per ductum thoracicum, venamque subclaviam sinistram in auriculam cordis dexteram; ubi

ubi sanguini immixtum, ac intime perfusum, una cum eodem sanguine quaquaversum effunditur. Hinc fermentatio suscitatur febrilis, quæ fere semper, tremore, ac frigore præviis, invadere deberet; quibus exinde succedere æstus febrilis; quæ fieri minime potest, quominus habeat incrementum, statum, ac decrementum, cessans quotidie penitus, atque recurrens pluribus ex causis mox exponendis.

Quare invasiones febriles ut plurimum prævio rigore, & certa, sive incerta periodo excitentur &c.

Deberent prius sensibiles fieri tremores cum frigore. Fermentum enim febrile, quod recens sanguini commiscetur, & una cum sanguine vasis sanguiferis distribuitur, crudum adhuc, crassum, rude, atque, ut ita dicam, indigestum, cordis ruditer irritat fibras, æque ac minimos plexus nervosos, sanguinis fermentationem obruit, & calorem iccirco compescit, imminuitque. Inde horripilatio, tremores quandoque spasmodici, concussiones, ac molesta corporis universi perfrigeratio. Perfrigerationem ideo paulo post insequitur æstus febrilis, quia fermentum febrile ulteriori fermentatione magis magisque subactum, sensim semper per gradus extenuatur, donec tandem exaltatum incendatur, atque effervescat. Quamobrem in intermittentibus universis perfrigeratio saltem aliqua spasmodica, ac convulsiva, æstum febrilem præcedere solet. Fermento demum febrili, aut penitus absumpto, aut despumato, aut excreto, egestoque, calor extinguitur febrilis; qui modo magis, modo minus producitur, prout major, vel minor est quantitas humoris peccantis, sive prout magis, vel minus resistit &c.; neque prius recurrit, quam alia quantitas humoris stagnantis, stagnando alteretur, atque in fermentum febrile, uti prius, convertatur, in vasa sanguifera iterum, atque iterum irrupturum. Quicquid innuimus de quotidiana intermittente, intelligere quoque expedit de tertiana, quartana, ac de universis intermittentibus, quarum periodi excitantur, præfiniuntur, dirigunturque a qualitate, & quantitate materiæ pravæ stagnantis in visceribus obstructis, in quibus magis magisque in dies immutatur adhuc, atque corrumpitur. In visceribus dicimus obstructis, id siquidem contingere potest vitio, non modo solius mesenterii, verum etiam hepatis, lienis, pancreatis &c., necnon etiam a suppuratione quadam interiori; quæ tamen febres, erraticas potius procul ab omni lege, quam periodicas, statis temporibus, intermittentes progignere, atque educare solet.

Prognosis.

Febris quotidie intermittens, periculo quamvis plerumque vacet, contumax adeo esse solet, ut ad plures menses quandoque perducatur. Neglecta tamen, sive si perperam tractetur, non expers periculi; quinimmo & ad tabem, & ad hydropem, febricitantem quamsæpissime deducens, enecare solet.

Curatio.

Quotidianis intermittentibus solvendis plurimum confert aer calidus, & siccus potius, quam frigidus, atque humidus, victus tenuis, humectans, optimi succi, concoctuque facilis. A vino, prioribus præsertim diebus, plane abstineatur. Alvus sit adaperta, animique affectus, fieri quantum possit, pacati. Priusquam febrifugis utamur, ut alvus, & stomachus eluatur, necnon etiam ut humores præparentur, opera danda est. In quem finem clysteres, non modo præscribendi sunt prius,

prius, verum etiam purgantia, item, si opus fuerit, emetica, aut vomitoria, leniora tamen, & blandiora. Decoctiones dehinc, infusiones, atque emulsiones conveniunt emollientes, aliquantulum amaricantes, deobstruentesque, de quibus universis in historia sequenti. Si redundet sanguis, minuendus. Quibus opportune præmissis, quum febris adhuc tamen quotidie recurrat, tum ad præsidia febrifuga, de quibus & in superioribus verba fecimus, & in sequentibus facturi sumus, confugiendum.

Historia VIII.

Quicquid, quotidianæ simplici intermittenti medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

PAmphilus decem & octo ab illinc annis natus, corpore sano, nonnihil pinguis, ac temperamento, quod calidum, & humidum dicitur, sanguineo videlicet, præditus, Mense Augusto, ardente Syrio, non procul a fonte frigidissimo, sub umbra platani, zephyro flante, ludendo delassatus, placide obdormit insudans. Experrectus, ac fame tentatus, fructibus præsertim horariis, avide vescitur, quibus vinum malvaticum meracius superbibit; quo temulentus domum revertit, atque recumbens, sopore arctissime captus, ad plures horas iterum obdormit. Expergiscitur tandem, & ut consopitus plurimum insudasset, faucibus exhaustis, plurimum sitit. Hinc intus, uti dictitabat, pene arefactus, gelidam, quam artificiose ei confecerant, perquam acidam ex succo limonum, large sorbere cepit. Siti expleta, denuo recumbit, una & requiescit. At ex inopinato vehementissimis torminibus, alvo suppressa, excitatus, nisus habet evomendi irritos; quibus occurrit theriaca, quam vino generoso solutam deglutivit. Solvitur inde alvus, ac nisibus evomendi plane pacatis, longe melius se habere testatur. Attamen nauseabundus, ac viribus perfractis, admodum languens, de maxima conqueritur apepsia, una & de summa capitis imbecillitate: id fere per triduum, eo usque dum non procul a prandio, tandem frigefactus, ac rigore quodam repentino correptus, ad horam circiter concutitur. Mox calor febrilis insequitur, qui processu intensissimus fit; ac postmodum decrescens, intra spatium horarum 12., vomitu prævio bilioso amarissimo, prorsus extinguitur. A febre immunis fit ad eamdem plane usque horam diei præcedentis. Ex quo iterum, uti pridem, iisdem symptomatibus renascitur, item & resolvitur paroxysmus, eamdem propemodum servans periodum ad diem usque morbi octavam. Quo tempore sese nobis tractandum objecit. Febrem esse quotidianam simplicem benigne intermittentem dignoscentes, eam hac, quæ insequitur, methodo illico tractare suscepimus. Ex erroribus, quos in victu potissimum præmiserat, necnon & ex nausea, vomitu, sapore pravo, atque hypochondriorum inflatione, quæ in paroxysmo præter naturam intumescebant, stomachum, æque ac intestina, sarcina recrementorum quadam effœta, sive non congrua in hoc morbo affici imprimis, pro certo habuimus. Eluenda iccirco quamprimum fore judicantes, potionem hanc A emollientem blande solventem, clystere ex solo jure salito prius injecto, hauriendam confecimus. Quæ ut concitaverit alvum, iterum atque iterum præcepimus, ut superbiberet jusculum modice sali-

salitum ad quantitatem libræ unius, & ultra, per vices tamen, quo satius alvi colluvies eluereturˑ. Ut primum itaque præfatæ purgationis ope abluta est alvus, longe melius imposterum se habere cœpit æger, ratione præsertim, tum nauseæ, tum vomitus, tum hypochondriorum, quæ prius intumuerant. At enim vero, licet hon adeo uti pridem infesti, recurrebant tamen quotidie paroxysmi. Hinc humoribus, jusculo alterato decoctionibus idoneis, quod jejuno potabat, prius præparatis, quotidianam hanc intermittentem febrifugis plane eradicandam decrevimus; quæ per infusionem quater, diebus singulis ita ut in B præbuimus. Dies erat morbi decima, ex qua ejusmodi febrifugo uti cœperat, neque incassum; siquidem ante diem vigesimam septimam, sudoribus uberrime erumpentibus, una & urina abunde excreta, in pristinum se optime restitutum sensit Pamphilus.

A ℞. *Syr. viol. viol. unc. ij., ol. amygd. dulc. rec., & s. ig. ex unc. iv., aq. cinnam. i. unc. j., m., & cap. in jure insulso tartarisato.*

B ℞. *Cort. kin. kin. unc. j., cinnam. opt. dragm. ii., sal. tart. dragm. ss., aq. com. lib. iv., m. f. inf., & mac. in B. M. ad hor. 48. circiter S. A. Adde mell. hispan. unc. iv. bull. levit., despum. colet. cap. per vices ad quantitatem unc. iv. singulis vicibus hac lege, uncias nimirum quatuor h. m., & tantundem hora quotid. ante prandium, & ante cœnam &c.*

CAPUT XI.

De Tertiana simplici benigne intermittente.

FEbris tertiana simplex benigne intermittens, tertiana ideo vocatur, quia tertia quaque die recurrit; quocirca eam describendam ducimus, *febrem esse, quæ plane licet intermiserit, tertia quaque die recurrit, rigore utplurimum præeunte sine ullo malignitatis indicio*. Rigore dicimus utplurimum *præeunte*, eoquod in tertianis quandoque, raro quamvis, ut vel ipsi passim observavimus, sine ulla, vel levissima sensibili horripilatione de tertia in tertiam diem recurrat calor febrilis. Definitio.

A periodo, qua tertia quaque die recurrit febris, quæ omnino intermiserit, evidentissime dignoscitur, eam temporis processu tertianam fore. Principio autem tertianam fore simplicem intermittentem benignam suspicari datum erit, si intra horarum duodecim circiter spatium, nullo vel levi apparente malignitatis indicio, plane intermiserit. Si cum horrore, ac frigore vehementer febrientem corripuerit. Si febris progressu impense tandem incaluerit. Si vomitus accesserit amaricans, aut principio, aut incremento, aut in statu, sive in decremento paroxysmi. Hinc non modo vomitus inter symptomata tertianarum simplicium connumerari solet; verum etiam quicquid molesti infert, tum in ore, tum in ventriculo, tum in partibus finitimis humor peccans, qui ventriculi, una & intestinorum plexus nerveos lædere possit, antequam evomendo egeratur: anxietas nimirum, præcordiorum angustia, nausea, sapor amaricans, Diagnosis.

cans, ructus nidorosi, atque, faucibus exhaustis, sitis quandoque ardentissima &c.

Causa. Quicquid de origine tertianæ simplicis benigne intermittentis protulerint Prisci, fermentum febrile in ea, non secus ac in reliquis universis intermittentibus, ubique locorum confici, latitare, & cumulari posse in visceribus obstructis corporis humani viventis existimamus; quandoquidem si de tertia in tertiam diem in vasa irrumpat sanguifera, minime fieri poterit, quominus excitet accessiones febriles typo tertianario ex intervallo recursuras, ut non ita pridem satis superque declaravimus.

Prognosis. Tertiana simplex benigne intermittens, nullum quamvis natura sua periculum habeat, non est tamen, quod nonraro, aut si negligatur, aut clinice male administrata si vitietur, evadere non possit vel intermittens maligna, vel continua acuta, ac perniciosa, ut non semel percepimus. Nonnumquam, declinante præcipue autumno, in quartanam cessisse observavimus. In senibus neutiquam sine periculo. Superveniens icteritia, tertianam solvit. Tertiana, quæ legitima est circuitibus septem terminatur ex Hippocrate (a) vel ad summum decem. Sin autem ulterius producatur, difficilior curatu fit. Nubecula alba per urinam in matula stagnantem suspensa, brevi solvendam tertianam denotat. Quo vehementiora in accessionibus apparuerint symptomata, dummodo febris penitus intermiserit, eo citius solvendam fore, prænunciant. Ulcera, quæ labiis supervenerint, eam contumaciorem fieri penes nonnullos indicant; tametsi non ita sentiant alii perplures, inter quos Riverius præcipue ita scriptum nobis reliquit (b). *Scribit Haly, & vulgatissima docetur experientia, tertiana laborantibus, si ulcera, aut pustulæ in labiis, & naribus erumpant, finem febris præsagire. Est enim quædam veluti crisis, quæ ad illas partes fit.* Quum diu protrahitur, viscerum obstructiones, & lienis imprimis contumacissimas facit.

Curatio. Præter ea, quæ, ratione diætæ quotidianæ simplici curandæ, antea proposuimus, quæ profecto & tertianæ simplici evincendæ plane conveniunt; animadvertendum superest, tertianam simplicem intermittentem, benigna licet sit, valde tamen pervicacem fecisse victum saccharatum, mellitum, salsum, atque aromatizatum, validam, ac diuturnam corporis exercitationem, item & vigilias data opera diu protractas. Hinc sopori quandoque opiata in tertiana conciliando apprime conducunt; quæ sola eam nonraro, contumacissimam quamvis, omnino extenuasse, conjecimus. A vino prorsus abstinendum. Quietem tum animi, tum corporis præ cæteris commendamus; corpore quippe quiescente, ac animo pacato, succorum in organis digestiones, in vasis despumationes, in glandulis secretiones, longe facilius peraguntur. De curatione pharmaceutica, æque ac chirurgica, quum eadem fere pro curandis, tum tertianis simplicibus, tum simplicibus quotidianis benignis usurpari debeat, non est cur hic plura addamus; eoque minus, quod si quid de iis reliquum est, in historia, quæ insequitur, id fuse exponere non dedignabimur.

Histo-

(a) *Sect. 4. aph. 59.*

(b) *Prax. Med. l. 17. c. 3. de febr. tertian.*

Historia IX.

Quicquid, tertianæ simplici intermittenti medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

LEucippus venator, vir annorum triginta circiter, optime constitutus, neque pinguis, neque prætermodum gracilis, temperamento præditus, quod calidum, & siccum, sive biliosum vocant, staturæ proceræ, nullum propemodum, in victu præsertim, ordinem servans, mense Januario subdio venando, aquilone vicissim, atque austro promiscue, nulla lege servata, ex adversostantibus, æque ac reflantibus, varia passus incommoda, rusticum tuguriolum ingreditur. Algens gelu, ac imbribus madefactus, foco assidet. Calefit. Conquiescit. Valde inde exuriens, leguminibus, cæpis, item & carne suilla abunde vescitur, mero interim plurimum indulgens. Domum postridie reversus acerrimis, ac circumvagis per articulos universos doloribus tentatur, quos capitis quædam gravedo non ita pridem præcesserat. Paulo post horror, una & rigor insequitur ingens, cui horis duabus fere elapsis calor febrilis accedit. Is principio mitis. At adeo deinceps intenditur, atque extenditur, ut in progressu intolerabilis evadat, neque restinguitur, nisi plurimo prius egesto sudore, ac uberrima urina excreta; quod ad horam fere a paroxysmi principio duodecimam contingere consueverat. In paroxysmo a primo ad ultimum nauseabundus, plurimum sitit, ac de dolore capitis permolesto conqueritur. Eadem ferme hora, eodem typo, alternis diebus, iisdem symptomatibus febris ita recurrit, ut ex tertia invasione eam tertianam fore exquisitam simplicem benigne intermittentem prædicere non dubitaverim, quam propterea non ultra septimum paroxysmum sese productura fore sperans, operam tantummodo dedi, optima victus ratione præscripta, ut alvus diebus intermissionis clysteribus elueretur. Atque humores jusculis alteratis cum foliis cichorei, borraginis, atque acetosæ interim præparare studui. At enim vero, quum rem præter opinionem cessisse ex octavi paroxysmi magis recrudescente invasione intellexi, statim Diatartaro P. Cast., quod ad dragmas decem in bolos reformavimus, ante cœnam deglutito, fœcibus ab alvo omnino exclusis, necnon & sanguine ex vena in brachio soluta, biduo post, die nimirum intermissionis proxime futura, ad libram circiter educto, ad usum Kinæ Kinæ confugiendum decrevimus, quam Leucippo ea qua insequitur Ratione propinavimus. Bolos præfatos quatuor vix vicibus deglutiverat, quum tertiana plane cessaverit. Ne tamen imposterum revixisset amplius, Leucippum per alias vices, diebus quindecim circiter interpositis, prædictis bolis, ut identidem ad mensem, & ultra uteretur hortati, effecimus, ut is morem nobis gerendo, ea, quam præscripsimus, methodo omnino convaluisset.

A ℞. *Cort. Kin. Kin., rhabarb. electi. ana. scrup. i., sal. tart. gra. vij. m. in pollinem redigantur, & in bol. cum sp. de cichoreo redacta, cap. quotid. statim ante prand., & ante cœnam.*

G A-

CAPUT XL

De Quartana simplici benigne intermittente.

Definitio quartanæ simplicis benigne intermittentis.

NON secus ac quotidiana, item & tertiana, a periodo, qua febricitantem corripit, quartanæ sibi comparat nomen febris ea intermittens, quæ quarta quaque die recurrit. Quocirca quartanam simplicem benigne intermittentem describendo, affirmare non erit abs re, *eam esse febrem, plane intermittentem, quæ quarta quaque die, ab omni procul malignitatis indicio, recurrit, prævio utplurimum rigore, aliorumque symptomatum concomitante caterva.*

Diagnosis.

Ideoque a periodo, quam recurrendo in accessionibus servare solet, potissimum dignoscitur. Quartanarii præterea famelici plerumque sunt, quinimmo & persæpe *picacei*; id, ni fallor, ob vitiatum stomachi fermentum, quod ventriculi plexus præter naturam mordicando eum elicit pravum ventriculi sensum, quo inducuntur, ut vel congrua, vel etiam quandoque non congrua avide appetant. Insuper morosi, item & languentes deprehenduntur, ptyalismo frequenter obnoxii. Urinam præter naturam varie alteratam excernunt. Sudores uberrime, graveolentes, glutinosos, atque acidum utplurimum spirantes emittunt, &c.

Causa.

Quum paroxysmus de quarta in quartam diem in hac febre recurrat, inferre non dubitabimus, fermentum febrile, quod quartanam procreat, fovetque; per biduum coerceri, & carcere, ut ita dicam, detentum intus in vasis, sive in glandulis obstructis commorari; in quibus iccirco, diu stagnando, magis magisque corrumpitur, atque impensius acescit, quam in quotidiana simplici, & in simplici tertiana. Nil mirum igitur, si quartanam utplurimum comitentur obstructiones viscerum longe contumaciores; eoquod humores in quartanariis longe acidiores evadant, magis magisque concrescant, fixentur, & stagnent.

Prognosis.

Quartana simplex benigne intermittens plerumque sine periculo exoriri, & perdurare solet, iis præsertim, qui nondum senio confecti plurimum habent roboris, quo, recurrentibus paroxysmis, diu resistere queant. De genere est chronicorum, atque ad annum, & ultra non semel producitur, tum maxime, quum autumno succendatur. Interdum, ubi contumacissima sit, in hydropem desinit, aut in cachexiam, necnon & in affectiones scorbuticas, & quamsæpissime in hecticam. Infantibus facilius, quam adultis discutitur. Senibus non expers periculi.

Curatio.

Victus, quartanæ curandæ, non absimilis illi, quem reliquis intermittentibus extenuandis hactenus præscripsimus, conveniens est. Vinum in quartana, quæ plurimum sese protraxerit, non omnino ablegandum; quod autem bene diluere, ac temperare juvat aqua chalybeata per extinctionem ferri candentis ad obstructiones referandas. Purgationes tum emeticas, tum catharticas propter virium imbecillitatem, nisi blande moveant, plane damnamus, & maxime in morbi processu. Qua de re humoribus pravis discutiendis, egerendisque satius ducimus *epicratice* potius incedere rhabarbaratis, aliisque solventibus amaricantibus, quæ humores concretos solvunt, eorumque acorem emendant.

In

Digitized by Google

In quem finem inter alterantia commendamus quoque decoctiones amaricantes, cichor. ex. gr., centaurii minoris, & reliqua aperientia; quibus quandoque immisceri præsens est remedium emollientia, uti sunt flores, folia, atque radices malvarum, violarum, borraginis, altheæ, graminis, hisque similia. Oleosa tamen, pinguia, eaque denique omnia, quæ ventriculi, intestinorumque fibras prætermodum relaxare valent, noxam intulisse quartanariis fere semper animadvertimus. Fœcibus in organis digestionis congestis, uti proposuimus, ante discussis, atque humoribus probe alteratis, nisi tamen cesset febris, eam, ut consuetis febrifugis plane deleamus, conari debemus.

Historia X.

Quicquid, quartanæ intermittenti medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

MElibœus villicus, qui ætatis ad annum nondum pervenerat sexagesimum, corpore sano, temperamento pituitoso, frigido nempe, humidoque præditus, æstivo tempore, mense videlicet Augusto sub canicularis æstus finem, procul ab omni manifesta occasione, febre maligna, uti credebatur, ex coagulo, correptus est, qua diu vexatus, ac pene confectus, die vigesima morbi prima exacta, tandem aliquando convaluit; valde tamen exinde imbecillis, macilentus, ac plane enervis. Mense Octobri, dum ut famem, quæ tum maxime supervenerat acerrima, expleret, opipare vescebatur, ex inopinato post cœnam decumbens, adeo frigescit, ut pene algens nullo pacto, nisi horis tribus elapsis, calefieri potuerit. Frigori calor statim accedit febrilis, qui de gradu in gradum subinde semper invaluit, usque dum maximus tandem evasit. Ab hora duodecima decrescere cœpit, ac uberrimo superveniente urinæ affluxu, quam sub finem, a principio paroxysmi, horæ circiter decimæ octavæ excrevit, omnino evanuit. Paroxysmus eodem ferme principio, eodem incremento, æque ac decremento, quarta quaque die, eadem ferme hora, iisdemque symptomatibus recurrit, intervallo nimirum quartanario. Hanc itaque quartanam fore præsentiens vel æger, eamque parvi faciens ad plures menses plane neglexit. Quinimmo & varios in victu potissimum errores committens, viribus plane destitutus, ac macie pene consumptus, mense Aprili Anni 1717., ad Nosocomium confugit. Jamdudum erat, ex quo nausea superveniens, eam edendi maximam substulerat aviditatem. Alvum interim quotidie commode, atque opportune exinaniebat. Plurimum sitiebat. Sudoribus nocturnis, diebus præsertim intermissionis, infestabatur, iisque graveolentibus, crassis, atque acorem insuper spirantibus, quo tempore parce mingebat. Urinæ tenues semper erant, aquosæ, atque non coctæ, nullum deponentes sedimentum. Quibus omnibus mature consideratis, Melibœum in Nosocomio ægrotantem ita ut in A tractare cœpimus. Victu interea temporis utebatur optimi succi, concoctu facili, qui tamen tenuis erat, ob eam maximam, qua tenebatur apepsia. Vini loco, eoquod vinum ipsum summopere fastidiret, aquam mulsam chalybeatam cum corticibus citri, ac cinnamomo infusis, non insuaviter alteratam in usum quotidianum potabat. Quia autem hujusmodi curandi methodum parum processisse post dies octo cognovimus, præter decoctiones præfatas alterantes, quas in Aurora sumebat,

Digitized by Google

bat, usum corticis Kinæ Kinæ ea, qua insequitur ratione B, instituimus. Die tertia ab usu febrifugi istius quartana omnino intermisit. Attamen, quoniam languens adhuc erat æger, & ad vires recreandas, & ad cibi, quæ plane defecerat, revocandam cupiditatem, optimam chocolatam in lacte caprino per extinctionem ferri candentis chalybeato solutam, atque spumantem, diebus singulis bis per triduum, loco prandii, & loco cœnæ, ut sorberet, præcepimus, experientia quamsæpissime edocti, sorbitionem hanc solam morborum diuturnitate viribus fractis restaurandis, spiritibus obrutis excitandis, refocillandisque, plurimum prosuisse. Enim vero illico aliquantulum restitutus, & cibos consuetos appetere, & longe minus incommode post cibum requiescere cœpit. Quamobrem reliquis omnibus procul amotis medicis præsidiis, ut semel saltem in die jejunis saucibus antelucanis horis, ut obdormire inde commode potuisset, eamdem potionem ex chocolata lacte subacta, exagitataque sorbendo, intra mensem tantum sibi roboris, omnino convalescens, nactus est, ut dehinc, semper licet abstemius, numquam se melius habuisse, chocolatæ vel in rebus medicis usui plaudens, decantaret.

A ℞. *Folior. pimpinel. cichor.*, *centaur. minor. ana. pug. iii.*, *salv. fol. iii. aut iv.*, *sem. citr. contus. dragm. j.*, *cinnam. opt. scrup. ss.*, *aq. chalyb. q. s. m. decoqu. S. A. Col.*, *& adde syr. de cichor. cum rhab. unc. j.*, *Cap. quot. in A. per dies xv.*

B ℞. *Cort. Kin. Kinæ*, *Rhabarb. elect. ana. scrup. j.*, *sal. tart. scrup. ss. m. in tenuiss. pulv. redigant.*, *ac in b. cum theriac.*, *ac conserv. rosar. ana. dragm. ss. S. A. reform.*, *cap. statim ante prandium*, *& ante cœnam quotidie per dies viii.*

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sint febres malignæ intermittentes, & quomodo curandæ.

NON raro contigisse observavimus, & observamus in dies, invasiones febrium intermittentium, quamvis plane intermittant, præseferre tamen, & in vigore præsertim invasionis, nonnulla malignitatis indicia, delirium nempe, soporem quasi lethargicum, convulsiones, non raro petechias, & reliqua, quæ humores omnes, labe quadam maligna, sive ex coagulo, sive ex solutione fœdatos commonstrare solent. Tum, quamvis, uti diximus, plane intermittat febris, *maligna* nuncupatur *vere intermittens*; quæ profecto, quoniam febrientibus, vel prioribus invasionibus, necem molitur, summopere periculosa habenda est. Hinc febribus hujusmodi vere intermittentibus malignis, ne dum Romæ, ut ita dicam, consulitur, Saguntum expugnetur, febrifugo confestim occurrendum est. Quemadmodum autem hisce in casibus clinice incedendum sit, id fuse ea, quæ insequitur, historia exponere aggrediar.

Historia XI.

Quicquid, febri malignæ intermittenti medendo, præstare consuevimus,

ARchillis Mulier, tribus ab illinc annis vidua, annorum quadraginta & ultra, modicæ staturæ, temperamenti calidi, atque humidi, corpore sana, ac fluxibus licet per pudenda consuetis ad Menses complures plane exhaustis, viribus, æque ac valetudine ad id temporis optime con-

historia declaramus.

constans, mense Novembri ruri febre ex improviso corripitur, quæ valde perniciosam vel principio sese manifestavit. Hæc tamen ex intervallo horarum duodecim circiter omnino extinguitur. A primo ad ultimum paroxysmi arctissimo quodam lethargo veluti consopita spasmodice identidem convellebatur. Aridæ, atque exsuccæ erant fauces, æque ac lingua. Intumuerant hypochondria. Partes extremæ pene algentes ad tactum, madore quodam frigido irrorabantur. Horror, quo febris invadere consueverat, brevis erat, & vix sensibilis. Pulsus sanorum similis vel in ipso vigore paroxysmi, item &, quas parce tamen emittebat, urinæ. Quibus mature consideratis & antequam alter rediret paroxysmus febrem hanc malignam fore intermittentem conjicientes, clystere ad alvum eluendam prius immisso, ut satius tamen expurgaretur, id solvens A ex oleo amygdalarum dulcium recenti, & sine igne extracto, confestim sumendum confecimus. Cui tum, quum alvum concitare ceperit, large ex intervallo superbibit jusculum insulsum cum seminibus citri alteratum. Ter itaque, die intermissionis prima, alvo modice soluta, jusculum ex foliis cichorei, borraginis, ac sonchi alteratum postridie in Aurora potandum præbuimus, observantes interim, num de tertia in tertiam paroxysmus deinceps revivisceret; qui profecto, iisdem symptomatibus, eadem propemodum hora Archillidem aggressus, eam adeo profligavit, ut animam brevi actura quasi videretur. Quamobrem sine mora coxis, cruribusque inferioribus vesicantia, necnon etiam sinapismata plantis adhibuimus; idque ut a cerebro, item & a præcordiis humor peccans eo, quo valuisset, modo, averteretur, qui partibus iis præ cæteris minitabatur. Solvitur paroxysmus sudore uberrimo, una & urina copiose excretis, quæ sub finem paroxysmi egessit. Paroxysmo iterum soluto, ne tanta atrocitate deinceps recurreret, vires ejus infringere febrifugis enittebamur, quæ statim ita ut in B præscripsimus. Præterea, quia sanguine plurimo scatere, ex indiciis inferre rationi consonum videbatur, eoque magis, quia excretionibus menstrualibus, uti diximus, plane carebat, venas ex pudendis solvendas hirudinibus judicavimus, ex quibus die intermissionis secunda, libra circiter sanguinis, ut lethargus præcipue, quo in accessionibus arctissime detineri consueverat, discuteretur, data opera effecimus, ut guttatim deflueret. Redlit paroxysmus tertius, & longe minor, item & quartus, qui & adhuc longe mitior exarsit. Mox Archillis ea a primo ad ultimum servata methodo optime convaluit. Enervis tamen, ac viribus ad mensem plane integrum destituta.

A ℞. *Tart. bonon. dragm. ii., senæ orient. mund. unc. ſs., aq. comm. q. ſ. m. f. inf. S. A. Col., & adde Mell. hiſpan. opt. unc. ii., olei amg. dulc. rec. & ſ. igne extrac. unc. vi. cap. ut m.*

B ℞. *Cort. Kin. Kin., rad. contrayer. ana. ſcrup. i. m. in pulv. redig., ac in b. cum conf. hyacint. alb. reform. cap. quot. h. m. quibus ſuperbib. ſemper iuſculum alteratum cum radicibus ſcorzoneræ, contrayervæ, cum foliis card. benedict., ſonchi, ac pimpinellæ.*

ANI-

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM RATIONE PHARMACIÆ.

Quicquid adnotare debemus in cortice peruviano præscribendo.

PErquampauca sane ex promptuariis Medicis nobis extant præsidia, quæ in cæteris morbis profligandis eam vim exerceant, quam in resolvendis febribus saltem quibusdam corticem Kinæ Kinæ specifice exercuisse jamdudum observavimus. In quo autem præfati corticis facultas febrifuga sita sit, nondum exploratum habemus; & amaritiem intensissimam, una & austeritatem quamdam sapori licet præseferat, an tamen refrigeret, an calefaciat, an solvat, an coagulet, an fundat, an præcipitet, an alios denique in corpore humano vitam habente abditos occulte præstet effectus, plane hactenus ignoramus. Id tantummodo ex observationibus, & nostris, & aliorum practice accepimus, corticis abusum viscerum quandoque obstructiones contumacissimas, profundos abscessus, mensium in fœminis suppressiones, hæmorrhoidum in maribus frequentissime peperisse. Quocirca id præcise adnotare expedit, ne corporibus prætermodum impuris, aut fluxibus ejusmodi depurantibus, vel præsentibus, vel imminentibus, modo fieri possit, propinetur. *Modo fieri*, inquam, *possit*; intermittentibus quippe malignis, penitus quamvis intermittant, nisi febrifugis quamocissime occurramus, prioribus invasionibus æger omnino perfractus utplurimum succumbit.

Formulæ, quibus cortex præfatus peruvianus præscribi solet.

Modus, quo cortex is præscribitur, varius est, exhibetur enim in substantia, & vires ejus eliciuntur quoque infundendo, decoquendo, macerando, necnon etiam condiendo. Antiquissimum fuit, corticem Kinæ Kinæ, hac, quæ insequitur, formula A parare, & propinare. Dehinc in intermittentibus maxime continuis loco vini aquis destillatis, sive scorzoneræ, sive cardui benedict., sive rutæ caprar., hisque similibus uti consueverunt alii. Posthac tincturam ex cortice præfato elicere præsertim aggressi sunt Galli in vino eodem per digestionem in B. M., ea, qua insequitur lege B. Nos autem in vino nisi in corporibus quibusdam cachecticis, vel in quartanis diuturnioribus id febrifugum numquam propinare consuevimus; eo quod longe melius in reliquis febribus restinguendis per alia menstrua potius, quam per vinum, vires suas exerere experientia nos certiores fecerit; a qua præterea didicimus, si per vices subinde in parva dosi exhibeatur, validius, ac tutius egisse, quin symptomata, vel minimum exasperet in paroxysmo. Methodum iccirco, qua corticis Kinæ Kinæ præscribendæ utimur, sequens C propemodum esse solet. Hujusmodi formula simplicissima est, eaque optimo semper cum successu usi sumus, tum in tertianis simplicibus, tum in quotidianis, tum in tertianis duplicibus, sive intermittentibus, sive continuis, dummodo sint benignæ. In quartanis vero, & præsertim tum quum quartanarius visceribus obstructis ad cachexiam vergat, febrifugum ex cortice Kinæ Kinæ hac alia ratione D parare conveniens est. Ubi intermittens malignitatis notas præsetulerit, tum cortici Kin. kin., radicem contrayervæ hoc pacto E associavimus. In casu malignitatis, bolis præfatis addere solet quispiam guttas aliquot olei scorpionum Matthioli; quod licet non im-

improbemus, ambigere tamen adhuc possumus, observationibus innixi, num per id unice ad labem malignam eluendam, uti opinantur, validius agat cortex. Quia vero non semel contingit, ut præfatos bolos deglutire nequeat æger, tum corticis, aliarumque rerum cum cortice præscribendarum, tincturam aquis destillatis ita ut in F propemodum elicere consuevimus. De cortice præfato, hæc præ cæteris, ut ante jam diximus, adnotare fas est, primo incassum ut plurimum adhiberi, nisi accessiones cum aliquo saltem rigore invadant. Secundo, experientia nos docuisse, magis prodesse corticem multo ante paroxysmum, quam vel in ipso paroxysmo, vel principio paroxysmi propinare. Tertio, quum non omnino febris usu corticis extinguatur, toties repetendum fore, quoties intermittens reviviscat. Quarto, nisi quid malignitatis redoleat paroxysmus, tutius semper post septimam accessionem, alvo purgata prius, atque humoribus digestis, propinari. Quinto, in forma solida deglutitum, in pulverem redactum nimirum, atque in stomacho cum alimentis immixtum, digestumque, longe validius agere. Perpauca hæc propemodum sunt, quæ de cortice peruviano in Praxi medica nos hactenus observavimus, quæque Tyronibus perpendenda candide, ac ingenue proposuimus; ne tam egregium, ac pene dicam unicum, certum sedandis, resolvendis, extenuandisque febribus specificum ab exteris Regionibus non ita pridem nobis invectum, quod rerum Parens, provida Natura, idest Supremus ille Mundi conditor, adversæ valetudini reparandæ, tanta mortalibus benignitate præbuit, ne inquam, in eorum, præpostere adhibitum, convertant potius perniciem.

Quicquid de cortice hoc febrifugo paucis innuimus, & de conis quoque cupressinis dictum volumus, quos eadem ferme in febribus curandis vi pollere jamdiu comperimus; de quibus iccirco in Tractatu de Febribus vernaculo idiomate superioribus annis edito prolixius sermonem instituimus.

A ℞. *Cort. Kin. Kin. in pulv. redac. drag. ij., vin. opt. lib. circit. ss. m. f. inf. per horas xij. circiter pro una vice tantum paroxysmi principio propinanda.*

B ℞. *Cort. Kin. Kin. unc. ss., vin. opt. lib. ij., m. f. inf. per B. M. ad horas 48. circiter, sumenda quater in die quotidie per congrua intervalla ad quantitatem unciarum trium circiter vicibus singulis.*

C ℞. *Cort. Kin. Kin. in pulver. redact. scrup. j., syr. idonei, viol. viol. videlicet, vel de cicbor., de capill. vener. q. s. m. ref. b. quem cap. quotidie, sive b. m. cum jusculis alteratis, sive proxime ante prandium, & ante cœnam ad dies tres, aut quatuor, & ultra.*

D ℞. *Cort. Kin. Kin., rhab. elect. ana. scrup. j., sal. tart. scrup. ss. m., in pulver. redig., & cum syr. de cicbor. in b. reform. cap. ut supra.*

E ℞. *Cort. Kin. Kin., rad. contrayer. ana. scrup. j. m. in pulver. redig., & cum confectione sive hyacinth., sive alKer., sive cum theriac., mitridat. &c. prout virulentiæ malignæ qualitas exegerit in b. ref. cap. ut supra.*

F ℞. *Cort. Kin. Kin., rad. contrayer. ana. unc. ss. aq. Card. B. lib. iv. m. f. inf. & macer. S. A. cin. cal., sive B. M. sumenda per vices, ter, aut quater die quo-*

quotidie ad uncias tres, aut quatuor circiter.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM AD PHARMACIAM.

Quid præstare valeat in Praxi medica usus radicis contrayervæ.

CONtrayerva, cujus historiam inter cæteros accepimus a Bahuino, Schrodero, necnon & postremo, quantum scio, ab Ettmullero, cyperi species videtur. Ejus nobis radices aliquot abhinc annis ex Provincia Peruvana invectæ sunt. Acre quoddam impense aromaticum sapiunt; hinc, eoquod calefacere debeant, vim iis alexipharmacam, videlicet contra venenum, passim adscribunt. De hac radice id quamquam affirmare nequeam, quod de cortice Kinæ kinæ ante jam affirmavi, non inficior tamen, blande solvere posse, alimentorum coctiones adjuvare, excretiones tum diaphoreticas, tum diureticas placide promovere, vermes, sive lumbricos intus ingenitos, aut pellere, aut enecare &c., uti præcitati Scriptores testantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM AD PHARMACIAM.

Quicquid judicandum sit de usu olei in morbis curandis.

NIL plane temporibus nostris in Re medica frequentius, nil usitatius, quam olei amygdalarum dulcium recens, & sine igne extracti, ac per os, ad labem, in morbis plerisque, qualemcumque eluendam propinati, nescio an dicam usum, an potius abusum. Oleum præfatum opportune, ac debite præscriptum, haustumque in torminibus præsertim, convulsionibus, atque irritationibus universis, in nephritide potissimum ex calculo, pectorisque inflammationibus plurimum procul dubio profuisse inficias ire haud possumus. Attamen quotidie observavimus quoque, atque observamus in dies, eos, qui Medicis quibusdam ad excessum, ut ita dicam, oleaceis, sese tractandos fidenter commiserunt, si quando evaserint, observavimus, inquam, viribus eos adeo exinde destitutos, atque tanto ciborum fastidio correptos, ut longo tempore imbecilles, & nauseabundos, per ejusmodi tam oleosam, tam lubricam, tamque incertam medendi methodum, longe magis quam per morbi perniciem confractos extitisse. Enim vero nos edocet experientia; oleum, utpote quod vi polleat emolliendi, relaxandi, retundendique, ventriculi, æque ac intestinorum facultatem, item & fermentorum robur adeo enervare, ut maxima deinceps subsequatur apepsia, imbecillitas, aliaque perplura incommoda; quæ nonnisi vel in corporibus ipsis cæteroquin vegetioribus, diuturnitate temporis evincuntur. Hinc, nisi contraindicatum sit, plurimum sane confert oleo per os in ægritudinibus, quibus convenit, propinando immisceri prius dragmas aliquot, necnon etiam unciam unam aquæ cinnamomi, qua volatilius factum, longe minus organa lædat. Quicquid de oleo amygdalarum dulcium, innuimus, dicendum quoque autumamus de oleo olivarum communi, de oleo seminum melonum, & præ cæteris de oleo seminum lini; quod quamvis aliquando viscerum inflammationibus discutiendis opportunum esse possit remedium, uti docet Ettmullerus, aliique,

plurimis tamen tantam quandoque noxam intulisse rescivimus, ut valde ambigamus, an in morbis edomandis eam exerceat, quam ei passim adscribunt, facultatem.

Res est admodum incerta, an oleum acidum revera sit.

Quisquis autem, inter medica præsidia, oleum sive ex oleis, sive ex seminibus præfatis expressum, elicitumque damnare, atque omnino proscribere aggreditur, ob eum humoribus nostris infensissimum acorem, quo scatere sibi suadet, ut ad id, quod mox dicturi sumus, animum quæso, ac mentem adhibeat, hunc rogamus. Rerum acidarum usus diutinus nos abunde monet, acidum nequicquam humani corporis viventis œconomiæ adeo esse inimicum, ut eo, non modo prosperæ valetudini conservandæ, verum etiam & adversæ reparandæ, pluribus saltem in casibus uti commode non debeamus; quando & ad famem, diu consopitam, excitandam, & ad ventriculi cruditates extenuandas, & ad sanguinis æstus nimios temperandos, & ad bilem prætermodum exaltatam coercendam, rebus acidis haud incassum quotidie vescimur. Præterea, oleum acorem habere, eoquod erodat, atque in rubiginem convertat metalla, res plurimum est incerta; aqua siquidem communis crocum ex ferro, necnon & ex ipso chalybe, ad Solem præsertim incalescente, quamcitissime educit; & nihilominus quis aquam communem proinde intrinsece acidam censere, ejusque acorem valde noxium jure criminari poterit? Aqua item & oleum, acida tametsi non sint, ut fermentationem tamen in mixtis inducant, eorumque solvant compagem, ac ferruginem eliciant, abunde est, ut in minima spiracula sive in minimos mixti meatus ita sese immittant, ut ab iis materiam excludant dumtaxat crassiorem primi generis; quemadmodum & in dissertationibus nostris de Fermentatione, & in Tractatu de Motu, & in capitibus quoque præcedentibus, ante jam fuse exposuimus. Quia vero eumdem propemodum effectum oleum præstare posset, ratione substantiæ bulbi oculorum exterioris, tum quum evenit, ut guttula aliqua ejusdem olei, quamtumvis minima, fortuito sese intus in palpebras ingerat, nil mirum si æther ille tenuissimus, qui per meatus oleo obstructos celerrime movetur, exagitaturque; nil mirum, inquam, si membranas acriter incendat, & lacrymas exprimat, acoris quamvis expers omnino esset oleum, quod bulbo inhæsit.

CAPUT XIII.

De Febribus continuis intermittentibus, & de Intermittentibus compositis.

Descriptio febrium intermittentium compositarum, & continuarum intermittentium.

UBI contingit, ut febris, nequaquam licet intermittat, per paroxysmos tamen periodice exacerbetur manifestos, qui ex intervallo recurrant, sive in dies singulos, sive aut tertia, aut quarta quaque die &c. tum vocatur vel continua intermittens, vel continua periodica; & ubi recurrat sine periodo, nuncupatur febris continua erratice intermittens. Quum quotidie exacerbatur, dicitur quotidiana continua. Quum alternis diebus, vocatur tertiana continua. Quum quarta quaque die, dicitur quartana continua &c. Non raro quoque evenit, ut febris revera intermittat, recurrens autem per paroxysmos, aut duplicatos, aut etiam triplicatos, &c., vel uno eodemque die, vel alternis &c. Hinc altera consurgit

git intermittentium species, quæ dicuntur vere intermittentes compositæ, quotidiana nimirum duplex, triplex. Tertiana duplex, triplex, & sic de cæteris; de quibus tamen id potissimum animadvertendum est, paroxysmos in tertiana duplici, duplicique quartana &c. uno eodemque die singulos quandoque recurrere, quandoque diebus diversis. In tertiana ex. gr. duplici intermittente, interdum uno eodemque die ingeminantur paroxysmi, temporibus autem diversis. Interdum alternantur ita, ut sine paroxysmo nullus habeatur dies. Quo in casu, si paroxysmi alternis adeo producantur, ut præcedens nequaquam remittat omnino, priusquam alter, qui insequitur, recurrat, tum species exardebit febrium continuarum intermittentium, quæ dicuntur, sive quotidianæ, sive tertianæ intermittentes per *subintrantiam*, aut per *subingressum* continuæ. Hæc autem omnia, quum satis superque ex iis, quæ ante jam diximus, innotescant, non est cur ulterius urgeamus, febres singulas, sive continuas intermittentes, sive intermittentes compositas definitionibus peculiaribus singillatim, ac fuse describendo.

Diagnosis. Signa itidem, quorum ope febres ejusmodi dignosci queunt, ex præallata febrium descriptione, ac divisione perquam facile erit elicere. Id tantum in tertiana præsertim duplici adnotandum superest, ne eam cum quotidiana simplici intermittente confundamus, tum præcipue, quum paroxismi tertianæ duplicis, diebus alternis sese alternantes, quotidiana invasione, quotidianam simplicem mentiri solent: adnotandum, inquam, superest, num paroxysmi, qui singulo quoque die revertuntur, eadem hora, iisdemque symptomatibus revertantur, num e converso. In primo casu pro quotidiana simplici continua intermittente habetur. In secundo pro tertiana duplici intermittente, perinde ac si duabus tertianis simplicibus componeretur, quarum accessiones per vices alternentur, de tertia in tertiam alternatim sibi respondentes. Altera utplurimum, diebus nimirum alternis, major esse solet. Altera, diebus nimirum intermediis, solet esse minor.

Causa. Si quis ea, quæ de febribus continuis simplicibus, æque ac de simplicibus intermittentibus innuimus, accurate perquirat, ex facili enucleabit, quare quandoque fiant continuæ periodicæ, æque ac intermittentes compositæ &c.

Prognosis. Intermittentes compositæ, quæ penitus intermiserint, longe minus habent periculi. Inter acutas, quinimmo & inter peracutas eas connumerare debemus, tum maxime, quum sibi conjunctam labem malignam habeant. Febres continuæ intermittentes, quamvis continuæ sint ex subingressu, non semel adeo sunt funestæ, ut febricitantem quamocissime interimant.

Curatio. In curatione id præ cæteris præstandum, ut una saltem citius, quam fieri possit, ex pluribus componentibus, febris evincatur; una quippe delata, longe facilius altera dabit manus, & cedet. Alvo igitur purgata, ac humoribus probe præparatis, febrifuga quamprimum adhibenda sunt, præsertim si paroxysmus vel levissimo cum frigore, aut rigore inceperit.

Historia XII.

Quicquid, hemitritæo medendo, præstare con.

A Scanius adolescens, qui vigesimum primum nondum compleverat annum, corpore gracili, temperamento calido, & sicco, vel bilioso præditus, optime va-

sucvimus, historia declaramus.

valens, & organis bene instructus, Mense Januario ludens, atque in palestra sese vehementer exercens plurimum incaluit, insudavitque. Ita sudans in contentione refrixit. Inde febricitavit. Febris erat continua; at quotidie cum rigore ita exacerbabatur, ut rigor, item & calor febrilis alternis diebus longe magis intenderetur, quam diebus intermediis. Eadem quoque ratio reliquorum erat symptomatum, sitis potissimum, capitisque doloris, quæ diebus majoris afflictionis vehementius sane ægrotantem torquere consueverant: diebus videlicet alternis, in quibus longe major morbi deprehendebatur exacerbatio. Æstus insuper febriles diebus præfatis nonnulla præseferebant malignitatis indicia. Pulsus quippe parvus erat, compressus, & valde inæqualis. Urina perexigua, ac tenuis. Fauces aridæ. Nigricabat lingua. Delirabat æger, atque anxius de summa virium prostratione conquerebatur, ob soporem quemdam præterea continuum, dies, noctesque pervigilem valde sollicitus. Alvus tamen recte respondebat. Neque fœces a statu naturali recedebant. In vigore accessionis uberrime sudat, quod autem ibi præsertim contingit, ubi minus affligitur. Dies est morbi tertia, ex quo Ascanium ita ægrotantem observabamus, cui nihil aliud eatenus adhibuimus, nisi potiones uberrimas, item & clysteres; qui quamvis simplicissimi, alvum nihilominus satis commode cientes, sordes uberrimas quotidie educebant. Ut victus interim perquam tenuis esset, refrigerans, atque humectans, utque a vino prorsus abstineret, curavimus. At horis medicis emulsionem hanc A frigidam potandam ei præscripsimus. At enim vero quum præsidia ista parum processerint, febrem hanc intermittentem, valde perniciosam fore tertianam duplicem, ex subingressu continuam, satis superque nobis innotuit. Quocirca Ascanio propinare statim cœpimus bolos febrifugos hac lege B confectos. Per triduum præfatos vix iis deglutiverat bolos, quum ex ea tertiana duplici per subingressum continua, sive plane maligna, sive saltem pessimi moris, nulla, præter sudorem consuetum, apparente crisi manifesta, prorsus evaserit.

A ℞. *Sem. melon. unc. j., pap. alb. dragm. ij., aq. soneh., scorzoner., card. ben. ana. unc. iij. m., f. emul. S. A. Alteretur levi infusione corticum citri, & adde Juleb., rad. contrayer. S. A. parat. unc. ß. cap., ut m.*

B ℞. *Cort. Kin. Kin., rad. contrayer., oculor. cancror. ana. scrup. i., m., in pulv. redig., & cum confect. hyacint., atque alKerm. æquali portione in bolos reformat. cap. bis quotidie, videlicet statim ante prandium, & ante cœnam.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ UNIVERSALES.

Variæ febrium species, quæ nomina sua a symptomatibus utplurimum sortitæ sunt.

EOS equidem scimus, qui verba, quam res pluris facere consueverunt, præter eas, quas jam ante descripsimus, alias etiam pene innumeras febrium species in medium protulisse, ratione præsertim eorum, quæ inferre solent symptomata. Qua de re alias dixerunt *morbillares* esse, alias *scarlattinas*, *petechiales* alias, alias *colliquativas*, *helodes* alias, alias *assodes*, *castrenses* alias, *syncopales*, *humorales*, *epialas*, *lypirias*, *horrificas*, *hemitritæas*, *sticulosas*, *famelicas*, *cardi-*

diacas, *terminales*, *præfocantes*, *anhelosas*, *asthmaticas*, *tussiculosas*, *arthriticas*, *insanas*, *emeticas*, *diureticas*, *diaphoreticas*, *catharticas &c.*, quarum tamen omnium, tum quum ex dictis, tum ex infra dicendis perfectissimam sibi cognitionem haurire, ac comparare quisque possit, non videtur cur ad nauseam prolixiorem singularum tradamus historiam. Id tantum propterea paucis hic adnotare sufficiat: primum *hemitriteos* dici, sive *hemitriteum* a nonnullis, febrem quamdam compositam continuam malignam, ac putridam, cui accedit præterea tertiana vere intermittens; sive febrem tertianam continuam, cui associatur quotidiana vere intermittens; secundò *lypiriam*, vel *lypirias*, sive proprie *leipyrias*, dici, quam nonnulli confundunt cum epiala, febrem quamdam continuam valde malignam, cum inflammatione viscerum erisipelacea, in qua interiora veluti uruntur, uno eodemque tempore, quo frigent exteriora, & præsertim extrema. Febrem hanc porro utplurimum lethalem, eam quamvis nequaquam neque Sylvius, neque Dolæus sese observasse affirment, nos porro Romæ, in Nosocomiis præsertim, quibus præsumus, præ cæteris in Gente Hispana, non semel observavimus. De reliquis Lexicographos consulito.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM SPECTANTES.

Aliæ Febrium species, quæ distinguuntur ob rationem, qua invadunt.

FEbres insuper, non secus ac alii plerique morbi, modo dicuntur *endemicæ*, sive *endemiæ*, quum peculiares, item & communes in aliqua tantum Regione sint, ob aeris patritii inclementiam, sive ob alimentorum pravitatem &c. quæ iccirco nuncupantur quoque *vernaculæ*, sive *gentilitiæ*, a nonnullis item *castrenses*, ubi potissimum per militum castra evagentur. Modo dicuntur *epidemicæ*, sive *epidemiæ*, quum non alicui tantum Regioni, neque peculiares, neque communes sint; neque per eamdem semper effundantur, quinimmo quum modo per hanc, modo per illam ob aeris malignam infectionem, non innatam, sed contractam suscitentur. Modo dicuntur *sporadicæ*, quum videlicet omni tempore, omnique loco exoriri possint, & seorsim quemquam invadere procul ab omni contagii suspicione. Ab endemiis iccirco differunt, atque ab epidemiis, eoquod sporadicæ febres multos uno, eodemque tempore, variis tamen in locis, quin tamen ex contagio communicentur, sparsim corripiant. Morborum istorum, qui sporadici vocantur, luculentissimam inter Veteres a Galeno habemus descriptionem, penes quem tamen, & quidem in latiori sensu, id nominis usurpatur: *Morbi diversi non ejusdem generis, alii aliis contingentes.*

CAPUT XIV.

De Morbis, qui proprie respiciunt motum sanguinis progressionis, item & fluiditatis, ac primo de Polypo.

In quo sensu polypi vox hic accipiatur.

DE febribus, quæ sunt affectiones quædam universales, quæ sanguinis motum fermentationis proprie respiciunt, hactenus egimus. De Polypo igitur, item & de cordis palpitatione, animique deliquio, de syncope, necnon etiam de lipothymia, quæ sunt affectiones, quæ ad motum unice sanguinis progressionis partim,

tim, partim ad motum, qui in eodem sanguine fluiditatis dicitur, pertinere videntur, reliquum est, ut deinceps agamus. Polypus, vox scilicet in Praxi medica admodum ambigua, ad denotandas varias humani corporis passim usurpatur affectiones. Quandoquidem productionem, sive excessum modo quemdam morbosum designare solet mollem, carnosum, qui ex naribus producitur ad chirurgos proprie spectantem, cujus mentionem facit vel Hippocrates. Modo autem significat corpus quoddam variæ molis, variæque figuræ album ut plurimum, quandoque licet livescens, ac molle, quod in sinibus præsertim cordis concrescit, ac in ramos divisum, distractumque sese per vasa sanguifera immittit. De tali polypo loquuti sunt Recentiores complures, inter quos Marcellus Malpighius. De eo unice impræsentiarum nos quoque acturi, brevi recensebimus quid sit, unde oriatur, quid præstet, & an curationem admittere queat ullam. Polypus dicitur a figura exteriori, qua polypum piscem, animal videlicet marinum de sepiarum genere, molle, exsangue, pluribus veluti pedibus non æque productis instructum æmulari solet. Polypi piscis historiam præ cæteris profusam inter Italos Scriptores exaravit Aldovrandus. Nihil aliud est polypus, de quo hic agimus, quam *materia quædam fibrosa, in massam concreta, variæ, ut diximus, molis, ac variæ figuræ, coloris plerumque cinerei, sive livescentis, consistentiæ, modo magis, modo minus validæ, quæ utplurimum in sinibus cordis concrescit, ut inde producatur, & dirimatur in ramos plures effusus, quibus immittitur in vasa sanguifera*. Hinc liberum, atque expeditum sanguinis motum per meatus sanguiferos progressionis præcludens, plurimum variat corporis humani viventis œconomiam animalem, ac varia iccirco inducit pessima symptomata, eo usque dum necem tandem inferat. Polyporum substantia alba, uti diximus, est utplurimum, livescens, lurida, nec non etiam subflava, quandoque quasi tendinea, quandoque membranacea, quæ profecto nihil aliud esse videtur, quam materia quædam sanguinis chylosa, albuginea, sive pultacea in substantiam mollem, solidamque congesta.

Definitio polypi.

An polypus adsit cordi intus inhærens, dignoscitur potissimum a qualitate pulsus prava, item & a respiratione difficili. Pulsus intermittens, quinimmo & intercurrens in cordi hærente polypo affectis esse solet, valde inæqualis, qui maximam præterea in qualitatibus universis præsefert inæqualitatem. Respiratio difficilis esse debet, quum pulmones, retardato sanguinis, per meatus polypo obstructos, motu progressionis, libere nec explicantur, nec contrahuntur. Accedunt præterea syncopes frequentes, creberrimæ cordis nonraro palpitationes, virium imbecillitas, atque uno ut omnia verbo complectar, quicquid denique præter naturam exoriri valet, tum, quum libere moveri nequeat sanguis per meatus suos præcipuos, qua in gyrum movetur a corde ad pulmones, a pulmonibus ad cor. Nil mirum itaque, si symptomata præfata universa eo magis infesta evadunt, quo organa in motu validius exercentur. Diagnosis.

Polyporum causa sita esse videtur in coagulo quodam sanguinis, cujus causa lympha, sive pituita quædam, aut succus ipse chylosus, qui cæteroquin in alimoniam Causa.

niam sanguinis digeri, atque extenuari deberet, a reliquo secedit sanguine, concrescens eo usque dum in materiam polyposam inspissetur, quæ tum in sinibus, tum in meatibus, ductibusque sanguiferis per appositionem extrinsecam alterius materiæ ejusdem generis, majus semper in dies incrementum suscipit, in ramos se se profundens, per venas longe facilius, quam per arterias, in quibus motui libero sanguinis circulari, uti supra innuimus, obices nectit &c.

Prognosis. Polypi hujusmodi interiores, qui non semel vel in renibus, aliisque corporis humani recessibus quoque deprehenduntur, insolubiles plane ab omnibus haberi solent, neque injuria, eorum quippe substantia extracta, infusa, & diu menstruis, licet validioribus, macerata, solvi revera nequaquam hactenus potuit. Ex quo, quam ridiculum sapiat, educitur quicquid de arcano quodam temporibus quidem nostris jactitare quispiam consuevit, proclamans oleo lini jejunis faucibus immisso, polypos cordis se felicissime fudisse, eosque in urinam solutos, egestosque vidisse.

Curatio. Quum itaque polypus in corde solvi nequeat, ut minus saltem, quantum fieri possit, lædat, & minus augeatur, curandum est. Victus propterea tenuis, humectans, qui facile digeratur, eligendus est. Plurimum officiunt alimenta crassiora, acida, glutinosa, pultacea, quæ facile concrescunt; itidem ea omnia, quæ vim habent calefaciendi, quæque fermentationem sanguinis provocant; ideoque a vino prorsus abstinendum. Alvus lubrica servetur, clysteribus tamen potius, quam potionibus purgantibus. Oleum amygdalarum dulcium, & seminum melonum, recens vero, & sine igne extractum, cochleatim in usum lambentis, ex intervallo deglutitum apprime confert, item & sperma ceti, syrupus violatus violaceus, de pomis, de althea Fernelii &c. quæ in os immissa, tracheam licet minime subeant, emolliunt tamen membranas, æque ac musculos finitimos, atque adeo respirationem quodammodo, ut ipsa quotidie docet experientia, necnon & lymphæ concretæ per glandulas excretionem adjuvant. Motus nimius, membrorum nimia, ac concitata exercitatio, vehemens organorum nisus, lucubrationes diutinæ, animi solicitudines, plane fugienda. Quum autem necessitas, symptomatibus ingravescentibus, urgeat, sanguis imminuendus est; in quo tamen caute semper incedendum; quorum quippe cordi polypus inhæret, ad cachochymiam pituitosam, sive phlegmaticam, quinimmo & ad cachexiam proni declinare solent, quam crebra plerumque promovet venæ sectio.

Historia XIII.

Quicquid, polypo medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

Mæcenas vir nobilis, facultatibus, æque ac moribus perquam insignis, qui ætatis septuagesimum secundum nondum expleverat annum, proceræ staturæ, pinguis, cæteroquin optime constitutus, temperamento sanguineo præditus, calido videlicet, humidoque, lacertosus, ac vegetus, nullum propemodum in victu ordinem servans, nisi quod opipare quotidie vescebatur. Præter artes, quæ nobilem virum decent, quibus egregie exercendis ab ineunte ætate vacaverat, venatoriis exercitationibus vel senex addictus, cœli inclementiam, tum æstivam, tum hyemalem, tum no-

nocturnam, tum diurnam æque semper pati solitus, eam tamen flocci faciens, doloribus licet ob calculos nephriticis, podagræ, allisque pluribus incommodis multo ab illinc tempore, ex fistula præsertim in ano, identidem obnoxius, mense Aprili Anno Domini 1719. difficultate spirandi ex improviso laborare cœpit, quæ difficultas longe magis ei molesta erat, quum per acclivia iter facere contenderet; quo tempore, ubi conatus enixe magis intenderet, viribus plane collapsis, invasionibus vertiginosis, cum animi deliquio, infestabatur. Non febricitabat, pulsus quamvis varie intermitteret. Cæterum de more appetebat, prætermodum non sitiebat, atque in reliquis bene utplurimum se habebat. Ad annos duos circiter in hoc rerum statu versabatur, quum mense demum Junio anni 1722. tussi vehementissima per noctem concussus, ac præcordiorum angustia pressus, & longe magis, quam consueverat, exagitatus, materiam tandem purulentam per os tussiendo excreare cœpit; quæ omnia pulmones vomica affectos esse satis superque commonstrabant. Quicquid hisce in casibus clinice præstari solet, opportune adhibitum fuit. Attamen incassum, quum, symptomatibus semper in dies adhuc magis invalescentibus, nobilis Mœcenas, licet neque rigor, neque calor ullus sensibilis veram febrem indicans unquam sese manifestasset, mentis semper compos, animo præsenti, in omnibus constans, quin vel brevi admodum tempore animam agendo cum morte colluctatus, expirans, consopitus potius, quam extinctus, placidissime decessit. Secto cadavere, substantiam pneumonicam pluribus in locis suppuratam, ac in auricula cordis dextera binos polypos magnæ molis invenimus, qui bulbis suis per minimas radices fibris auriculæ interioribus inhærebant, ac truncis pluribus perquam longissimis in ramos effusis per venam cavam sese immittebant; quam ita occupaverant, ut sanguini refluo plurimum resistentes, ea omnia quæ præcesserant, effecerant incommoda. Effecerant insuper, ut humores in pulmonibus stagnando temporis processu corrupti, atque in tuberculos congesti, vomicas induxissent. Pluribus ab illinc mensibus præfatorum symptomatum indolem, naturam, ac pervicaciam sedulo inquirentes, a polypo cordis exoriri procul dubio suspicabamur. Qua de re affectionem plane insanabilem futuram fore prædicentes, eam saltem moderari optima victus ratione curabamus. At enim vero diuturna incommoda jam pertæsus Mœcenas, iis demum, qui empirice imponunt, auscultare decrevit, se propediem a morbo evasurum spe fraudolenter illectus. Ex quo factum fuisse opinor, ut abusu potius, quam usu medicamentorum longe citius, quam morbi natura exegisset, efferretur.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

POlypo affecti, utplurimum quamvis febricitent, nihilominus calor febrilis raro admodum in iis percipitur. Polypi cordis utplurimum bulbosi sunt, bulbisque suis, finibus insunt cordis, pluribus minimis radicibus, lacertis implicati. At in ramos veluti plurimos effusi, sanguiferorum subeunt meatus, ad extremos usque quandoque capillares. Quamobrem, quum per nisus membrorum sanguis in gyrum longe validius impel-

Quare polypo affecti, quum in motu sese validius exercent, lipothymiæ obnoxii sunt.

pellitur, fit plerumque, ut sanguinis motu circulari fere omnino intercepto, succedat lipothymia, item & syncope.

Falsum est, polypos in corde post mortem semper concretos fuisse, ut affirmat Kerkringius.

Longe majores, ac frequentiores in auriculis deprehenduntur polypi, quam in ventriculis, atque ab auriculis in venas potius, quam a ventriculis in arterias immittuntur. Hinc sanguis propulsus a ventriculis in arterias, quum libere ab arteriis remeare nequeat in venas, atque a venis in ventriculos, quodammodo retrocedit in arterias, impetum ex adverso facit in valvulas, & pulsus intermittentes, intercurrentes, ac maxime inæquales producit, palpitationem quandoque cordis, virium imbecillitatem &c. Idque succedere semper debet, uti monuimus, præcipue in valida membrorum contentione. Hæc omnia si quis accurate perpendat, eoquod in viventibus passim obversentur, redarguere nonnullos poterit, inter quos Kerkringium, perperam sibi suadentes, polypos cordis post mortem dumtaxat produci ob sanguinem, sive potius ob lympham quamdam in meatibus sanguiferis post obitum stagnantem, atque concretam. Ideo in venis facilius, quam in arteriis polypos concretos observamus, quia sanguis venosus crassior longe, quam arteriosus, facilius in venis stagnat; eoque facilius, qua nisus, sive conatus, quo venæ sanguinem exprimunt versus auriculas, nisi nullus sit, saltem longe minor esse debet, quam nisus, & conatus, quo per arterias in venas propellitur.

CAPUT XV.

De Palpitatione Cordis.

Definitio.

Cordis palpitatio dicitur *motus quidam cordis convulsivus, valde quandoque sensibilis, ac permolestus, quo cor præter naturam in systole contractum, atque in diastole vicissim explicatum, motum sanguinis consuetum per meatus sanguiferos progressionis turbat; atque adeo vel proxime, vel remote facultates organorum universas quodammodo lædit.*

Diagnosis.

Cordis palpitatio vel sensibus dignoscitur; in ea quippe & ipsæ arteriæ palpitantes, subsaltationes suas & oculis quamsæpissime objiciunt, in collo præsertim, temporibusque. In carpo longe crebrius consueto micare solent motu quodam validiori, eoque inæquali, quo nullum ordinem servantes, variis, ac inæqualibus cordis subsaltationibus æque respondent.

Causa.

Palpitatio cordis, quum in affectione quadam spasmodica consistat, qua fibræ cordis motrices irritantur, eam, *& idiopathice*, sive *per essentiam*, *& sympathice*, sive *per consensum* fieri posse arbitramur. Idiopathice fit, quum humor peccans proxime cordis afficit substantiam, quæ pluribus sane de causis proxime affici potest; siquidem, aut serum, quod in pericardio colligitur, aut succi, quibus cor intime irrigatur nutritionis gratia, aut sanguis, qui in sinibus servet, acris quandoque factus, fibras præfatas mordicando spasmodice convellit &c. Fit sympathice ex consensu cæterarum partium, quæ nervos suscipiunt a truncis, sive a plexibus cum corde communibus; quibus etsi reliquis in partibus, irritatis cor quo-

quoque ex consortio irritetur necesse est. Non negamus autem cordis palpitationem interdum quoque suscitari vel ob maximam sanguinis effervescentis vim cor extendentem, vel vitio itidem aut cerebri organico, aut spirituum animalium, succique nervei, qui a cerebro per nervos in cordis fibras immittuntur.

Prognosis. Rationè partis affectæ, cordis palpitatio plurimum semper habet periculi; enim vero syncopen, catarrhum suffocantem, cæterarumque partium convulsiones nonnumquam facit. Quinimmo quoties præter naturam palpitat cor, toties repentinæ mortis imminet periculum. Quæ sympathice excitatur, longe mitior esse solet, quam quæ idiopathice. In fœminis, quam in maribus facilius evincitur. Si a polypo, vel ab aneurysmate producatur omnem prorsus respuit curationem.

Curatio. Ut medicis præsidiis cordi palpitanti opportune occurramus, distinguendum est, num per essentiam, num per consensum palpitet, utraque quamvis palpitatio eadem fere requirat remedia; nam ea, quæ diluunt, atque emolliunt, quæque nimiam fluidorum acrimoniam, sive temperant, sive obtundunt, sive alio quovis modo compescunt, ea, inquam, omnia motibus convulsivis sistendis mirifice conducunt; nihilominus, quum fiat ex consensu aliarum partium, iis, quæ primario afficiuntur, proxime mederi oportet. In genere tamen, sordibus ex alvo blande discussis, potiones refrigerantes, bolosas, alkalisatas, balnea aquæ dulcis, item & decoctiones emollientes commendamus. Si sanguis redundet, aut si nimis effervescat, si palpitatio excretiones aut menstruales, aut hæmorrhoidales, aut ex naribus insequatur, vena statim solvenda est. Si ulcere in cruribus præsertim vetusto, aut exiccato, aut conglutinato, aut si, cicatricem postquam duxerit, supervenerit, fonticulum aperire in loco idoneo præsens non semel fuit remedium. Si per consensum fiat, in pueris præsertim a lumbricis plexus nervosos, aut ventriculi aut intestinorum mordicantibus, ea propinanda veniunt, quæ lumbricis enecandis inserviunt; quæque, quum de iis fuse imposterum pro verminationis curatione acturi plura scribere debeamus, plane hic omittere placet.

Historia XIV.

Quicquid, cordis palpitationi medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

PHyllis optimæ indolis Puella, annum ætatis agens vigesimum circiter quartum, optime constituta, temperamento sanguineo prædita, & quasi plethorica, tribus ab illinc circiter annis, cœlibatus amantissima, æquo lubentique animo Superis in ædibus sacris se dicaverat. Vitam hilarem, pacatamque in cœnobio sancte, pie, ac caste ducens, mense Majo, quum relaxandi animi causa subdio in hortis domesticis incedens spatiaretur, tonitruum fragore repens exterrita, pene ac si de cœlo tacta fuisset, viribus omnino collapsis, squalens illico corruit. Accurrunt omnes, accersitur & Medicus, qui Phyllidem, ad horam quasi semianimem, inclamans, vix obtinuit, ut graves oculos conata attolleret. Pulsum interim explorans, arteriam valde contractam, eamque varie micantem, & crebro intermittentem percepit. Hinc vena statim in brachio secta, ut ad libram usque boni ponderis profluueret sanguis, sivit. Crassus, seri propemodum expers, in grumos concretos, quinimmo & super-

perficietenus admodum fungosus erat. Quapropter oleo amygd. dulc. rec. & s. ign. extract. cum sperm. cet., ac sanguine hircino, cum aqua cinnamomi, ac camphora ad eam, quæ insequitur dosin, propinato, saphena ex pede sinistro paulo post soluta est, ut altera sanguinis quantitas ad libram circiter ex partibus quoque infernis educeretur. Ut primum ex pede sanguis prosilire, item & pulsus sensim sese explicare cœpit, & vires adeo restaurari, ut Phyllidi stare deinceps, atque incedere libere datum esset. Verumtamen mensibus inde plane suppressis, cor ei præter naturam, non sine maxima animi angustia, ad annum, & ultra palpitavit. Ex qua palpitatione nonnisi usu diutino aquæ dulcis, quam corpore prius, ut insequitur, purgato, alteratoque ad dies plures perbibisset, atque in balneis sibi adhibuisset, immunis unquam omnino evadere potuit.

Doses, formulæ, & methodus, quibus a primo ad ultimum infirmitatis præfatam virginem in Cœnobio Deo sacram tractare consuevimus, ea fuerunt, quæ insequuntur. Sanguine, uti diximus, ex brachio, vigente paroxysmo, prius emisso, solvens hujusmodi A illico sumendum, humoribus in vasis concretis solvendis, extenuandisque, experientia teste, valde idoneum præscripsimus. Postmodum quotidie ad dies quindecim bolis hisce B cum oleo amygd. dulc. recent., & jure alterato ex floribus rhœados usa est. Imposterum autem, eoquod semper in dies præter cordis palpitationem, quæ nihilominus, uti cœperat, prosequerentur, res in melius processissent, ab omni artis præsidio ad mensem & ultra abstinuimus, eo usque dum menses consuetos neutiquam profluxisse observantes, saphena iterum, atque iterum secta, resectaque, eos interioribus, atque exterioribus, rhabarbaratis præcipue, item & chalybeatis adhibitis, necnon etiam cucurbitulis partibus infernis appositis, frictionibus, item & pediluviis præscriptis, e tenus tamen incassum, revocare curavimus. Quapropter mense Majo sequentis anni eam denuo ita ut in C tractare cœpimus. Victu interim utebatur tenui, optimi succi, concoctuque facili. Vini loco aquam per extinctionem ferri candentis chalybeatam hauriendam præscripsimus. Id per dies quadraginta; quibus exactis, ad dies quindecim aquam quotidie nucerianam jejunis faucibus hausit ad lib. vj. circiter, cui præmittere diebus singulis consuevit aliquot cochlearia prædicti mellis hispani, quamque decumbens in cubiculo per urinam felicissime semper excrevit. Inde per alios dies quindecim & chocolata in Aurora, & balneis aquæ fluviatilis hora circiter ante prandium, usa est; quibus plane confectis, palpitatio intermittere cœpit, donec tandem aliquando fluxibus per pudenda ad annum fere suppressis redeuntibus, omnino cessavit.

A ℞. *Sperm. cet., sang. hircin. ana. dragm. i., camph. gra. v., aq. cinnam. unc. j., ol. amygd. dulc. rec., & s. ig. extract. unc. iv., syr. flor. rhœad. unc. j. m., & cap. in iure statim.* Id postridie tantum alvum blande concitavit.

B ℞. *Sperm. cet., sang. hirc. ana. dragm. i., camph. gra. iv., syr. viol. viol. q. s. m., f. b., & cap. in Aurora ieiuno, ut monitum, superbibendo jusculum præscriptum alteratum.*

C ℞. *Rhabarb. elect. scrup. i., croc. Mart., ror. maial., sive aqua pluviatil. ad Solem æstivum, uti docet*

cet Ettmullerus, parati scrup. ſs., ſal. tart. gra. viij., mell. biſpan. q. ſ. m., ref. b., & cap. quotid. in Aur., cui ſuperb. ſer. caprill. hac lege alteratum.

℞. *Flor. borrag., folior. pimpinell., capill. vener. ana. pug. iii., ſer. caprill. lib. j. m., f. lev. infuſ., & macer. S. A. colet., & adde cryſtall. montis præp. dragm. j., mell. biſpan. opt. unc. ij. cap., ut m., quo blande alvus ex intervallo ſolvebatur.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid ſit in Veterum ſententia morbus idiopathicus, & ſympathicus.

AFfectiones, quibus, ratione corporis humani vitam habentis, ſumus obnoxii, aliæ exoriri dicuntur per *eſſentiam*, aliæ per *conſenſum*. Per eſſentiam exoriuntur, quum humor peccans, ſive cauſa morbi efficiens proxime agit in parte affecta, ut ex. gr. in *pleuritide*, in qua ſanguis, aliique, qui ſtagnant humores, & præter naturam effervescunt, *pleuram* proxime afficiunt, in qua revera ſtagnant, & præter naturam fermentantur. Tum proprie affectiones hujuſmodi dicuntur *Idiopathicæ*. Per conſenſum fiunt, ubi aliqua pars corporis humani viventis ex conſortio, ut ita dicam, afficitur ab altera parte proxime affecta; ut quum caput dolet vitio materiæ cujuſdam pravæ, crudæ, ſive non coctæ in ventriculi cavo congeſtæ, quæ, & ventriculum pergravat, & plexus ejuſdem laceſſit; qua iccirco ex ventriculo ſublata, egeſta, vel extenuata, aut alia quavis ratione reſoluta, illico ceſſat cephalalgia, ideſt dolor capitis ex conſenſu productus. Tum ea cephalalgia nuncupatur *ſympathica*. In quo tamen id præſertim adnotandum, partem ipſam ſympathice affectam, principio quamvis ex conſenſu vere afficiatur, affici nihilominus adeo poſſe, ut vel ipſa tandem intime lædatur, ac pravam inde eam contractam retineat impreſſionem, quam diu conſervare poterit, humor licet peccans ab altera parte ſublatus fuerit, quæ idiopathice prius afficiebatur. Quo in caſu affectio ex ſympathica, idiopathica fit, diciturque *deuteropathica*, non ſecus ac ante appellari proprie potuiſſet *protopathica*, ideſt deuteropathicam præcedens. Morbus ſympathicus ex Galenicis inducitur: vel ob *viciniam*, ut quum manus ex brachio patitur affecto: vel ob *generis ſocietatem*, ut quum nervus ex alio, qui læditur, nervo: vel ob *muneris communionem*, ut quum veſica urinaria ex renibus laborantibus: vel ob *ſitum*, ut quum ex capite affecto cætera langueant membra, quæ ſub capite ſita ſunt: vel ob *connexionem*, ut quum cerebrum læditur ex nervorum læſione; cor ex læſione ſanguiferorum &c. At enim vero futilis ferme, ac commentitia pene videtur præfata Veterum diſtinctio; quum partes univerſæ corporis humani viventis, quæ ſympathice afficiuntur, non alia affici poſſunt ratione, niſi quod nervos ab iiſdem truncis, ſive plexibus communibus ſuſcipiant; ideoque non alia de cauſa compati poſſe autumabimus, niſi per *connexionem*, ubi morbus vere ſympathicus fit, & pars affecta ex conſenſu *poſitive* compatiatur. Dicimus *poſitive*, eoquod affirment Veteres, morbos ſympathicos exoriri, aut *poſitive*, aut *privative*. Poſitive, ut quum vapores a ſtomacho, ex eorum ſententia, ſuperiora conſcendunt cerebrum turbantes. Privative, ut quum ex præpedito ſpirituum animalium affluxu in pede ob validam ex. gr. nervorum compreſſionem in partibus ſu-

supernis, deletur in eodem pede, aut sensus, aut motus, aut uterque.

CAPUT XVI.

De Animi deliquio, Eclysi, Lipothymia, Syncope & asphixia.

Definitio animi deliquii. ANimi deliquium nihil aliud est, præterquam *subitus, & præceps virium lapsus, spirituum animalium influxu intercepto, vitio potissimum, uti creditur, cordis, quod, sive proxime, sive remote in animi deliquio afficitur*. Ratione majoris, aut minoris intensionis dividitur in *eclysin, lipothymiam, syncopen, & asphyxiam*. Eclysis. Eclysis, sive virium languor dicitur, quum animi deliquium est in gradu, ut ita dicam, primo, in quo *virium lapsus pertenuis est*. Lipothymia. Lipothymia vocatur; quum ad secundum intenditur gradum, in quo *virium lapsus major est, neque vires ita facile, ut in primo, restaurantur*. Syncope. Appellatur syncope, quum ad tertium perducitur gradum, *in quo virium lapsus* major adhuc, *quam in secundo evadit*; quinimmo in hoc tertio gradu non procul quandoque distat ab interitu, diciturque syncope, idest *naturæ solutio*. A nonnullis etiam asphyxia, ubi tamen pulsus diu intermittens nequaquam percipiatur.

Diagnosis. Signa, quæ futurum, assuetis præsertim; animi deliquium fore indicare solent, anxietas sunt repentina, animi, nulla data extrinsecus occasione, perturbatio, gravedo, vertigo, colorum variæ præ oculis obversantes species, respiratio ex improviso præclusa, sive saltem difficilis, color faciei, item & pulsus, qui confestim immutetur, & reliqua, quæ paulo post insequitur animi deliquium. Præsens autem esse dignoscitur, ubi vultus squalens pallore suffunditur, atque extremis frigefactis, ubi sudor frigidus appareat; quæ quandoque, eo deveniunt, ut, qui animo delinquit, viribus plane solutis, per gradus sensim deficiat, ac veluti semianimis paulatim corruat, pulsu, colore, sensibusque internis, æque quam externis plane destitutus.

Causa. Pluribus de causis corpus humanum vivens, utpote quod vitam organicam, una & animalem vivat, animi deliquio languere potest. Ea tamen potissima videtur, quum, aliqua sive intus, sive foris data occasione, mutuus præcluditur in corde contractionis, atque expansionis motus, quo alternatim sibi respondent systolæ, & diastolæ ventriculorum, & auricularum. Quamobrem, turbato exinde sanguinis per meatus sanguiferos motu progressionis, ac propterea per nervos spirituum animalium affluxu intercepto, quo fibras musculorum motrices contrahunt, nil mirum, si viribus collapsis concidat animus, & corporis humani machina, quum diutius stare nequeat, sensim resoluta, sese destituat, corruatque.

Prognosis. Quum animi deliquium, ut in definitione monuimus, nisi proxime, remote saltem cor lædat, neutiquam sine periculo habendum. Quo fortius, eo pejus. Melancholicis, atque hystericis, frequentius quamvis, non raro tamen lethale. *Qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur* ex Hippocrate (a). Id in Phthisi præsertim, ac Tabe plane confectis, contigisse observavimus, item & tremoribus, & convulsionibus supervenientibus. Con-

(a) *Sect. 2. aphor. 41.*

tra equidem, qui vel propter odores, vel ex phlebotomia, sive stomacho male affecto resolvuntur, citra periculum eclysin non modo, verum etiam lipothymiam, & syncopen perferre solent.

Curatio. Animi deliquium raro admodum affectio videtur, quæ primario afficiat; quinimmo reliquas affectiones humani corporis viventis, veluti symptoma utplurimum insequitur. Quocirca, qui idoneis præsidiis animi deliquio occurrere velit, plurimum sane expedit, ut in affectiones primarias, unde originem ducit, mentis aciem prius intendat. Nihilominus ea omnia in paroxysmo adhibere convenit, quæ roborandi, refocillandi spiritus animales, æque ac vitales revocandi, excitandique vim habent, volatiliora videlicet, ac balsamina; quæ, vel naribus admota, vel faucibus instillata, vel extrinsecus, regioni potissimum cordis, aut inunctionibus, aut fotibus apposita, plurimum contulisse semper nos docuit experientia. Hujusmodi sunt vinum generosum, acetum rosaceum, spiritus vini, aqua Reginæ Hungariæ, aqua cinnamomi, melissæ, elixir proprietatis Helmontii, quinta essentia rorismarini, theriaca sive aceto, sive vino soluta &c., & ubi necessitas urgeat, fortioribus quoque uti juvabit, spiritibus nimirum cornu cervi, salis ammoniaci, fuliginis &c. Apprime in eumdem finem conducunt defricationes quoque, vellicationes, inclamationes. Partes præcipue extremas defricare, ac vellicare, necnon etiam aqua frigida partes externas inspergere præsentaneum remedium est, quo spiritus a cerebro per nervos ad universas partes revocentur. In plethoricis venæ sectio neutiquam omittenda, iis quippe animi deliquium, quum aut impense, aut crebro recurrat, repentinum ex tubulis fractis interitum moliri solet.

CAPUT XVII.

De *Aneurysmate*.

Definitio Aneurysmatis.

A *Neurysmatis*, & *varicis* nomine binæ in Medicina exprimuntur affectiones, quæ, quum arteriarum, venarumque parietes lædant, inter morbos organicos connumerari merentur; atque adeo tum maxime, quum sensibus in partibus extimis corporis humani vitam habentis obversentur, ad Chirurgos potius, quam ad Medicos spectare videntur. Nihilosecius, intus quoniam persæpe delitescunt, & varias humoribus pravas inferunt alterationes, de iis quoque in hoc libro paucis saltem agendum ducimus; quoniam, quum arterias, & venas, uti diximus, afficiant, & cor ipsum quodammodo proxime afficere debent; quum cor, uti in præcedentibus exposuimus, per arterias, & venas ad reliquas partes humani corporis universas dirimatur, atque effundatur. Aneurysma, idem utique denotat, ac *arteriæ dilatatio*, quæ propterea, sive intus, sive foris læsa, in tumorem attollitur, qui motum habet pulsatilem systoles, & diastoles. Longe meliorem, quam Galenus de aneurysmate descriptionem tradidit Barbete, nihil aliud esse affirmans, quam *tumorem præter naturam continuo pulsantem, digitis facile quandoque cedentem; atque iterum illico sese extendentem, ab arteriarum interioris tunicæ ruptura, atque exterioris dilatatione*. Enim vero in aneurysmate pars primario affecta sunt arteriarum parietes, pluribus, uti diximus, tunicis compacti; quarum interior nervosa,

vosa, si qua de causa recidatur, efficit, ut exteriores, ut ita dicam, resolutæ sanguini impetum intus facienti cedant, explicentur, atque in tumorem prolatentur. De hujusmodi dumtaxat aneurysmate, quod a causa producitur interna, ab humoribus nimirum pravis, hoc capite tractare aggredimur, reliqua aneurysmata, quæ a contusione fiunt extrinseca, a punctura &c. in chirurgia, si datum erit, expositurí.

Diagnosis. Aneurysmata, quoniam arterias in partibus afficiunt interioribus quandoque, quandoque exterioribus, distingui possunt, ratione sensuum nostrorum, in *apparentia*, & in *occulta*. Apparentia sunt, quæ sensibus, aut in ipsis tegumentis, aut a tegumentis non procul, obversantur. Ut occulta haberi possunt ea, quæ, quoniam in recessibus, sive in cavis, aliisque partibus abditis conduntur corporis humani, nonnisi conjectura attingimus. Apparentium indicia duo sunt potissima. Tumor mollis, laxus, ac plerumque cedens, qui propterea, si comprimas, non ita reluctatur, ut compressus mox inde non resiliat. Pulsatio, quæ in aneurysmate in systolen, ac diastolen, non secus ac in carpo alternatur. Dicimus, *tumor utplurimum cedens*; siquidem non raro factum fuisse vidimus, processu temporis, aneurysmate nimirum confirmato, inveteratoque, ob cartilaginem quamdam interiorem præter naturam crassam, qua veluti validiori folliculo intus sub arteriæ parietibus circumdatur, & quasi obducitur aneurysma: factum fuisse, inquam, vidimus, ut *in aneurysmate* tumor prætermodum ita consurrexerit, atque obduruerit, ut non modo digitis palpantibus valde restiterit, verum etiam, ut vix ullum pulsationis indicium sensibus præbuerit. Quum autem aneurysma excitetur incisione exteriori, sive ubi parietes vel intus læsi, vel erosi in arteria omnino dehiscant, ita ut sanguis effundatur, tum cutis utplurimum livore quodam suffunditur exteriori. Occultum, quoniam symptomata producit valde ambigua, non ita ex facili dignoscitur.

Aneurysma, de quo hic agimus, quod, ex definitione præallata, fit, recisa, sive potius lacera, atque exesa arteriarum tunica interiori, non raro provenit ob acrimoniam sive seri, sive lymphæ stagnantis, quæ eam tandem exedit, eroditque. Causa.

Aneurysma, nonnisi operatione chirurgica curari potest, quæ pluribus de causis semper erit suspecta, ac periculi plena. Quo extenditur minus aneurysma, & quo exterius magis situm est, eo facilius curatur. Contra maximam si habeat molem; si profunde delitescat, curationem non modo admittere queit nullam, verum etiam & mortem propediem, eamque non semel repentinam inducit. Nonraro, tunicis plane discissis, sponte, ut ita dicam, sua, aperitur. Inde hæmorrhagia plerumque lethalis. De aneurysmate exteriori, cum quo diu superstites vivere quandoque possumus, id tamen adnotandum venit, emortuis partibus finitimis, denegato fluidorum motu, gangrænam facere. In curatione aneurysmatis, quod, ut innuimus, propemodum insanabile habetur, id tantum præstare possumus, ne citius quam deberet, vel immature exasperetur, & quamocissime necem inferat. Victus propterea tenuis sit, humectans, diluens, concoctu facilis, qui sanguinis copiam neque augere, neque in- Prognosis.

flammare valeat. Ideoque a vino prorsus abstinendum. Ubi sanguinis quantitas redundet, imminuenda. Motus, membrorumque exercitatio, sive contentio lenis sit; validior siquidem per se ipsam aneurysma interdum procreavit. Pars affecta institis blande comprimatur. *Blande* dicimus; quandoquidem compressio valida gangrænam nonnumquam fecit. Aneurysma, quod artus lædit in partibus præsertim extremis, tum maxime, quum perquam incommodum sit, requirit, ut pars affecta recidatur, quo partis ignobilioris jactura, reliquæ longe nobiliores conserventur.

CAPUT XVIII.

De *Varice*.

Definitio Varicis. *Varix optime describitur, tumorem esse præter naturam mollem, inæqualem, nodosum, non pulsantem, indolentem utplurimum, qui consurgit ex distensione venarum nimia, ob sanguinem concretum, glutinosum, & crassum ibi collectum.*

Diagnosis. Varices plerumque intumescunt ex cute ad regionem ventris imi anteriorem, sub umbilico, in scroto, circa testes, atque in cruribus, necnon etiam in ano, quæ quum extrinsecus obversentur, facile dignoscuntur. Tumores quippe sunt nodosi, molles, uti diximus, fere semper indolentes, liveschentesque. Liveschunt plerumque varices ob sanguinem concretum, atque, ut ita dicam, *vappescentem*, qui stagnando, & præsertim prope valvulas, venarum parietes extendit, eosque longe tenuiores, & quasi pellucidos facit.

Causa. Ex eadem varicum descriptione, item & causam elicere possumus, unde varices consurgant: sanguis enim in venis, & non procul a valvulis præcipue concrescens, eas ideo in tumores explicat, atque in nodos extollit, quia motui alterius reflui sanguinis libero resistit; qui propterea ibi quodammodo subsistens varices procreare valet; in cruribus sane potius, quoniam crura & magis distant a corde, quod sanguinem impellit; & per cruralia ligamenta, quibus caligas, ne laxe subsideant, circumligamus, arctius constringere solemus.

Prognosis. Varices periculo prorsus quamvis utplurimum vacent, non est tamen, quod pluribus ferme de causis mortem aliquando accersire nequeant. Interdum enim aperiuntur, & inde ob hæmorrhagiam funestam vita deletur. Interdum parietes venosi ob varices adeo explicantur, ut partes finitimas, adjacentesque comprimendo, vel potius valide compressis, sive glandulis, sive tubulis minimis, quibus parietes ipsi extensi contexuntur, efficiunt, ut inflammatio succendatur; quam in abscessus non raro cessisse, in ulcus sordidum, in gangrænam &c. edocuit experientia. *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio*, ex Hippocrate (*a*). Varices, quæ gestationis tempore fiunt, sponte, post partum, ut ita dicam, sua, lochiorum repurgamentis egestis, evanescere consueverunt.

Curatio. Varicibus discutiendis, extenuandisque, ea omnia conveniunt, quæ sanguinem in vasis concretum blande resolvunt; quod si necessitas urgeat, tum exterioribus, tum interioribus tentare expedit. Ratione exteriorum, ut quicquid venas varicosas extra varices comprimere valet, quamocissime amoveatur, opera danda

(a) *Sect. 6. aphorisf. 21.*

da est. Fovenda insuper est pars affecta fotibus aquæ tepentis, & præsertim chalybeatæ, quæ humores concretos discutit, & membranas relaxatas roborat, iisque tonum restituit. Ex interioribus apprime conferunt diluentia, alkalisata. Vini abusum, crassi præcipui, acidique, ac fœculenti plurimam semper varicibus noxam intulisse cognovimus. Varices ferro secare, res est periculi plena.

Historia XV.

Quicquid aneurysmati medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

SErgius Sacerdos annorum trigintaquinque circiter, temperamento calido, & sicco, biliosо nimirum, præditus, habitu gracili, variis ex intervallo ægritudinibus obnoxius, postquam iter vere quotannis pie peregrinando susceptum confecisset, varia peregre passus incommoda, pleuritide tentatur. Pleuritis, die septima exacta, uberrimo profuso sudore, plane discutitur. Non multum post dolorem quemdam pulsantem in latere thoracis sinistro anteriori, infra mammas, a scrobiculo cordis non procul persentire cœpit. Dolor in dies paulatim subinde major fit semper, atque in regione doloris, diebus aliquot exactis, pars tandem intumuit. Tumor mollis est, atque undosus. Compressus deprimitur. At digitis amotis comprimentibus, sese attollens, denuo statim consurgit. Pulsat eodem ferme typo, quo in carpo, ad latera gulæ, atque in temporibus pulsant arteriæ. Tum maxime, quum per acclivia properat incessum, præcluditur respiratio; quinimmo & ubi magis adhuc properet, delinquit animo. In hoc rerum statu anxius ad operam confugit medicam Sergius, qui præterea de virium conqueritur imbecillitate extrema, ac de summa identidem præcordiorum angustia. Mensis quintus erat, ex quo pleuritide soluta, ob tumorem deinceps hujusmodi in thorace pulsantem, ita, uti innuimus, ægrotare cœperat, quem procul dubio aneurysmaticum esse conjecimus. Et quia magnæ molis erat tumor, profundus, atque in arteria thoracis non procul a corde, inveteratus, cum symptomatibus vehementioribus, de ejus sanatione omnino desperantes, nihil aliud sane præstitimus, præterquam operam dare, ut, optima in omnibus vivendi ratione servata, ad sanguinis missionem ex intervallo confugeret, ut sanguine opportune imminuto, arteriarum parietes longe minus impellerentur. Nihilosecius mense Februario 1698. Perusiæ, ubi hyems eo anno maxime nivosus fuit, rupto intus tumore, repente suffocatus, expiravit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Trifariam morbi distribuuntur, in humorales, organicos, & mixtos.

CAusa efficiens, quæ affectiones corporis humani viventis procreat, aut proxime lædit humores, qui per organa ejusdem corporis effunduntur, aut proxime lædit partes solidas, quibus organa conflantur, aut, quod utplurimum contingere solet, proxime lædit humores, simul & organa. In primo casu affectio, quæ producitur, vulgo dicitur *humoralis*, sive *universalis*. In secundo dicitur *organica*, *topica*, sive *particularis*. In tertio dicitur *mixta*, siquidem utriusque particeps est. Ne-

Neque desunt, qui inter Veteres bifariam iterum distinxerint affectiones humorales, in eas nempe, quæ *humores contentos* afficiunt, uti sanguinem; & quæ humores afficiunt *impetum facientes*, uti spiritus. Id profecto ad mentem Hippocratis, penes quem partes universæ corporis organici vitam habentis distribuuntur in *continentes*, *contentas*, atque *impetum facientes*. Continentes appellare consuevit partes omnes solidas viventes, quæ actionibus exercendis inserviunt. Contentas vocat humores universos, præter spiritus, qui fluorem licet, & motum potius maximum, ut ita dicam, intestinum habeant, nihilominus ab humoribus eos secrevit, atque ob eam maximam, qua pollent vim, partes impetum facientes nuncupavit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECUNDUS

De iis, quæ tum secundum, tum præter naturam, ratione præsertim cerebri, ac spirituum animalium, digestionis, respirationis, recrementorumque secretionis in thorace, & imo ventre præcipue peraguntur.

SECTIO PRIMA

De Cerebro, nervis, spiritibus, deque iis, quæ ratione partium istarum in corpore humano vitam habente, tum secundum, tum præter naturam exoriri possunt.

CAPUT I.

De Cerebro, ac primo de Meningibus.

Quid sit cerebrum.

CErebrum est *organum, & viscus humani corporis præcipuum, dissimilare, album, molle, spongiosum, quod cranio conditur, & vertebris, ubi & motus universos tum mechanicos, tum voluntarios, tum liberos, tum necessarios, tum continuos, tum contingentes, & sensus omnes tum exteriores, tum interiores, vel in organis excitat, vel ab organis excipit universis spirituum animalium, & nervorum ope.*

Distribuitur in cerebrum, cerebellum, & medullam spinalem.

Distinguitur penes Anatomicos, uti pridem quoque monuimus, in *cerebrum, cerebellum, medullamque spinalem*. Duplici contegitur meninge. Altera interior. Exterior altera. Exterior crassa dicitur meninx, sive *dura mater*. Interior tenuis, sive *pia mater*. Matris nomen, penes Priscos, nactæ sunt membranæ cerebri exteriores; quoniam sibi suadebant ii, reliquas omnes humani corporis membranas a meningibus, tamquam a primis suis, ut ita dicam, parentibus exoriri.

Quid sint meninges. Vid Tab. V. Fig. I.

Meninx crassa laxe obvolvit cerebrum, ejusque fissuram mediam ingreditur processu quodam falcis adinstar messoriæ. Cerebrum iccirco æque findit ab alto ad imum in duas sectiones laterales. Falcis pars posterior, ac superior lata est, quæ propterea *dorsus* dicitur, sive *costa*. Anterior acuta ac gracilis *acie*. Acies cristæ adnectitur galli, ubi in fibrulas dirimitur, quibus subit foramina ossis cribriformis ad nasi principium. Præterea transversum assurgens dura mater ex basi cranii duplicata cerebrum a cerebello distinguit, & quodammodo sejungit. Duræ meningis facies exterior, quæ aspera est, & salebrosa, variis in locis superne adhæret cranio, & præcipue prope suturas, ubi emittit fibrulas ad pericranium. Hinc inter menin-

Describitur crassa meninx.

ges, & pericranium consensus maximus, adeo ut, pericranio læso, facile lædantur quoque meninges. Id quotidie in vulneribus, atque ictibus capitis experimur, in quibus inflammatio pericranii effunditur ad meninges non sine maximo vitæ discrimine. Cranio subjecto adeo firmiter adnectitur inferne, ut avelli vix queat, nisi plane discerpatur. Facies duræ meningis interior levis est, ac mollior, ob uliginem quamdam; quæ, uti opinor, ex glandulis minimis per ejus substantiam ubique dispersis insudat. Libera, & soluta deprehenditur, præterquam in processibus, basique cerebri, in quibus piæ meningi arctissime accrescit.

Quid sit substantia duræ meningis.

Substantia duræ meningis duplici constat tunicarum strato, quæ ita sibi mutuo adhærescunt, ut, nisi leviter excoquatur facies exterior duræ meningis, vix distinguatur. Tunicæ præfatæ fibris intexuntur carneis, quæ ad angulos obliquos mutuo sese ubique intersecant. Inter fibras minimæ arteriæ, ac pene innumeræ a carotidibus effunduntur interioribus, venulæ a jugularibus interioribus. Nervorum propagines ferme uberrimas habeat quoque necesse est, quum sensu polleat admodum acri. A ductibus sanguiferis duræ meningis hinc inde consurgunt plures ramusculi, qui per suturas diriminntur ad substantiam cranii intermediam spongiosam, quæ *diploe* nuncupatur; quæque iccirco, cranio ad mediam usque sui substantiam perterebrato, sanguine scatere solet.

Sinus duræ meningis.

Per processus duræ meningis sinus excavantur quatuor semper, non raro septem. Primus, qui dicitur *longitudinalis*, vel *sagittalis*, producitur per falcis dorsum a principio ad calcem. Alter, item & tertius, qui nuncupantur *laterales*, enascuntur ad finem sagittalis in parte posteriori ejusdem sagittalis ex communi principio. Inde per partem supernam processus transversi tendunt utrinque ad venas jugulares, in quas hiant prope cranii basin. Quartus, qui a nonnullis *Torcular* improprie etiam vocatur, & brevior est, originem ducit ex mutuo concursu trium dictorum non procul a vertice, ex quibus per eumdem processum transversum duræ meningis, inter cerebrum, & cerebellum recta quasi descendit ad basin cranii, ubi *glandulæ* alligatur *pineali*, suo loco inferius describendæ. Dicimus *improprie*; etenim mutuus præfatorum sinuum concursus torcular ab Herophilo primum vocatus est. Quintus perexiguus excurrit per aciem, sive per partem tenuiorem infernam extremam ejusdem falcis. Sextus, & septimus deprehenduntur sub lateralibus. Processus præfati communicant omnes inter se. A partibus proximis quamplurimos nanciscuntur ductus venosos valde conspicuos, qui sanguinem suscipiunt ab arteriis, quem postmodum, osculis adapertis, in sinus mox descriptos eructant. Sanguis ita eructatus devolvitur omnis in sinus laterales, ac per eos in venas jugulares. Quamobrem sinus præfati duræ meningis habentur a Recentioribus, tamquam reflui sanguinis quædam diverticula; qui ne cum impetu irruat in venas jugulares, sinus laterales non procul ab ingressu intumescunt, atque conspicuas quasdam conficiunt ibi concamerationes. Quinimmo in eumdem finem tortuosi sunt, & per eorum meatus transversa passim assurgunt fibræ quædam carneæ, de quibus verba fecit Willisius.

Usus

Usus duræ meningis.

Usus præcipui, quos dura meninx in œconomia animali præstare videtur, sunt, ut cerebrum, cerebellum, medullam spinalem, nervosque universos vestiat, ut cerebri substantiam in duplicem findat sectionem lateralem, ut cerebrum, veluti sepimentum a cerebello distinguat, totamque cerebri molem cranio suspendat, ne quum in hoc, vel illud latus flectamus, exagitamusque caput, cerebri substantia concutiatur. Affirmant alii præterea, ut veluti cerebri involucrum universum una cum pia matre spiritus detineat, ac compescat animales, ne in auras evanescant. Neque desunt qui duram matrem musculum esse existiment membranaceum, qui fibris blande identidem contractis, leniter comprimat cerebri substantiam; a qua propterea & sanguinem, & succum nerveum, aliosque humores, ne ibi concrescant, a tubulis, & glandulis, exprimit. Enim vero jugiter movetur dura mater motu veluti systoles, & diastoles, contractionis videlicet, & expansionis. An tamen motus is duræ matris alternus proveniat ab actione fibrarum, an a pulsatione arteriarum, quæ per eam effunduntur, nobis adhuc obscurum est.

Describitur pia meninx, ejusque substantia.

Sub dura piam offendimus. Pia mater proxime adhæret cerebri substantiæ subjectæ. Quinimmo eam ubique intime pervadit, sese immittens in rimas omnes, in omnes fissuras, & concamerationes universas. Quapropter tenujor quamvis sit dura matre, longe amplior deprehenditur. Sensum habet peracutum. Fibris compingitur minimis, sanguiferorum tubulis, æque ac nervis, quæ per eam undequaque effunduntur. Arteriæ piæ matris sese per *anastomosin*, non modo cum venis suis respondentibus immittunt, verum etiam passim quoque hinc inde cum arteriis: carotides videlicet unius lateris sese injungunt osculis adapertis cum carotidibus alterius lateris; quo fit, ex nostra quoque sententia, ut carotidibus in uno latere obstructis, carotides alterius lateris sanguinem nihilominus quaquaversum per substantiam piæ matris deferre valeant. Quum eosdem fere usus piæ, æque quam duræ meningi, adscribere possimus, non est cur in hoc diutius immoremur.

CAPUT II.

De Cerebri Substantia.

Quid sit cerebri cortex.

A Motis a cerebro meningibus, nuda sese profert cerebri substantia. Hæc in homine, habita reliqui corporis ratione, longe major occurrit, quam in reliquis animalibus, vèl in ipso elephante. Foris innumeris componitur glandulis minimis, quæ substantiam conficiunt cerebri exteriorem ad crassitiem digiti unius circiter transversi. Mollis est. Colorem habet cinereum. Diciturque *Substantia cerebri corticalis*, sive *cerebri cortex*, alte quamvis hinc inde sese immittat per ipsam cerebri substantiam medullarem, & præsertim in cerebello veluti in plures arborum ramusculos distracta, sive potius effusa.

Quid sit cerebri medulla.

Sub cortice latet cerebri medulla, quæ cortice durior est, magis alba, ac magis compacta, quæque iccirco vocatur ab Anatomicis *corpus callosum*. Substantia cerebri medullaris nil aliud videtur, quam compages fibrosa, pluribus contexta fibrulis albis,

albicantibus, provenientibus ex glandulis minimis cerebri corticalibus; quapropter cavæ nonnullis visæ sunt, atque habentur veluti minima vascula glandularum cerebri corticalium excretoria. Ita a cortice tum cerebri, tum cerebelli producuntur, ut fibræ medullares, quæ exoriuntur in latere corticis dextero, tendant per corpus callosum in latus sinistrum; & contra fibræ medullares, quæ exoriuntur in latere corticis sinistro, per corpus callosum tendant in latus dexterum. Quamobrem si concursus, quo mutuo tendunt in corpore calloso fibræ præfatæ, non averterentur, ad angulos pene rectos sese passim decussarent. In medulla spinali, fibræ corporis callosi exteriores sunt, & glandulæ corticales interiores. Quo fit, ut in medulla spinali glandulæ componant substantiam interiorem cineream, glandosam, atque spongiosam cortici cerebri similem; non secus ac fibræ componunt in eadem medulla spinali corticem exteriorem fibrosum, magis album, magis durum, atque compactum corpori calloso similem; adeo ut in medulla spinali sese habeat tamquam corticem quicquid in reliquo cerebro medullæ vicem gerit; sicuti vicem gerit medullæ in medulla spinali quicquid in cerebri cortice offendimus. Id profecto, ut medulla spinalis in nervos commode per universum corpus distribuatur.

Quid sit corpus cerebri callosum, ac cerebri ventriculi.

Diductis utrimque in parte cerebri superna duobus cerebri hemisphæriis lateralibus, occurrit *corpus callosum* nudum. Hoc superne secto ab occipite ad sinciput, ac portione resecta a posterioribus ad anteriora reclinata, sive potius omnino amota, sese perhibent aspectui sinus bini semilunares versus cerebri partem anteriorem qui nuncupantur *ventriculi*. Abinvicem distinguuntur sepimento quodam intercedente, quod recta descendit a partibus ventriculorum supernis ad infernas. Sepimentum istud substantiam habet undequaque pellucidam; hinc *septum* nuncupatur *lucidum*. Ad latera septi istius lucidi *plexus* consurgunt *choroidei*, unus scilicet utrimque. Contexuntur plexus arteriolis minimis, ac venulis pene innumeris, quæ, tenui intercedente meninge, quamplurimas inter se minimas oculis perhibent glandulas, si tamen microscopium ad eas apponamus.

Quid sit fornix.

Fundum ventriculorum anteriorum tribus innititur cruribus, sive productionibus medullaribus. Binæ posteriores sunt. Altera anterior; quæ, quia omnes sibi mutuo in fornicem quasi superne aptantur, incumbentemque sibi cerebri molem substinent, *fornicis* nomine condecorantur. Sub fornice tertius latet cerebri ventriculus: alter nimirum sinus, qui fit quodammodo ob mutuum concursum parietum ventriculorum superiorum.

Quid sit calamus scriptorius.

Duplex habet foramen ventriculus tertius. Alterum anterius oblongum, *vulva* dicitur. Alterum posterius rotundum, nuncupatur *anus*. Per foramen rotundum ventriculi tertii itur præcipue in alterum cerebri sinum oblongum versus principium medullæ spinalis, quod constituit ventriculum cerebri quartum. Ventriculus iste quartus, eoquod a latiori sinu, non secus ac *calamus scriptorius* in acumen aptetur, id profecto nominis penes Anatomicos sibi vindicavit.

Quid sit infundibulum, glandula pituitaria, glandula pinealis &c.

Ex vulva ductus producitur quidam membranaceus, qui soboles est piæ matris. Ductus is ex

ex suo ampliori orificio, quod vulvæ apponitur, paulatim arctatur adinstar infundibuli, donec tandem desinat in glandulam pituitariam, quæ in cranii basi extuberat a *sella equina*. Adsunt præterea in cerebro *testes*, *nates*, *rete mirabile*, *corpora striata*, *opticorum thalami*, *centrum ovale*, de quo præsertim verba fecit Raymundus Vieussens, & reliqua, quæ æquo quidem animo, ne Tyronum mentem frustra defatigemus, quum usus partium istarum genuinus revera adhuc incertus sit, hic prætereunda existimamus. De rete tamen mirabili, ac glandula pineali, eorumque situ, structuraque, pauca, quæ sequuntur, adnotare oportet. Rete mirabile nihil aliud est, præterquam plexus quidam pertenuis minimis arteriolis, ac venulis implicatus, pia intercedente meninge, glandulæ pituitariæ instratus in cranii basi ad sellam equinam. Glandula pinealis, sive Konarion Græcis, quam temporibus pene nostris inclytam fecit Renatus Des Cartes, occurrit in principio ventriculi quarti ad ani foramen, ubi quodammodo suspenditur sanguiferorum ope, quorum propagines plexus choroideos mox descriptos utrimque intexunt; occurrit, inquam, ad ani foramen inter cerebri, & cerebelli productiones, in exordio medullæ oblongatæ, quod præfatum ventriculum quartum, uti diximus, constituit. Pinealis dicitur, item & Konarion a figura exteriori. Usus admodum incerti.

Vasa cerebri.

Cerebri substantia arterias; & venas suscipit a carotidibus interioribus, & jugularibus præsertim, necnon & a vertebralibus, quæ per foramina vertebrarum, æque ac per foramen occipitis magnum substantiam medullæ spinalis hinc inde perreptant. Nervorum quoque filamenta apud nonnullos habet, quæ maxima ex parte dirimuntur per membranas cerebri interiores. Habet insuper ductus aquosos ferme conspicuos, qui ad finem infundibuli a glandula pituitaria producuntur extra cerebrum in venas utrinque jugulares.

Ventriculorum usus.

Ventriculorum usus penes Veteres erat, ut spiritus animales exciperent, eosque servarent ad motus, tum vitales, tum animales corporis humani, necnon etiam ad sensus tum interiores, tum exteriores. Opinantur Recentiores, lymphæ potissimum excipiendæ, detinendæque, quum exuberat vel cerebri nutritione, vel a spirituum animalium separatione eos inservire. Lympha in ventriculis collecta, oculis testibus, defluit a ventriculis per vulvam ad infundibulum, quod eam devehit, atque immittit in glandulam pituitariam. A glandula pituitaria per ductus aquosos, non ita pridem detectos, elabitur in venas jugulares, ut una cum refluo sanguine ad cor redeat.

Usus cerebri.

Cerebrum est Mentis sedes; Animæ videlicet humanæ, quæ utpote prorsus incorporea, quamvis tota in toto, & tota in qualibet parte corporis humani viventis, quod animat, atque informat, in cerebro tamen præcipua sua absolvit munera. In cerebro quippe cogitat, in cerebro percipit, judicat, ratiocinatur, & imperat. In cerebro sentit. Quinimmo ex cerebro, ope spirituum animalium, quos per nervos impellit, varios excitat in corpore humano vitam habente organorum motus, & per cerebrum ipsa quodammodo varios organorum motus excipit ope spirituum animalium, nervorumque, tum quum va-

varie in organis ab objectis sensibilibus afficiuntur. Id profecto neminem fugit, quum ablata, sive intime læsa cerebri substantia, facultates omnes præfatæ in homine sive cessant omnino, sive maxime pervertuntur. Ea tamen cerebri pars præcipua, in qua ea omnia potissimum Mens exercet, adhuc est nobis prorsus ignota. Hanc tamen cum reliquis Physiologicis *Sensorium commune* appellabimus.

Recentiorum opinio de spirituum animalium secretione.

Anima humana, sive Mens præfata incorporea, in corpore humano nequaquam agit proxime, sed nervis, & spiritibus animalibus adjuvantibus, qui non sine maxima probabili conjectura secernuntur a sanguine præterlabente in glandulis cerebri corticalibus; & a glandulis cerebri corticalibus per fibrulas corporis callosi in nervos deferuntur ut per nervos reliquis omnibus corporis humani partibus distribuantur.

CAPUT III.

De Medulla oblongata, & de Nervis.

Quid sit medulla cerebri oblongata.

MEdulla cerebri oblongata originem ducit ex basi ipsius cerebri, quatuor veluti distracta radicibus. Binæ anteriores sunt. Posteriores binæ. Apices anteriorum, quibus medulla oblongata egreditur a cerebro, dicuntur *crura medullæ oblongatæ*, sive *opticorum thalami*. Apices posteriorum, quibus a cerebello proficiscitur, efficiunt cerebri *testes*, item & *nates*. Medulla oblongata, quæ producitur intra cranium proprie dicitur *medulla oblongata*. Postquam vero ingressa est vertebrarum fistulam, nuncupatur proprie *medulla spinalis*. Medulla oblongata durior sane videtur, magisque compacta, quam cerebri substantia medullaris. Durior adhuc deprehenditur medulla spinalis. Hæc a cerebro ad os usque sacrum in duplicem finditur sectionem lateralem, meningibus intercedentibus. Hinc fortasse non semel contingit, ut unum latus tantum corporis humani fiat paralyticum, altero prorsus illæso. Arterias, & venas suscipit ubique substantia medullæ spinalis per vertebrarum foramina, æque ac intercapedines.

Quare nervi dicuntur exoriri a medulla cerebri oblongata.

Medulla oblongata censetur origo nervorum omnium, neque injuria, quum nervi omnes ab illius proveniant substantia. Non immerito iccirco nervi dici quoque solent parva medulla oblongata. Non sunt revera nervi, præterquam corpora quædam teretia, utplurimum tenuissima, fibrosa, albicantia, duriuscula, quæ filorum adinstar inæqualia ex medulla oblongata producuntur, & in diversas corporis humani regiones dirimuntur. Hinc non omnes ejusdem sunt generis, & molis; omnes quamvis pluribus congregentur fibrulis medullæ oblongatæ in fasciculos collectis, atque a medulla oblongata in reliquas corporis partes ex utroque latere profusis. Quia autem fibræ medullæ oblongatæ proveniunt, uti monuimus, a corpore cerebri calloso, ac propterea a glandulis cerebri corticalibus, concludendum videtur, nervos universos, fibrulis saltem aliquibus suis, exoriri a glandulis cerebri præfatis. Dicimus *fibrulis saltem aliquibus suis*; eoquod nervorum plerique fibras quoque suscipiant a glandulis medullaribus medullæ oblongatæ, item & spinalis.

Quid sint nervi.

Nervorum singuli a medulla oblongata usque ad partes, in quas tendunt, duplici ubique vestiun-

ſtiuntur meninge, quod nonnullis anſam dedit, ut nervos haberent veluti cerebrum productum, in ſtamina extenuatum, ac per univerſum corpus humanum effuſum; non ſecus ac affirmari poteſt de corde, ratione vaſorum ſanguiferorum, eoquod per arterias, & venas cor quoque quodammodo producatur, extenuetur, atque effundatur per reliqua omnia corporis organa tum interiora, tum etiam exteriora. Enim vero in pluribus nervis valde conſpicuis, uti ſunt qui egrediuntur a principio medullæ oblongatæ, ſi microſcopio fides habenda eſt, inter fibras medullares obſervamus minimas quoque glandulas, & varia ſtamina ſanguifera, non ſecus ac in cerebri, medullæque ſpinalis ſubſtantia. Dicimus *in pluribus nervis valde conſpicuis*, quum reliqui, quamvis microſcopio accurate introſpecti, nihil aliud videantur, quam faſciculi fibrarum albicantium, quarum ſingulæ tunica veſtiuntur tenuiſſima, eaque pellucida.

Diſtribuuntur nervi in duplicem claſſem.

Nervorum, penes Anatomicos, duplex eſt claſſis; alii quippe egrediuntur a medulla oblongata, alii a medulla ſpinali. Prioris claſſis Veteribus paria ſeptem. Recentioribus decem, penes quos par primum conſtituit *olfactores*. Secundum *opticos*. Tertium *oculorum motores*. Quartum *pathetico*. Sextum nervos, qui dicuntur *guſtui inſervientes*. Septimum *auditus*. Octavum *vagos*. Quintum, nonum, ac decimum, quoniam nomine carent, paria nervorum vocantur *innominata*. Par nervorum vagum per cranii foramina una cum ductibus aquoſis, qui a glandula pituitaria tendunt extra cranium in venas jugulares, producitur verſus thoracem. In thorace varie implicatur, & plexus efficit, ex quibus ſurſum recurrunt propagines nervorum binæ, quæ propterea *recurrentes* dicuntur.

Reliqua nervorum paria medullę ſpinalis.

Paria nervorum triginta, quæ a medulla proficiſcuntur ſpinali, ac per foramina vertebrarum in reliquas effunduntur corporis regiones, iterum dividuntur in quatuor alias nervorum claſſes; alii quippe vocantur *cervicales*, *dorſales* alii, alii *lumbares*, alii *oſſis ſacri*. Cervici paria octo adſcribere conſueverunt Anatomici. Duodecim dorſo. Lumbis quinque. Quinque itidem oſſi ſacro. Nervorum iſtorum diſtributionem ſedulo expoſiturus, ubi de ſingulis agam partibus, quibus paria præfata proſpiciunt, plura de iis dicere impræſentiarum omitto.

Nervorum munus.

Per nervos a cerebro ſpiritus animales una cum ſucco nerveo ad reliquas corporis humani partes diſtribuuntur, ut in iis vel motum, vel ſenſum, vel utrumque, uti ſuo loco dicendum erit, excitent. De nervis id præ ceteris adnotandum ſupereſt, eos variis in partibus corporis humani, & præcipue in organis thoracis, & abdominis mirum in modum implicari, & ſeſe implicando corpora duplicis generis conflare; *plexus* nimirum, & *corpora olivaria*, quæ *Ganglion* a nonnullis nuncupantur. In plexibus, retis in modum quodammodo intexuntur. In corporibus olivaribus, ita conveniunt, coeuntque, ut in nodos quoſdam variæ molis aptentur: idque in utriſque fit, ut commodius poſtmodum ad alias partes iterum produci, explicarique poſſint.

ANI-

ANIMADVERSIONES AD ANATOMEN SPECTANTES.

Quid sit centrum ovale, ejusque partes adnexæ.

HActenus cerebrum, ejusque partes universas ea ratione, ac methodo introspeximus, qua eas Veteres Anatomici rimari consueverunt. Si quis igitur requirat insuper, ut ei exponamus centrum ovale, ductus striatos, item & geminum centrum semicirculare, de quibus temporibus nostris verba fecerunt postremo Recentiores, mentem, æque ac animum in ea, quæ deinceps dicturi sumus, sedulo intendat. Ablato cerebri cortice, fibræ statim sese perhibent aspectui corporis callosi, sive substantiæ cerebri medullaris; quæ ita ad invicem in progressu aptantur, coeuntque, ut substantiam eam spongiosam construant ejusdem corporis callosi, quæ anteriores cerebri ventriculos undequaque circumdat. Hanc centri ovalis nomine, eoquod in figuram propemodum ovalem ventriculis præfatis circumducatur, insignire placuit Raymundo Vieussens; qui inter ævi recens exacti sectores primus, quantum scivimus, eam nobis exposuit. Substantia centri ovalis colore plurimum varia est; distinguitur enim in albam, & cineream, sive livescentem, ac pene dicam, luridam; siquidem per eam recta excurrunt ductus quidam fibrosi albescentes, qui, intermedia cerebri substantia molliori glandosa, ac magis obscura a cortice producta, varie in strias aptantur. Qua de re ductus striati nuncupantur. At enim vero, ut ea res luculentior adhuc evadat, substantiam centri istius ovalis trifariam distinguere juvat: in regionem scilicet supremam, mediam, ac imam; ductus quippe præfati nec idem æque omnes habent exordium, nec in eumdem desinunt finem; quoniam qui e regione superiori centri ovalis procedunt, omnes fere tendunt in substantiam eam albicantem, quam præcitatus Auctor centrum cerebri semicirculare vocitare voluit. Unum conspicitur utrinque. Qui originem ducunt a regione centri ovalis media, qui & duriores, atque majores sunt, ulterius prosequuntur, anteriorem substantiæ medullaris partem inferius constituentes. Qui autem ab ima proficiscuntur regione, licet minores deprehendantur, non secus tamen ac priores substantiam medullarem subeunt, perque eam anterius producuntur.

Præfatarum partium in cerebro munus.

Ab utroque centro semicirculari alii quoque egrediuntur ductus pene innumeri striati; mimimi sane. Hi ulterius excurrentes, in partem posteriorem medullæ spinalis ubertim sese immittunt. Ea sunt profecto, quæ præ cæteris in cerebri substantia nobis postremo objecit Recentiorum solertia; penes quos centrum ovale habetur veluti commune, & maximum spirituum animalium receptaculum spongiosum, in quo consistit organum cerebri præcipuum, & sedes quasi peculiaris sensorii communis; ubi propterea suas præcipuas exercet facultates Mens ea incorporea, quæ humani corporis viventis organa informat; quum sibi suadeant, spiritus animales ibi collectos, ac varie commotos, varios sibi excudisse meatus, ac varias stravisse semitas, variosque tramites, qua libere in nervos effundi queant. Sibi suadent insuper, in ea cerebri parte rerum sen-

sensibilium, quæ sensus nostros afficere consueverunt, vestigia quædam, sive imagines imprimi in usum memoriæ &c. Quod non plane improbamus, quandoquidem unanimi fere consensu in hoc hodie conveniunt omnes, saltem cordatiores Anatomici, a sanguine spiritus animales in cerebri cortice secerni. Quod quum ita sit, fieri nequaquam potest, ut a cortice fibras non subeant corporis callosi, per quas maxima saltem ex parte ad centrum tendant ovale per ejus substantiam spongiosam sese undequaque effundentes. Ab hac autem per ductus striatos deferri debent utrinque ad geminum centrum semicirculare, necnon etiam ad medullam spinalem; ut inde per nervos ad reliqua omnia organa corporis humani viventis, tum interiora, tum exteriora distribuantur, motui, ac sensui eliciendis.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ AD CEREBRUM SPECTANTES.

Unde conjectando inferre possumus spiritus animales revera existere.

SPiritus animales, eos sensibus quamvis nostris assequi hactenus unquam, nequaquam valuerimus, ab effectibus tamen, quos in corpore humano vitam habente ipsos præstare in dies observavimus, & observamus, ratiocinando inferre debemus, eos revera existere, ac propterea materiam quamdam esse tenuissimam, ac pene dicam, ætheream; valde mobilem, concitatamque; quæ ab eo præsertim sanguine, qui per arterias carotides, ac vertebrales a ventriculo cordis sinistro cerebrum conscendit, in glandulis cerebri corticalibus secernitur; & quæ a glandulis per substantiam corporis callosi, tum in eodem cerebro, tum in cerebello, tum in medulla spinali effunditur in nervos omnes, ac per nervos in fibras musculorum motrices, item & membranarum sensitivas; ut per musculos, motum, ac per membranas ex organis animatis, sensum eliciat, ea propemodum ratione, qua humani corporis viventis facultates in Tractatu nostro de *Corpore humano* jampridem evulgato exposuimus. Materiam hanc tenuissimam, plurimum sane mobilem, concitatamque, quæ valide in organis agit, Recentioribus nonnullis passim appellare placuit itidem *succum nerveum*; succus licet nerveus ab aliis proprie dicatur, uti ante innuimus, uligo quædam desœcatissima, longe tamen crassior, quam spiritus præfati, quæ una cum spiritibus ex eorum sententia per nervos dirimitur tum spiritibus ipsis, ne in auram facile evanescant, detinendis, tum nervorum substantiæ, ne arefiat, & ne tabida macrescat, humectandæ, atque alendæ inserviens. Nos equidem non fugit, nostris quoque temporibus quosdam extitisse, qui singulari quadam innovandi, ut ita dicam, sive potius contradicendi libidine plurimum acti, ac prope lacessiti, proferre fidenter aggressi sunt, eoquod insensibiles sint spiritus sive animales, sive vitales, nullibi unquam extitisse, operationes universas corporis organici exponere jactitantes ad leges cujusdam mechanices prorsus chimericæ, quas ipsi commenti sunt, & quibus audacter innixi, non dissimili fidentia improbare consueverunt, nonmodo Veterum occultas facultates, verum etiam promiscue, & Recentiorum fermentationes, ac salium doctrinas, sibi suadentes corpora nequicquam mechanice in rerum natura agere uspiam posse, nisi ea & sensibilia sint,

sint, & vocibus exprimantur cuneorum, vectium, cochlearum, trochlearum &c. O quam ridiculum hominum genus! liceat hic mihi modo exclamare. Ut corpora physica suos præstare valeant physicos effectus abunde est, ut vere tantum existant, ut formam habeant, figuram, ac consistentiam peculiarem: idoneam nempe, ut in aliis agant corporibus. Abunde est, ut ab aliquo impellantur agente, ex quo motum, & momentum quoddam nacta aliis corporibus illud communicent. Quum id contigerit, sensus quamvis ob tenuitatem suam minime moveant, efficient tamen, ut ex abditis naturæ visceribus in apertum sese proferat quicquid virtutibus occultis adscribere hactenus consuevimus. At quid plura? Frustra sane contendimus. Cum iis equidem contendimus, qui fieri potest, ut sumis neque labiis cultioris Philosophiæ, atque Mathematices res unquam, nec Veterum, nec Recentiorum delibaverint. Sinimus æquo animo, ut pacate in nugis sese hujusmodi non inviti exerceant, quibus & sexus indocti; & vanos imperitorum vulgi sibi captent plausus. Adolescentes nos interim ingenuos, qui in Reipublicæ potius, quam sui commodum, procul ab illecebris, aut sordidi quæstus, aut popularis, inanisque gloriolæ, medicinam liberaliter, pie, ac sancte facere profitentur, quanta valuimus industria, erudire, ut hactenus cœpimus, atque studuimus, ita & deinceps candide semper, Superis adjuvantibus, prosequemur.

CAPUT IV.

De Apoplexia.

DE febribus, aliisque nonnullis affectionibus, quæ sanguinem, item & cor præcipue afficiunt in corpore humano vitam habente, hactenus egimus. Inceptæ igitur methodi leges exigunt, ut ad alias transitum inde faciamus, quæ spiritus præsertim animales, succum nerveum, nervos ipsos, medullam spinalem, cerebellum, ac cerebrum primario lædere existimantur. Ejusmodi sunt propemodum *Apoplexia*, *Paralysis*, *Epilepsia*, *Coma*, *Lethargus*, *Carus*, *Coma vigil*, *Catalepsis*, *Vertigo*, *Phrenitis*, *Mania*, *Melancholia*, *Hypochondria*, *Spasmus*, *Convulsio*, *Incubus*, & reliqua; quæ deficiente utplurimum, sive præcluso, aut exuberante, vel irritato, ac depravato spirituum præfatorum per nervos influxu, exoriuntur. Apoplexiam, quæ syderatio, morbus attonitus, & nervorum resolutio, sive paralisis universalis, necnon etiam *Gutta* a Paracelso appellari consuevit, describere possumus una cum iis, qui nos præcesserunt, *repentinam esse actionum animalium omnium, sensus videlicet, & motus abolitionem cum læsione facultatum principum, ex præpedito, vel præcluso aut in cerebro, aut a cerebro per nervos ad organa spirituum animalium influxu*; sive ab ipsa vocis etymologia edoctus, eam nil aliud esse paucis dicam præterquam *subductionem sensus, & motus in organis universis, aut vehementem, ac repentinam corporis totius resolutionem, vel stuporem*. **Apoplexiæ definitio.**

Imminentem fore apoplexiam prædicere solent & capitis dolor ex improviso adveniens, ac ingenii **Diagnosis.**

ingenii ſtupor, tum maxime, quum accedat vertigo, ſtupor ac ſomnolentia, eoque magis ſi vel partes extremæ, vel corpus frigeat univerſum, ſi caligent oculi, ſi ſtrideant in ſomno dentes, ſi obſtrepant intus aures, ſi pruriant nares, ſi mucus, item & ſaliva prætermodum confluant &c. At ſi quem ea valide, & fortiter corripuerit, id facile deprehenditur, eòquod viribus omnino collapſis ſine ſenſu, ac motu, in partibus ſaltem externis, univerſa corruit corporis moles. Hinc forti ſi quis tactus fuerit apoplexia, ſemimortuus quaſi decumbit, difficile reſpirat, ac alte veluti conſopitus clauſis oculis jacet, ſtertit, quin & inclamatus haud reſpondet.

Cauſa. Ex eadem ſuperius allata apoplexiæ definitione, eam exoriri habemus in corpore humano vitam habente ab intercepto ſpirituum animalium a cerebro per nervos ad cæteras partes influxu: ſive, ut alii dicunt, ab intercepta, & præpedita ſpirituum animalium *radiatione*; quod pluribus ſane ex cauſis fieri poſſe autumamus, vitio nimirum ſive partium ſolidarum, ſive fluidarum ejuſdem corporis humani. Partes ſolidæ apoplexiam vitio ſui procreare valent, tum, quum aut cerebri, aut cerebelli, aut medullæ oblongatæ, aut nervorum ſtructura, vel ita turbata eſt, vel everſa, vel alio quovis pacto intime læſa, ut præfati ſpiritus animales, in glandulis a ſanguine ſecerni nequeant, aut ſi ſecernuntur, ulterius nequeunt deferri. Humores autem, quorum pravitas apoplexiam moliri quit, modo eſſe poſſunt ſpiritus ipſi animales, vel ſuccus ipſe nerveus, modo lympha, vel ſerum, necnon & ſanguis idem, qui multifariam in id conferre valet. Spiritus animales item & ſuccus nerveus, ſi aut in cerebri ſubſtantia, aut in nervis intus concreſcerent, meatus obſtruendo, apoplexiam facerent. Si concreſcerent in iiſdem partibus, ſive in viciniis, aut lympha, aut ſerum, aut ſanguis, vel ſi redundarent, aut alia quavis ratione ſi prætermodum rarefierent, tum parietes tubulorum, quibus continentur, nimis prolatando, fibras nervorum interceptas comprimerent, ac præfatum ſpiritum animalium influxum ab organis arcerent, idemque ferme præſtarent. Quamobrem apoplexiam recte bipartiri poſſumus in *humoralem*, & *organicam*. Rurſus humoralem in eam, quæ fit obſtructione nervorum, & quæ fit per extrinſecam nervorum compreſſionem; quibus præterea injungere poſſumus eam, quæ fit lympha, ſive ſero exuberante, quam *pituitoſam* quiſpiam vocat; & eam, quæ fit ſive ex redundantia, ſive ex nimio ſanguinis fervore, quam alii *ſanguineam* appellant, quæque plethoricis ſolemnis eſſe ſolet, quamque in temulentis ex ebrietate non ſemel & ipſi vidimus.

Solvere apoplexiam quidem fortem impoſſibile; debilem vero non facile ex Hippocrate (*a*) *Quibus cerebrum ſyderatum eſt, intra dies tres intereunt, ſin hos evaſerint, ſani fiunt.* (*b*) Et alibi. *Apoplexia repente oborta, ſolubilis, adveniente febre lenta, mortifera.* Lenta dixit; non raro ſiquidem contigiſſe edocuit experientia, vehementiori ſuperveniente febre, apoplexiam brevi ſolutam fuiſſe. In quo tamen id maxime adnotandum objicimus, fervorem ſanguinis ob febrem validiorem ſu- Prognoſis.

(a) *Sect.2. Aphor.42.*

(b) *Sect.7. Aphor.51.*

pervenientem recens adauctum apoplexiæ discutiendæ uti plurimum conferre, ita ex adverso, si febris, vehementior licet, prius exarserit, & deinde si febrientem apoplexia invaserit, tum eam, & lethalem extare, & omnem fere operam medicam respuere satis exploratum habuimus. In Senibus contumacior longe, & majori semper cum periculo censeri debet. Quo lenior invasio, eo solutu facilior. Anhelitus, idest spirandi difficultas, quo major in apoplecticis deprehenditur, eo quoque fortiorem indicat affectionem. Si defluat sudor ex spiritus angustia, tum maxime, quum frigidus is sit, & spuma si ex ore profluat, id mortem subesse declarat. Sanguinis fluxus superveniens, præcipue ex hæmorrhoidibus in adultis, ex naribus aut ante, aut non multum post pubertatem, morbum discutit, item & uberrima quandoque salivatio. Cæterum si quis evaserit, & mortem in apoplexia vehementiori effugerit, is autem paralyticus imposterum vivit, aut cum periculo, ne recurrat, quinimmo & ne periodice etiam tentetur.

Curatio. Ut cerebri, nervorumque obstructiones reserentur, ut compressiones, si adsint, eximantur, & ut præclusus spirituum animalium ad organa influxus recludatur, apoplecticos clinice tractando, curam atque operam omnem, omnemque conatum traducere debemus. Quapropter, ratione diætæ, curandum est, ut temperatus sit aer, purus, ventisque salubribus perflatus; noxam quippe apoplecticis plurimam intulit semper frigidior, item & prætermodum calidus, crassus, humidus, atque iners. Victus tenuis sit, quin saltem initio tenuissimus, qui ex facili concoquatur, & in alimoniam partium commode distribuatur. Iccirco, quum non extet apoplexia, aut ex redundante sanguine, aut ex eodem sanguine, vel ebrietate, vel alia quavis de causa nimium fervido, exculenta, æque ac poculenta aromatibus volatilioribus blande consperges; quæ digestionis acuunt fermenta, coctiones adjuvant, & chylum tenujorem quodammodo medicatum eliciunt; attamen vinum, utpote quod nervis semper insensum sit, omnino vitetur. Quoniam vero membra apoplectice affecta, sive, ut ita dicam, syderata, nequaquam apoplecticis exercere utplurimum datum est, ideo exercitationis vice valide desricetur identidem cutis, præcipue partis affectæ, sive manibus tepentibus, sive linteis, sive cucurbitulis; quas præterea si humeris præ cæteris infigas, humoribus in cerebro concretis amovendis, extenuandisque valde semper contulisse patefecit usus. Somnum, item & vigilias, nisi alternis de more æque sibi respondeant; multum nocere existimamus. Arceat æger pro viribus graves animi curas, ac mentis sollicitudines. Et quum vel forte a paroxysmo plane evaserit, caveat ab omni capitis ictu, & contusione, & ne vel leviter quidem cæspitet; quæ, cerebrum jam labefactatum concutiendo, præstare possunt, ut syderatio recurrat. Ex classe pharmaceutica, item & chirurgica, primo obversantur emetica, phlebotomia, vesicantia, necnon etiam inustiones. Emetica, validiora nimirum in apoplexia resolvenda, ut quandoque profecisse, ita & syderatos non semel iisdem intersectos esse, experientia edocti, testari pos-

possumus. Hinc ad vires ægrotantis, ac apoplexiæ genus, necnon etiam ad cæteras omnes, quæ eam comitari solent circumstantiæ, mentem, æque ac animum sedulo, solerterque convertamus oportet, ne audacter ad ejusmodi præsidia periculi plena confugiamus. Longe tutiores ducimus purgationes per inferiora, item & clysteres, qui etiamsi fortiores, sæpesæpius in die injiciantur, & procul ab omni periculo alvum exonerant, & præterquamquod maximas intus excitent turbas, sordes eluunt. At enim vero nullum remedium magis idoneum, magisque accommodatum apoplexiæ evincendæ temporibus nostris adhibetur, quam opportuna sanguinis missio; quem si aut ex vena scalpello secta, aut ex cute cucurbitulis scarificata, aut ex partibus hirudinibus inferne, æque ac superne erosis, abunde eduxeris, id & in summa senectute mirifice profecisse fere semper cognovimus, tum maxime, quum in ea sanguis redundet. Alvo purgata, & sanguine, uti innuimus, imminuto, quod confestim in plerisque, ex nostra sententia, præstare expedit, & nihilosecius si morbus adhuc reluctetur, ulterius procedendum est: ad sinapismata videlicet, ad vesicantia, ad inustiones &c., de quibus universis infra. Cæterum spiritibus ex latebris, ut ita dicam, eliciendis, iisque resocillandis, revocandisque apprime conducunt ea omnia, quæ vulgo *cephalica* nuncupantur, uti sunt decoctiones betonicæ, salviæ, roris marini, melissæ, florum borraginis &c. Aquæ per distillationem eductæ ex peonia, corticibus citri, cerasis nigris &c., quibus cerebri roborandi facultas vulgo adscribitur. Conveniunt item conserva rosarum rubrarum cum baccis juniperinis contusis immixta, confectiones hyacinthinæ, alkermes, mitridatum, & reliqua; de quibus in historia, quæ insequitur, dicere est animus. Ægrotantibus apoplectica invasione obrutis, excitandis, tum maxime, quum extremus virium languor ex pulsu valde depresso percipitur, non improbamus tum intus, tum foris alkalica volatiliora adhibere, uti sunt spiritus cor. cer. salis ammoniaci, fuliginis, ossium sepiæ &c., quæ naribus præsertim admota, membranas irritando, spiritus in cerebro consopitos excutere valent. Commendamus quoque, ut saltem, utpote quæ noxam inferre nequeant, minime damnamus, succinum album, cranium humanum præparatum, ungulas Alcis, radices peoniæ in pulverem redactas, & reliquos pulveres absorbentes, qui vulgo *antiapoplectici* nuncupantur.

Historia I.

Quicquid, Apoplexiæ medendo, prestare consuevimus, historia declaramus.

THrasibulus vir quidam fortis, ac pene plethoricus, opipare vesci solitus, qui quadragesimum septimum vix exegerat ætatis annum, optime valens, mense Decembri de gravedine quadam capitis, ac de stupore quodam, qui per artus citra ullam manifestam occasionem ex improviso ei advenerat, conqueri cœpit. Exiguo post, quum de hoc ipso cum domesticis conquereretur, pene ac de cœlo si tactus esset, procidit resupinus, sensibus plane, ac motu extrinsecus destitutus; quapropter inclamatus minime respondet, quinimmo & vehementer excussus, acriter-

que divexatus nequaquam sentit. Stertit insuper, difficile respirat, atque clausis oculis, ex ore spumans misere angitur. Accersiti, & pulsum explorantes, a febre quantumvis prorsus immunem adinvenimus, compressus tamen erat, durus, ac tardus. Quamobrem invasione apoplectica Thrasibulum impense correptum conjicientes, vena quamprimum in brachio soluta, ut sanguis ad libras circiter duas, & ultra educeretur, sine cunctatione effecimus. Quum sanguis profluere cœpit, pulsus, item & respiratio magis, magisque semper explicabantur. Necnon etiam oculos hebetes tandem explicans, humili tamen voce, clamitare identidem, atque ambigua, duriter licet, proferre conabatur. Sanguine, ut ante jam diximus, educto, ac vulnere præcluso, item & clystere, ea, quæ sequitur, ratione A, parato, injecto, ut corpus universum desricaretur iterum, iterumque curavimus; qui ter alvum, aut quater abunde concitavit. Ne tamen deficerent vires, atque ut morbo vel interioribus quodammodo occurreretur, decoctionem hanc B, in jure gallinaceo, ut bis in die vice prandii, & cœnæ, & nihil aliud ad diem usque quartam sumeret cum ovorum vitello recenti præscripsimus; potestatem interim ei facientes, ut maximam, qua æstuabat, sitim expleret, aut aqua nuceriana frigidiuscula ex infusione corticum citri cum modico cinnamomo parata, aut variis nonnullis aliis non insuavibus ejusdem generis sorbitionibus, modo a vino sese abstineret. Postridie, die nimirum morbi secunda, quum longe melius se habere ægrotantem ex indiciis universis intellexerimus, potionem hanc C solventem, quæ plurimum sane profecit, ei propinavimus; ut inde quantitas alia sanguinis ex vasis inferioribus educi commode potuisset; quo educto, die nimirum morbi quarta, ad aliam sanguinis libram, res semper in melius cessit. A die quarta ad decimamquartam, præter jusculum prædictum alteratum, quo solo victu, uti diximus, vescebatur, sorbere insuper cœpit bis in die, horis nimirum medicis, bolis, quos ex succino albo præparato, ac confectione alkermes ita, ut insequitur D paravimus, non multo ante deglutitis, optimam chocolatam lacte asinino solutam; qua mirum in modum propediem refectus omnino convaluisset, nisi resolutæ ægritudinis, morbosæ quædam tamquam reliquiæ, per artus stupor levis inde superstitisset; qui contumax ad menses usque æstivos discuti numquam potuit, nonnisi cucurbitulis scarificantibus cuti postmodum ubique infixis, atque usu balneorum aquæ dulcis, necnon etiam decoctionis sarsæ parillæ, quam hac lege E confecimus, cui quotidie rhabarbarum in pulverem redactum, ac in bolos F ita digestum, præmittere consuevit. Thrasibulus ad annos plurimos, optime semper valens, imposterum vixit, prorsus tamen abstemius, neque alia deinceps unquam tentatus fuit ægritudine. Adhuc vivit, extremo potius senio, quam morbo pene confectus.

A ℞. *Mell. comm. unc. iv.*, *sal. comm. unc. ss.*, *aq. tetutian. q. s. m. pro clyst.*, *ut m.*

B ℞. *Rad. peon. contus. dragm. ij*, *ligni saxaf. drag. j*, *cinnam. opt. scrup. i*, *salviæ fol. iv*, *aut v.*, *aq. comm. q. s. m.*, *f. inf.*, *& macer.*, *& decocl. S. A. . . Adde carn. pulli*, *ac panis tritic. opt. q. s.*,

q. s., bull., f. juscul. tenue blande dilutum, adde bord. mund. & elix., sem. melon. ana. unc. j. Col., f. f. expres. S. A. in emulsion. usum, in qua ovi recent. vitell. solv. in refection. quotid., ut m. sumend.

C ℞. *Folior. sen. orien. mund. unc. ss; crem. tart. dragm. ij., aquæ comm. q.s. m., f. inf. S.A., in qua solv. mann. elect. unc. ij., colet, & adde syrup. rosat. solut. aur. unc. iij. pro potion. solut. diluculo, ut m. sumend., cui per vices abunde superb., aut aq. nucerian., aut aq. optim. simplicem comm. aut borde. aut jusculum modice salitum.*

D ℞. *Succin. alb. præp. dragm. ss., conf. alKerm. q. s., m. ref. b. sum., ut supra.*

E ℞. *Sars. parill. opt. S. A. incis. dragm. ij., glycirrhizæ. contus. dragm. j., cinnam. opt. scrup. j, aq. comm. lib. j. M., f. inf., & macer. cin. calid. S. A., levit. bull., colet., & cap. quotid. in A. per dies* 40.

Item ℞. *Sars. parill. opt. S. A. incis. unc. ss., liquir. contus. dragm. ij., lign. saxaf. dragm. j., cinnam opt. dragm. ss., aq. comm. lib. iv. M., f. inf., & mac. S. A. cin. calid., levit. bull., colet. pro potu quotidiano.*

F ℞. *Rhabarb. elect. in pulv. redact. scrup. j., salis tart. scrup. ss., conf. hyacinth. q. s. m., ref. b. S. A., sumend. in A. statim ante decoct. præscript. sars. parill.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quo pacto lympha, sive serum, quod colligitur in cerebri ventriculis, exuberans, apoplexiam facere potuit.

PRO causa veram inducente apoplexiam, unanimi fere consensu in id unum collimare videntur, tum Veteres, tum Recentiores, ut cerebri, nervorumque pravitatem, sive proluviem, ac denegatum ad organa spirituum animalium influxum incusent; quod explicare consueverunt Veteres: & per humores pituitosos, eosque crassos, qui in ventriculis cerebri, aut exuberant, aut concrescunt: & per vapores quandoque, qui a partibus infernis exaltantur, & quasi sublimati cerebrum conscendunt. An tamen cerebrum vaporibus potius eo in casu lædatur, quam nervis, qui in cæteris partibus læsi, ex consortio cerebrum ipsum afficiunt, id iis plane judicandum relinquimus, qui res ejusmodi valde dubias, atque incertas, quinimmo & ex nostra sententia prorsus inextricabiles, extricare adhuc contendunt. Dicimus tantum ratione pituitæ, quæ, penes Veteres, apoplexiam nonnumquam producere valet, id pluribus ex causis fieri posse; & præsertim ob eam lympham, de qua in capitibus superioribus, cerebri partes intus explorantes, verba faciebamus; ob eam nimirum, quæ in cerebri ventriculis colligitur, ut inde ex vulva ejusdem cerebri per infundibulum deferatur in glandulam pituitariam, a qua ex ductibus nonnullis aquosis in utroque latere sane conspicuis deducitur in venas jugulares. Hæc quippe, tubulis prædictis aquosis aliqua ex causa sive obstructis, sive obnixe compressis, quum libere delabi nequeat ad cor, evenire potest, ut redundans in iisdem ventriculis exuberet in cerebro; ubi cumulata, substantiam infarciat corporis callosi, præcludat spirituum animalium a glandulis corticalibus in nervos influxum; quo intercepto, nil mirum si apoplexia succedat; videlicet si apoplectice syderata ex nimio in cerebro collecto sero, sive pituitosa colluvie, evadant organa.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Sanguinis copia, tametsi apoplexiam facere possit, difficile tamen credimus, ut ex ea mors repentina succedat.

QUam sæpissime occurrit, ut qui sanguine nimio scatent, quique plethorici proprie nuncupantur, optime quantumvis se semper habuisse senserint, repente tamen moriantur. Eos fortis apoplexiæ ictu correptos decessisse vulgo creditur. Id nos pluribus observationibus edocti erroneum plane ducimus; quoties enim corpus humanum ex improviso ita extinctum, & Florentiæ, & Perusiæ, necnon etiam in Urbe sectum introspeximus, toties mortem repentinam ob sanguinem, tubulis sanguiferis intus ruptis, & præsertim in thorace effusum, successisse observavimus. Quæ res, ut valde sane dubitemus, effecit, num quemquam illico vera apoplexia, fortissima licet, penitus unquam extinxerit. Non est tamen, quod inficias eamus, ob sanguinis copiam apoplecticos passim quoque fieri; siquidem sanguis in vasis exuberans apoplexiam, uti ante jam diximus, facere quandoque valet; quo in casu remedio præsenti est phlebotomia eumdem sanguinem imminuere. Perquamdifficile tamen existimamus, talem compressionem eo unquam devenire potuisse, ut confestim apoplecticum abstulerit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit apoplexia, quæ dicitur imperfecta.

VEteribus apoplexiam distinguere placuit in *fortem*, & *debilem*. Fortem dixerunt apoplexiam, quæ in gradu est intensissimo, quæ propterea morbus perquam acutus haberi debet, qui celerrime apoplecticum de medio tollit. Debilem appellabant apoplexiam, quæ mitior est, in qua videlicet sensus, & motus non omnino deletur. Hæc *imperfecta* a nonnullis proprie nuncupatur, quam in paralysin tandem cessisse plerumque vidimus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quibus in casibus missio sanguinis apoplecticis noxam inferre potest.

APoplexiæ discutiendæ, tum maxime, quum aut apoplecticus sanguine scateat, aut fluxus sanguinis critice excernendos non ita pridem suppressos, insequuta sit; venam statim solvere, præsens, uti diximus, solet esse remedium. Attamen non inficior, nonnullos longe citius, vena secta interfectos fuisse apoplexia correptos, quibus aut nimia ciborum repletio, aut cruditatis plurimæ quædam congestæ reliquiæ stomachum, æque ac intestina pergravabant, aut cachectici apoplexiam patiebantur; quo in casu emetica potius, & purgationes principio commendamus, necnon etiam pulveris usum cornachini, quem autem nequaquam apoplecticis vino, utpote quod noxam iis plurimam semper intulisse hactenus nobis constet, sed potius, aut aquis, aut decoctionibus cephalicis ea, quæ, tum ætati, tum temperamento, tum ægrotantis viribus conveniens est dosis, infusum propinare consuevimus. Pulvis ejusmodi conficitur antimonio diaphoretico, scammoneo præparato, ac tartaro ex vino albo elicito. Dosis ejus varia est. Verum tuto, ac blande nos ita pulverem præfatum non semel præbuimus, idque ad mentem Joseph Donzelli, qui de ea compositione verba fecit in Theatro pharmaceutico.

℞. *Antimon.* prout docet Auctor, *præp.*, *scammon.*, *crem. tartar. ana scrup. i.*, *iuscul. insulf. q. s. M. solv. S. A.*, *& cap.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quibus in casibus fortiora remedia apoplecticis extrinsecus adhibenda sunt.

QUibus in apoplexia sanguinem eduxisse, aut non profecerit, aut non conveniens visum sit, vesicantia, item & sinapismata procul ab omni cunctatione adhibenda videntur; quæ tum cutem extrinsecus vellicando, tum effluvia acria, ac volatiliora intus immittendo, nervorum fibras acriter afficiunt, easque commovent, humores concretos solvunt, aliosque plurimos præstare valent optimos effectus; qui neminem, nisi quis in Praxi medica sponte cæcutire velit sua, fugere deberent; quinimmo & in extremis, quum necessitas id exigat, ad apoplecticum vehementer syderatum, ac alte, ut ita dicam, consopitum, excitandum, tegumenta, in cervice præsertim, ferro candenti inurere, non improbamus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quæ graviter olent, graviter quandoque apoplecticos lædunt.

SPiritibus vel instaurandis, resocillandisque, vel potius provocandis frequentissime in apoplecticis utuntur clinici rebus quibusdam volatilioribus, ac iis præsertim, quæ naribus admotæ eas acriter feriunt. Ejusmodi sunt spiritus corn. cerv., sal ammoniac., fuligin., ole. succin., & reliqua, quæ graviter olentia, olfactus organa impense movent; in quo tamen caute incedendum, ne talibus præsidiis adeo redolentibus cerebri facultates lædamus potius, quam recreemus: Hoc de balsamis itidem sive naturalibus, sive artificialibus in eumdem finem paratis monuisse juvabit; quæ fœminis præ cæteris hystericis, necnon etiam maribus hypochondriacis apoplexia laborantibus noxam plurimam semper intulisse, pluribus observationibus edocti, jamdiu conjecimus.

CAPUT V.

De Paralysi.

QUamsæpissime in Praxi medica evenire constat, ut corpus humanum adhuc vivens, vel ubique, vel quibusdam tantum in partibus, aut motum, aut sensum, aut utrumque deperdat, procul tamen a læsione principum facultatum. Quo in casu *paralysi* laborare dicitur, sive *nervorum resolutione*; quæ profecto, utpote quæ apoplexiæ species est, ab ea non differt, nisi quod in gradu sit minori, quum in apoplexia vel ipsæ facultates principes, ut ante jam diximus, lædantur. Hinc paralysin recte describere possumus, *abolitionem esse, non semper tamen repentinam, aut sensus, aut motus, aut utriusque, quin principes facultates lædantur.* Distinguitur in *veram*, *notham*, sive *spuriam*, & in eam paralysin, quæ *stupor*, sive *stupiditas* proprie nuncupatur. Vera dicitur, ubi sensus, una & motus in partibus affectis omnino delentur. Spuria, aut notha vocatur, quum aut sensus, aut motus deficiat. Stupor denique appellatur, quum partes ad paralysin disponuntur, Definitio.

prævia sensus, aut motus, vel utriusque difficultate, sive obtusa quadam, ut ita dicam, læsione. Quo fit, ut apoplexia nervos, item & cerebrum afficere debeat in gradu maximo, in minori paralysis, in minimo stupor; stupor quamvis transire facile queat in paralysin, ac paralysis in veram apoplexiam.

Diagnosis. Signa, quæ paralysin membris jam inesse indicant, ex ante jam dictis desumenda sunt. Paralysin autem imminere ea propemodum præcinunt, quæ insequuntur: videlicet paralysi quamprimum is corripi solet, cui procul ab omni extrinseca occasione, aut prurire incipiunt carnes, pene ac si innumeræ per eas infestæ latitantes incederent formicæ, atque hinc inde discurrerent, aut torpere in membris facultates sensui, & motui inservientes, aut oculi cæcutire, vel caligine quadam suffundi, aut auditus graviter obtundi, tum maxime, quum præter ea, vertigine quoque tentetur. Verum, ne idem frequenter vel ad nauseam repetamus, ea omnia indicia, quæ in capite superiori, ratione imminentis apoplexiæ, consideranda proposuimus, hæc eadem hic perpendenda veniunt, quum paralysis, uti innuimus, nil aliud, quam minor apoplexia videatur.

Causa. Easdem fere causas paralysi adscribendas ducimus, quas apoplexiæ superius adscripsimus. Dicimus *easdem* fere *causas*, quum in apoplexia præter nervos, item & cerebrum lædatur, necesse sit. In paralysi autem læduntur nervi, quin cerebrum lædatur, ea saltem cerebri pars peculiaris, qua mens humana in corpore humano, cui tamquam forma incorporea intime unitur, suis præcipuis muneribus obeundis; utpote quæ rationalis, utitur. Universis igitur nervis, aut obstructis, aut compressis, sive obstructo, aut compresso in medulla cerebri oblongata nervorum principio, qui ad reliquas corporis partes dirimuntur, vera tum succedere debet paralysis; eoquod impotentes evaderent musculi ratione motus organici, qui per eos produci deberet; obstupescerent membranæ ratione sensus, qui aut in ipsis, aut saltem per ipsas excitari autumamus. Sin autem soli aut obstruantur, aut comprimantur nervi, qui in musculos tendunt, aliis plane illæsis, qui in membranas sensuum distribuuntur, paralysis, quæ inde succederet, esse deberet notha, sive spuria, quoniam artus paralysi correpti, sublata quamvis facultate motus edendi, varias nihilominus objectorum sensibilium actiones exciperent, easque in sensorium commune deferrent, & viceversa. Ex quo patet, paralysin sive notham, sive veram fieri modo posse in artubus universis corporis humani vitam habentis, modo in aliquibus solis; ideoque paralysis vera, item & spuria dividitur iterum in *universalem*, & *particularem*. Universalis est, quæ per artus universos effunditur. Particularis, quæ hos, atque illos seorsim invadit. In quo id maxime adnotare juvat, paralysin particularem *hemiplegiam*, sive *hemiplexiam* proprie dici, quum totius humani corporis viventis alterutram tantum partem sive dexteram, sive sinistram corripuerit.

Prognosis. De genere chronicorum haberi debet paralysis, & præcipue quum sit vera, atque in artubus universalis, eo quippe in casu ad menses, & annos plures pro-

producitur, antequam paralyticum interimat; qui vehementi apoplexia tandem correptus utplurimum decedere solet. Perfectam paralysin, idest veram curatu longe difficiliorem fore semper cognovimus, quam notham, tum potissimum, quum apoplexiam insequuta sit. Non ita tamen, quæ a labe provenerit, aut celtica, aut scorbutica, vel a doloribus colicis, vel etiam ab ebrietate; hæc siquidem longe facilius cedit. In Senibus discuti vix unquam potuit. Cum atrophia pene insolubilis. Contumacissima, ubi pars resoluta tactui vel extrinsecus frigeat, non secus ac ubi vel imminutos in paralytico sese perhibeant oculi, aut vires plurimum langueant, aut capitis supervenerit dolor, aut vertiginibus obnoxius evaserit æger, tum maxime, quum fæces, item & urina, resoluto ani, ac vesicæ sphinctere, cohiberi nequaquam possunt, ne proprio quasi delapsæ pondere, sponte, ut ita dicam, sua, egerantur. Solvitur interdum febre superveniente ardentissima, vel diarrhœa critica. Contra effertur æger quum succedat, uti innuimus, apoplexia, aut sudores colliquantes, aut tremores convulsivi; qui plerumque suscitantur ab humoribus pravis, acribus, atque erodentibus, qui nervorum, & membranarum vellicant fibras.

Curatio. Paralysi evincendæ, ea propemodum adhibenda sunt, quæ de resolvenda apoplexia ante jam innuimus. Aer igitur consert temperatus, serenus, qui, quum tempestas id requirat, luculentis quoque ignibus exagitetur, necnon etiam odoratis suffitibus, & cephalicis præcipue immutetur; udus quippe, crassus, & frigidus, utpote qui nervoso generi semper infensus, paralysi potius fovendæ non impar censetur, quem propterea *narcoticum* non injuria appellare consuevit Helmontius. Victus tamen humidus esse debet, perquam, tenuis, optimi succi, concoctuque facilis. Vinum plurimum sane nocebit &c. Ut vero morbosa colluvies, si adsit, a stomacho, æque ac ab intestinis quamprimum egeratur, uti debemus purgantibus, item & quandoque emeticis, lenioribus tamen, quæ blande moveant; ea quippe vel in affectionibus ejusmodi fortioribus præferenda esse ex usu quotidiano pene semper didicimus. Alvo nonnisi purgatione, clysteribus saltem, extersa, ad sanguinis missionem transeundum ducimus, quem large in plethoricis præsertim educi convenit, ut & ubi nervorum resolutionem sanguinis per loca consueta excernendi intempestiva suppressio, aut alia qualiscumque imminutio præcesserit; nam hisce potissimum in casibus venæ sectionem opportune factam plurimum quamsæpissime processisse, diutina experientia edocti, quicquid inveterata Priscorum reclamitare unquam potuerit consuetudo, sine ulla dubitatione proferre aggredimur. His ita præmissis, propinare convenit alterantia specifica, nervina, ac blande resolventia, item & humectantia; humectando etenim facilius, quam exiccando, nervorum obstructiones, contumacissimæ quantumvis, ex nostra sententia, pluribus porro ex causis, de quibus infra, resolvuntur. Vesicantia, setacea, & cauteria ad excitandas in partibus paralyticis facultates jam consopitas magni facit præ cæteris Sylvius, quæque nos haud impro-

probamus; quinimmo plurimum prodesse autumamus, iis saltem, quos, postquam ulcus inveteratum saniem consuetam non amplius excreverit, paralysis invaserit. Hæc tamen nequaquam in parte affecta, quæ ex denegato spirituum animalium per nervos influxu, facile contabesceret, ac superveniente gangræna vel omnino emori posset, aperienda videntur.

Historia I I.

Quicquid, paralysi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

LYsander ætatis annorum quadraginta circiter, temperamenti calidi, & sicci, biliosi videlicet, modicæ staturæ, optime constitutus, ac bene valens. Vir probus, atque ingenuus, litteris, bonisque artibus ab ineunte ætate alacriter vacans, mense Octobri, variis, quibus inopinato obnoxius fuerat, infortuniis vehementer commotus, de molesto quodam intus in latere capitis dextero aurium tinnitu conqueri cœpit, qui, fluxu hæmorrhoidali non ita pridem suppresso, ei repente supervenerat. Non multum post, quum per amœna relaxandi animi causa spatiaretur, levi quadam vertigine tactus torporem in brachio, ac crure sinistro subinde percepit, quem propediem, musculis plane resolutis, in veram paralysin cessisse cognovimus; adeo ut in regione sinistra sine motu languerent artus; qui præterea acriter quantumvis tentati, vix ullum, vel hebetis sensus excipiebant vestigium. A febre prorsus immunis erat. Attamen clystere prius injecto, sanguis ad libram circiter, vena in brachio lateris oppositi non infecti illico soluta, ut emitteretur, effecimus, neque prorsus incassum; siquidem uno, eodemque tempore, quo prosilire cœpit sanguis, sensum antea, motum subinde in parte affecta rediisse observavimus. Enim vero brevi sensus in pristinum restitutus fuit, motus tamen languens adhuc, imbecillis, ac, pene dicam, enervis perstiterat. Hinc alvo postridie cœnematis ope iterum extersa, alteram sanguinis libram ex vasis infernis hirudinibus educi curavimus. Interim, ut fluidorum motus in partibus extimis, quæ nonnihil algebant, revocaretur, sinapismatibus pedum plantæ admotis, ut cutis universa quoque defricaretur, atque cucurbitulis ubique apprehensa, ut hinc inde valide distraheretur, non semel præcepimus; quo factum tandem est, ut calore partibus singulis restituto longe melius se habere Lysander fateretur. Nihilominus, quia musculorum facultas, in crure præsertim, adhuc torpens, nondum bene redierat, potionem hanc A purgantem, alvo, quæ diu jam antea adstricta fuerat, leniter solvendæ præscripsimus; cui superbibit maximam aquæ copiam ex levi sarsæ parillæ infusione alteratam. Victus interim, æque ac reliquarum rerum ad diætam spectantium, ratione in omnibus exacte servata, a vino penitus per dies quadraginta sese abstinuit; neque aliud hauriebat, quam aquam alternis modo simplicem, modo ex corticibus citri, modo ex prædicta sarsæ parillæ infusione cum glycirrhiza, ac cinnamomo, ea, qua sequitur ratione B, paratam. In Aurora decoctionem cephalicam, & aliquantulum solventem C in sero caprino, ut infra, confectam, quæ bis, aut ter die alvum blande concitare consueverat, ei quotidie præbuimus, eousque, dum in

in dies optime tandem convaluisse nobis innotuit. Intra mensem is profecto ita tractatus optime convaluit, neque ulterius, quantum scimus, paralysis eum unquam invasit.

A ℞. *Rhabarb. elect. dragm. j., tart. Bonon. dragm. ij., aq. comm. unc. ij. m., f. inf., & mac. S. A., colet. & adde mell. Hisp. unc. j., cap. in A., cui superb. ser. capr. rec. per vic. lib. i., inde aquæ infus. sars. parill. parat., ut m.*

B ℞. *Sars. parill. opt. S. A. incis. unc. ss., glycirrhiz. contus. dragm. ii., cinnam. opt. dragm. j., aq. comm. lib. iv. m. f. inf., & macer. S. A. cin. calid. per hor. xij., Col. pro potu quotidiano, ut m.*

C ℞. *Lign. aloes dragm. ss., rhabarb. elect. scrup. j. lign. saxaf. dragm. j., cinnam. opt. scrup. j., aq. comm. q. s., m. f. infus., & mac. S. A. colet., & adde mell. Hisp. unc. j., succin. alb. præp. scrup. j. cap. quot. in A. per dies xxxx., cui horæ spatio interposito, superb. lib. i. ser. capril. recent. depurat., per infus. cort. citr. S. A. alterati.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Discrimen inter Auctores, qui paralysin hactenus descripserunt.

PRivatio motus, uti Galenus docet, sola veram constituit paralysin, ab Areteo neutiquam discrepans; qui, ita ut sequitur, paralysin descripsit. *Paralysis autem motus tantum omnino est, actionisque defectio.* Idem propemodum, qui de Paralysi egerunt Medici omnes antiquiores, nobis tradiderunt; tametsi Recentiores plerique, veluti paralysin imperfectam, solam motus in organis privationem designent. Hinc talis, & tanta ea in re exorta est inde perturbatio, sive confusio; ex qua sese ut eriperet ad antiquos reversus Boerahavius, paralysin describendo, scriptum ita porro nobis reliquit. *Paralysis vocatur musculi laxa immobilitas nullo nixu voluntatis, vel vitæ superanda; sensus aliquando simul absolute perit; aliquando levis cum stupore, sensuque quasi punctorio levi, superest*, quibus verbis nequaquam distat a Francisco Deleboe Sylvio; qui ita ferme concludit, *animalis motus symptoma proprie esse paralysin*. Adsunt alii, inter quos Thomas Willisius, qui ut paralysin exponerent, privationem fore *motus, & sensus discrete* protulerunt. *Motus* videlicet, vel *sensus*; nobis autem, ut res luculentior evaderet, quum in limine singulorum capitum, de vocibus potius, quam de rebus agendum suscepimus, paralysin describere, eamque distinguere, ut jam fecimus, placuit. Copiam interim cuique facientibus, ut aliorum definitionem, huic nostræ præferant; modo voces, eodem sensu, quem eis semel infixit, deinceps semper usurpet.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Ut per musculos fiunt motus in corpore humano vitam habente, ita & per membranas sensus.

RECens inter animalium Sectores non ita pridem insurrexit opinio, quemadmodum organorum motus per musculos, tamquam per sua peculiaria instrumenta in corpore humano absolvitur, ita sensum unice per membranas, quæ partes sentientes vestiunt, elici; adeo ut si fibræ ex. gr. musculorum motrices sensus quoque participes deprehendantur, id fieri sibi suadent nonnulli, ope illius perquamtenuis, qua vestiuntur membranula. Horum sententia pluribus sane de causis omnino improbanda non videtur, & præcipue, quia in

in paralysi, raro admodum licet, contingat, ut membra syderata, motu superstite, sensum prorsus amittant, nihilosecius evenisse quamsæpissime constat, ut motu plane quamvis deleto, acriter tamen sentiant, etiamsi leviter vel extrinsecus tentantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Describuntur facultates principes mentis humanæ.

PRincipes hominis facultates, ex Veteribus, tres sunt: *ratiocinium, imaginatio, memoria*. Facultates præfatæ principes non injuria dicuntur, eoquod maxima saltem ex parte ab anima proveniant incorporea, quæ est forma in homine præstantissima, cujus causa præ cæteris universis animalibus adeo præcellit homo, ut ad Angelorum naturam, ratione mentis, utpote quæ materiæ prorsus expers est, proxime accedat. Ratiocinium quippe, imaginatio, æque ac memoria requirunt in homine cogitationem quamdam rationalem; quæ, uti in methaphysicis demonstravimus, educi nequaquam potest ab organis pure materialibus. Quamobrem optime tradiderunt Majores, nil aliud esse ratiocinium, quam *animæ actionem, qua cogitat homo percipit, judicat, ratiocinatur*; immaginationem nil aliud esse, nisi *actionem mentis ejusdem, qua species percipimus, easque discernimus, sive potius educimus ex objectis sensibilibus, quæ per organa sensuum ad cerebrum deferuntur*; nil aliud esse memoriam, quam *actionem mentis, sive animæ, qua exceptas rerum species sive materialium, sive spiritalium, retinet, sibique servat*. Quia tamen de omnibus iis in alio tractatu fuse egimus, nil aliud hic recensere juvat, nisi quod ad animam rationalem quamvis spectet magis ratiocinium, quam aliæ facultates, & quamvis ratiocinium plane videatur spiritale, atque incorporeum, attamen ob unionem, ut ita dicam, arctissimam, qua prædicta anima rationalis organa informat corporis humani viventis, ea quoque agit, homine vivente, per organa vel in cogitationibus, atque in ratiociniis suis purissimis, &, ut ita dicam, a materia defœcatissimis; secus enim res meditando prorsus incorporeas, neque absumerentur spiritus corporei, neque caput langueret, neque vires extenuarentur, neque universum contabesceret corpus, uti tamen quotidie evenire observamus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Hypocausta, vaporaria, thermas, & reliqua, quæ sudorem uberrimum eliciunt, in resolvenda paralysi utplurimum improbamus.

SUnt qui in paralysi resolvenda hypocausta, vaporaria, thermas, vinacea, & reliqua hujusmodi, quæ, quoniam extrinsecus adhibita sudores uberrimos eliciendo exiccant, *exiccantia* nuncupantur, admodum commendare solent. Ea, etsi corporibus pinguibus, ac pituitosis paralysi correptis profuisse quandoque comperimus, cæteris tamen pene omnibus noxam utplurimum intulisse, longo usu edocti, cognovimus; eoquod, ni fallor, tenujoribus, ac volatilioribus sudore evaporatis lymphæ particulis, fluidorum compages, magis, magisque concreverit, ac propterea nervorum obstructiones contumaciores evaserint. Hinc lon-

longe magis idonea ex eodem usu balnea censemus aquæ dulcis modice tepentia, quæ sudores minime moveant, quin potius urinas; iis maxime, qui paralysin aut vinolentia contraxerint, aut insolatione, aut alia quavis de causa, quæ lympham perquam tenuem, ac pene dicam, sanguinis vitalem in visceribus aut exhausit, aut compressit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid proprie importet id nominis medicamentum.

QUandoquidem Praxis medica pene omnis in eligendis, dignoscendis, atque recte adhibendis medicamentis versatur, quicquid unquam in sensu medico revera importet id nominis *medicamentum*, antequam ulterius incedamus non alienum erit, paucis saltem exponere. Medicamentum vox est admodum ambigua, quam modo laxe nimis usurpare consueverunt Scriptores, modo nimis stricte, modo vero media quadam, ut ita dicam, significatione. Sensu latissimo usurpatur pro rebus universis, quæ nostram alterare queunt naturam; sive potius œconomiam animalem corporis humani vitam habentis immutare. Quamobrem eo sensu venena quoque a nonnullis medicamenta dicuntur. Sensu strictissimo denotat purgantia tum per superiora, tum per inferiora; idque vulgo, nostris saltem temporibus passim, occurrit. Sensu intermedio designare solet quicquid in corpore humano vivente, aut prosperam sanitatem conservare, aut afflictam restaurare valet; quo sensu nuncupatur quoque *auxilium*, *remedium*, *indicatum &c.* & vel ipsa alimenta in eo sensu dici deberent medicamentum. Nos autem hic sub nomine medicamenti tantum intelligimus quicquid corpus humanum vivens alterare ita potest, ut a statu præternaturali ad naturalem revertatur. Quocirca per hanc definitionem medicamentum distinguitur tum ab alimentis, tum a venenis. Ab alimentis, quatenus hæc neutiquam alterare soleant, sed tantum restaurare, reficere, necnon etiam quandoque augere. A venenis, quatenus neque alit venenum, neque alterat, sed vim habet destruendi, corrumpendi, atque evertendi corporis humani viventis facultates universas, universas actiones, idest universam œconomiam animalem. Medicamenta sub hac significatione accepta distinguuntur in simplicia, & composita. Simplicibus simplicissime curabant Majores, quibus id potissimum medicinæ primordiis, uti ex Veteribus scriptoribus accepimus, solemne fuit. Verum enim vero, quoniam simplicia cruda, vel solida non facile deglutiri queunt, orta inde est medicamentorum digestio quædam, ac præparatio, quæ conficitur, sive in pulverem redigendo, sive decoquendo, sive infundendo, ac varie res medicas condiendo. Hinc medicatos postmodum habuimus pulveres, medicatas decoctiones, medicatas infusiones, medicatos syrupos, medicatas conservas, confectiones &c; quinimmo, eoquod sola quandoque medicamenta indicationibus universis plane satisfacere nequiverint, atque ægrotantibus nauseabunda nimis fuerint, adinvicem permisceri cœperunt; quamobrem ex simplicibus varia medicamenta composita extiterunt.

Et,

Et, ut recte componerentur, certa quædam excogitata fuit lex, sive ratio; quæ, ut medicamentorum compositionem in certam quasi redegerint àrtem, quam clinici methodum præscribendi formulas nuncupabant, effecit.

Varia medicamentorum classes.

Varia sunt medicamentorum genera tum simplicia, tum composita, quæ promiscue distribuuntur in alterantia, in purgantia, in emetica, vel vomitoria, in urinas cientia, vel diuretica, in sudores elicientia, vel diaphoretica, in alexipharmaca, in anodyna, narcotica &c. Alterantia sunt, quæ nullam licet excretionem sensibilem inducant, fluidorum tamen qualitates immutare valent. Purgantia sunt, quæ per alvum movere solent recrementa; quæque proprie nuncupantur *evacuantia*. Leniora, quæ solas fæces crassiores ex intestinis educunt, dicuntur lenientia, sive *eccoprotica*. Fortiora, quæ præter fæces, reliquos quoque egerunt per alvum humores, *cathartica* nuncupantur. Alexipharmaca dicuntur ea alterantia, quæ veneno resistunt, & præsertim intus genito. Anodynum nomen genericum est, tria quippe denotat medicamentorum genera; quæ dolorem, aut subducunt, aut saltem leniunt. Paregorica, Hypnotica, Narcotica. Paregorica sunt, quæ causa superstite, dolorem leniendo demulcent. Hypnotica, quæ, sopore conciliato, dolorem obruunt. Narcotica, quæ, in partem affectam stupore inducto, & sentiendi facultate adempta, dolorem obtundunt. Hæc porro medicamenta Nepenthes quoque dicta sunt, quasi ac *sine luctu* dicas, iisque propterea exhilarandi virtutem tribuunt. Inter narcotica præ cæteris sese objiciunt opiata, de quibus suo loco fuse dicendum. Anodyna insuper aut strictiori, aut latiori sensu usurpantur. Latiori sensu anodyna dicuntur quæcumque, ablata causa dolorem auferunt; quo in sensu, ferrum, caustica, & vel ipse actualis ignis aliquo in casu inter anodyna connumerari possunt. Ex triplici regno, ut cum vulgo loquar, in genere desumuntur medicamenta; ex regno nimirum minerali, ex regno vegetabili, & ex regno animali: ex fodinis videlicet, uti lapides, salia naturalia, bolus &c.: ex plantis, uti folia, flores, fructus, radices, eorumque succi &c.: ex rebus animatis, uti ungues, cornua, pili, ossa, sanguis, adeps, eorumque universa recrementa &c.

CAPUT VI.

De Vertigine.

A *Vertendo*, sive a *vertice* dicitur vertigo, affectio nimirum, qua correptis non modo objecta omnia exteriora, verum etiam membra corporis ipsa vitio quodam cerebri, sive spirituum animalium, specie quadam vertiginis rapidissimæ, circumire videntur. Hanc describere, neque perperam, consueverunt Majores, *falsam esse circumgrationis, aut conversionis imaginem, sive potius sensum, qui elicitur in cerebro ægrotantis ab inordinato, & circulari quodam spirituum animalium motu*. Enim vero objecta quoties aut vere, aut falso in gyrum circa nos converti deprehenduntur, toties, uti ex physicis habemus, excitari debet in cerebro, non procul a sensorio communi, motus quidam circularis humoris alicujus, qui idem sensorium commune in gyrum, ut ita dicam, afficiat. Triplicem extare vertiginis speciem, expe- Definitio.

experientia innixi, passim tradunt Scriptores: *simplicem* nempe, *tenebricosam*, quam *scotomiam* appellant, & *caducam*. Simplex dicitur, *quum corpus, atque exteriora circumire tantummodo videantur*. Nuncupatur tenebricosa, sive scotomia, quum *oculi, affusa veluti caligine, in ipsa circumgratione obiectorum ita deobscurentur, ut visus vel omnino deficiat, vel admodum saltem imminuatur*. Ubi autem vertigo ita invalescat, ut *viribus plane solutis, aut corruat æger, aut ne concidat, adminiculis arreptis prætermodum languens sese substineat*, eam tunc caducam vocamus. Præterea modo dicitur per essentiam, sive *idiopatica*, modo per consensum, sive *sympathica*. Per essentiam tum fit, quum causa lædens cerebro inhærens, cerebri partes proxime afficit. Per consensum tum exoritur, quum cerebrum afficitur ex consortio sive stomachi, sive intestinorum, sive mesenterii, aliorumque viscerum; in quibus causa lædens proxime plexus, aut fibras nervorum irritando, per nervos irritatos, & organa cerebri concutit.

Diagnosis. Tum vertigo, tum genus, quo tentatur, vertiginis, ab effectibus, quos patitur is, qui tali morbo obnoxius est, facile dignoscitur. Non adeo tamen ex facili conjicere quisque poterit, an per essentiam, an per consensum extiterit. Verumtamen si capitis dolor, si gravedo, si stupor mentis, si obtusio quædam repens olfactus organa, æque ac gustus hebetet, si aurium excitetur tinnitus, si citra manifestum ullum cæterarum partium læsionis indicium, præ oculis assurgens caligo oculorum aciem obnubilet, id vertiginem imminere, eamque per essentiam fore utplurimum prædicere solet. Sin autem per consensum fit, id prudens quisque tum inferre poterit a parte ipsa proxime affecta, sedulo, solerterque inquirens, an nauseabundus sit æger, an nisus habeat vomendi, an cardialgia vexetur, an permolesta quadam hypochondriorum inflatione, an torminibus &c. Sanguis quandoque exuberans vertiginem quoque inducit; quod quum evenire soleat in fœminis mensibus suppressis, in maribus adultis fluxu compresso ex hæmorrhoidibus, ante pubertatem ex naribus, id prænoscere possumus, num ejusmodi suppressiones vertiginem præcesserint, inquirendo.

Causa. Si quis mente revolvat quicquid in physicis exposuimus de vertigine, quæ iis, qui rapidissime in semetipsos aliquandiu sese pridem converterint, data opera, concitatur, sibi commode suadere is poterit, eum sensum, qui tum suscitatur rerum, quæ in gyrum falso circumire videntur, produci a motu quodam, quem in sensorio communi concitant vel spiritus animales, vel succus nerveus, vel alius quilibet idoneus humor, qui aut per centrum idem ovale, aut per vicinia in gyrum celerrime rapiatur. Quo posito, si unquam succederet, ut vitio aut cerebri, aut aliarum partium corporis humani viventis sive solidæ, sive fluidæ sint, si succederet, inquam, ut spiritus ex. gr. animales ita propemodum, uti monuimus, per substantiam cerebri interiorem in vorticem circumagantur, tum sensorium commune afficere, & alterare deberent, non secus ac revera si afficeretur, quum afficitur ab objectis sensilibus, quæ, dum in orbem ferme sese convertunt, movent organa sensus. Pone modo, ut compressis, ex hypothesi, vel obstructis meatibus nonnullis.

Po-

Pone, inquam, ut propterea spiritus animales influere libere nequeant per nervos ad partes; tum retrocedentes, & intus quasi coerciti ob motum maximum, maximamque, quam habent celeritatem, quum longe, lateque effundi libere nequeant, necesse est, ut in gyrum quodammodo per interiorem cerebri substantiam rapidissime convertantur. His ita præmissis, perquamfacile videtur tum intelligere, tum exponere, unde virium languor, oculorum obumbratio, & reliqua omnia symptomata, de quibus verba jam fecimus, in quolibet vertiginis genere, proveniant.

Prognosis. Vertiginem, quæ diu contumax fuerit, sive quæ periodice recurrit; insequi plerumque solet, aut apoplexia, aut epilepsia, aut mania, aut convulsio, quæ spasmodice viscera torqueat. Simplex longe minus habet periculi, quam tenebricosa, & multominus quam caduca, quæ omnium est pessima. Sympathica, modo recens sit, expers est periculi, & facile solvitur. In senibus, atque inveterata nullam propemodum curationem admittere quit. Si a sanguinis extet redundantia, spontanea sanguinis excretione statim discutitur. Si a ventriculo repleto, vomitus, qui sponte erumpat, mirifice proderit. Si ex intestinorum colluvie, alvi solutio eam confestim subducere valet.

Curatio. Ut vertigo, quæ sympathice ex aliarum partium læsione fit, recte curetur, partibus primario affectis opportune occurratur. Ut ea curetur, quæ idiopathice, vitio nimirum cerebri, oritur, distinguere prius oportet, num id vitium, quod in cerebro vertiginem facit, organis insideat solidis; num humoribus, qui per organa effunduntur. In genere tamen, ratione rerum, quæ vulgo nonnaturales dicuntur, aer serenus, temperatus, & purus, victus tenuis, humidus qui facile intus subigatur, vertigini curandæ plurimum semper contulisse, ex usu habuimus. Ab inedia tamen nimia, æque ac a nimia satietate caveat æger; utraque nempe vertiginem fovisse non semel deprehendimus. A vino sese abstineat; quod, experientia teste, ad ebrietatem præcipue epotum vertiginem frequentissime procreavit. Motus licet conveniat, blande, ac sine contentione fiat, quum capiti quies potius expediat. Vigiliæ diu protractæ, quam somnus nimius, longe majorem in vertigine noxam moliuntur. Alvus laxa sit oportet, quum digestionis recrementa, atque intestinorum sordes diutius, quam par est, intus coercitæ vertiginem quamsæpissime pepererint. Quemadmodum hilaritatem, ac animi pacati diutinam tranquillitatem solam quandoque affectiones hujusmodi, inveteratas quamvis, penitus extenuasse, percepimus, ita quoque vehementiores animi; æque ac mentis perturbationes eas fecisse, nonraro comperimus. Ratione pharmaciæ; & chirurgiæ, si adsit repletio, si oris amarities, si nausea, nisus vomendi, hypochondriorum anxietas, inflatio, borborygmi, & reliqua, quæ ventriculi, item & intestinorum aliquam saltem proluviem denotare solent, ea imprimis purgationibus elui debet, quæ tum per superiora, tum per inferiora leniter agant. In corporibus plethoricis, vel iis, in quibus sanguis per loca consueta excernendus, vertiginem, compressus fecerit, sanguinem statim educere conveniens est. Cæterum nervina, nar-

narcotica, & maxime camphorata, modo tamen lenia sint, commendamus, utpote quæ motus tumultuantes, atque spirituum excandescentiam blande compescant. Neque pulveres improbamus, qui cephalici nuncupantur, uti sunt cranii humani, ungulæ alcis, & reliqua, quæ nisi juvent, nocere saltem minime possunt. Neque contemnimus frictiones, fotus, & balnea, tum maxime, quum sudor intempestive coercitus vertiginem fecerit. Aquam dulcem, & præsertim nucerianam large haustam, ac in urinam abunde deinceps excretam, eoquod salia intus concreta solvat, diluatque, eam fluidorum, quæ nervos irritando, vertiginem quandoque induxit, acrimoniam sustulisse, usu nobis innotuit. Si capitis dolor, gravitas, mentis obtusio, torpor, & quicquid humores vel in cerebro, vel in partibus cerebro adnexis, aut concrescere, aut stagnare commonstret, vertiginem vel comitetur, vel præcedat, vel insequatur, tum hirudinibus partibus prius infernis, inde supernis, naribus nempe, sive ab auribus non procul appositis, aut cucurbitulis cervici, ac dorso infixis, venas secare expedit; quibus in casibus plurimum insuper contulisse scimus, & pediluvia, & sinapismata, necnon & ipsa vesicantia, coxis præsertim, cruribusque admota. Sunt qui præterea arteriotomiam, ac per arteriam sectam salium quorumdam volatilium insusionem, aureum veluti præsidium extollunt. Id quamvis Recentiores nonnulli ad extirpandam radicitus vertiginem maximi faciant, aut ne fiat unquam, aut ne saltem audacter fiat, Tyrones monitos volumus, ne eorum culpa vitæ periculum quamprimum Æger incurrat.

Historia III.

Quicquid, vertigini medendo præstare consuevimus historia declaramus.

THessala puella, decem & septem quæ vix attigerat ætatis annum, aspectu venusta, acris ingenio, item & elegans, succiplena, ac temperamento pollens, quod calidum, & humidum, sive sanguineum vulgo vocare potuerim, optime in omnibus constituta, inter varias tamen insuetas animi emotiones, quibus non ita pridem postquam Sisypho viro cuidam ingenuo nupserat, vehementer angebatur, mentis quodam stupore Mense Aprili obumbratur. Vertigine, quæ ter, & quater die ex intervallo procul ab omni lege recurrit, inde corripitur. Vertigo singulis paroxysmis ad horam circiter integram pene semper sese extendit. Oculis caligo in paroxysmi principio tenuis, distracta, atque admodum rara obversatur; quæ nihilominus paulatim, ac sensim adeo in progressu densatur, ut plane cecutiens ægra, ac viribus omnino destituta vel adminiculis innixa consistat, vel collapsa decumbat. Vocatus accedo, atque omnia sedulo explorans, sordes stomacho, æque ac intestinis plurimas inesse cognovi, sperans inde ut ea, quæ præfatam puellam invaserat vertigo, sympathica potius, quam idiopathica foret; eoque magis, quia alvus diu suppressa fuerat. Aderat nausea, atque oris amarities. Nidorem interdum eructabat. Torminibus identidem cruciabatur, necnon etiam impense sitiens urinas tenues, limpidas, ac plane crudas, sub finem

nem præsertim paroxysmi, abunde excernebat; quæ res, quum maximam mihi suspicionem fecerint, coctionis organa, uti ante jam diximus, recrementorum colluvie pergravari, effecerunt, ut enemate communi, quod alvum bis concitavit, prius indito, hauriendam inde potionem hanc A blande solventem præscripserim. Dies erat morbi tertia, ex quo Thessalam ægrotantem tractandam suscepimus; & sordes, quas, alvo arte soluta, uberrime egesserat, reliqua omnia licet symptomata pene discussissent, adhuc tamen mens torpebat, atque accessus vertiginosi, uti prius, in dies semper recurrebant. Quamobrem optima victus ratione, atque alterantibus, ut in B insequitur, humoribus opportune præparatis, eoquod plurimo scatere sanguine videretur, ut is tempestive imminueretur, vena in brachio secta, sanguinis libram circiter, ex nostra sententia emisit. In die morbi octava, mensium fluxu, qui numquam restiterat, exacto, successit; neque incassum, siquidem, & mens clarificari, & vertigo, quæ posthac longe mitior semper invasit, resolvi cœpit. Hinc quum venæ sectionem plurimum sane in curatione morbi processisse conjecimus, cute de more scarificata, ac cervici, dorsoque cucurbitulis appositis, aliam sanguinis quantitatem triduo post ad uncias octo circiter extraximus; quod sane quum itidem profuisset, & vires quum adhuc constarent, & quum pulsus febre licet semper immunis, adhuc tamen durus, sese non satis explicaret, ut opus tandem absolveretur, diebus aliis decem inde interpositis, ac pediluviis, una & sinapismatibus in dies alternatim adhibitis, saphena ex dextero pede soluta, sanguinem iterum imminuimus; qui ad alteram circiter libram eductus, effecit, ut menstrualis consueta repurgatio præmature, atque abunde excreta morbi reliquias deleverit.

Si quis modo quærat, an existimemus, vertiginem hanc ex consensu, an per essentiam exortam fuisse, ingenue fatemur id nos propemodum latere. Nihilosecius ex indiciis mixtam quodammodo eam extitisse, autumavimus. Animi quippe perturbationes nervorum genus primo, mox organa coctionibus affecisse credidimus. Hinc recrementa ex digestionibus pravis in visceribus congesta, & sanguis in vasis intus redundans, nil mirum si plexus in imo ventre mordicando, & meatus in cerebro identidem comprimendo, vertiginem præfatam per vices quotidie recurrentem pepererint. Quod autem meatus in cerebro redundante sanguine compressi vertiginem inducere queant, luculentissime patet ex ea vertiginis species, quam, data opera, toties excitare possumus, quoties venis jugularibus instita extrinsecus, vel leviter compressis, præstamus, ne sanguis carotidum, ac vertebralium per cerebri substantiam a sinistro cordis ventriculus prius effusus, libere per jugulares in dexterum remeare valeat. Neque dissimili ratione vertiginibus persæpe obnoxii evadunt ii, quibus, polypus cordi inhærens, ac in ramos distractus in truncum venæ cavæ ascendentis sese præsertim immiserit.

Cur vertigo jugularibus compressis quandoque excitetur.

A ℞. *Rhabarb. elect. dragm. i., salis. tart. scrup. ss., ser. caprill. lib. i. m. f. infus., & macerat. S. A., colet., & adde syrup. flor. borrag. unc. ij. cap. in A. ut m.*

B ℞.

℞. *Ligni Aloes dragm. ſſ., rad. peon., gramin., fragar. ana dragm. j., aq. commun. q. ſ. m. f. infuſ., & macerat. S. A. Bulliant., & adde flor. borrag., violar., primulaver. folior. pimpinel., capillor. Vener. ana pug. j., decoquant. S. A., colet., & adde ſyr. flor. borrag. uxc. j., cap. quotid. pro ſyrup. in A. ut m.*

Item ℞. *Aq. peon., ceraſ. nigror., matricar. ana. unc. j. m., & cap. quotid. hora circiter ante prandium, & ante cœnam, ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Veterum opinio per vapores vertiginem explicantium.

VErtiginem excitari opinabantur Veteres a vaporibus, ſive halitibus quibuſdam, qui aut in cerebro congregentur, aut ad cerebrum a partibus infernis provehantur. Quum in cerebro congregati vertiginem pariunt, tum eam idiopathice fore ſibi ſuadebant. Quum a partibus infernis ſublimati ac cerebrum conſcendentes, vertiginem cieant, tum ſympathicam eam extitiſſe affirmabant. Non deſunt inter Recentiores, qui vapores, atque halitus hujuſmodi, tamquam res omnino commentitias contemnendo, irrideant. Nos autem non inficias ibimus, portionem quamdam humoris in fermentationibus extenuatam, atque in vapores diſtractam, cerebrum lædere, item & mentem obumbrare quodammodo poſſe, rationi licet longe magis conſonum ducamus, anatome præſertim inſtructi, vertigini cauſam exponere, non ſecus ac in capite ſuperiori expoſuimus. Idque pluribus ſane ex cauſis, de quibus & ante jam diximus, & deinceps dicturi ſumus.

CAPUT VII.

De Convulſione, & ſpaſmo.

COnvulſio a *convellendo*, & *ſpaſmus* a *contrahendo* dicitur, eoquod hiſce in affectibus muſculorum principium, & finis in unum quaſi convelli, contrahique videantur. A convulſione penes Recentiores nonnullos differt ſpaſmus, quatenus ſpaſmus fit cum dolore partis affectæ, convulſio ſine; adeo ut dici poſſit, *convulſionem eſſe muſculorum contractionem involuntariam, firmam ſine dolore, & ſpaſmum cum dolore. Firmam* dicimus, ut utramque affectionem a tremoribus, ſive a motibus convulſivis, aut ſpaſmodicis diſtinguamus, in quibus muſculorum contractio inter antagoniſtas, hoc eſt inter muſculos contranitentes, alternatur. Definitio.

Variæ in Praxi medica ſpecies, variique gradus convulſionis occurrunt; convulſio enim ita quandoque per artus, ac per parietes univerſos corporis humani vitam habentis effunditur, ut membra corporis præfati maximam ſibi nacta rigiditatem idem corpus quaquaverſum coextendant, ejuſque molem undique rigidam, atque inflexibilem faciant. Quo in caſu *tetanos* convulſio nominatur. Modo autem muſculorum contractio talis eſt, ut corpus humanum vivens antrorſum incurvetur. Modo demum talis fit, ut in diverſam partem, retrorſum nimirum reclinetur. Hinc aliæ duæ convulſionis inſurgunt ſpecies, quarum altera dicitur *emproſthotonon*, altera *opiſthotonon*. Emproſthotonon eſt, quum in Differentiæ.

anteriorem partem incurvatur. Opisthotonon, quum in posteriorem reclinatur. Alias præterea habemus convulsiones, quæ peculiares dici possunt: uti sunt *spasmus*, qui dicitur *cynicus*, *risus*, qui nuncupatur *sardonicus*, & ea convulsio, quæ *trismos* a Medicis appellatur. Necnon & ea, quæ vocatur *strabismus*. Spasmus cynicus fit, ubi musculus oris latus ex uno dumtaxat latere contractus os ita deformat, ut speciem canis prope ringentis quodammodo æmuletur. Risus sardonicus producitur, quum ex utroque latere idem musculus contractus labia utrimque sibi attrahit, atque extendit, quo risum mentiri videtur. Trismos oritur a contractione musculorum temporum, & maxillarum; qui vehementer insimul contracti efficiunt, ut dentes ex utraque maxilla adinvicem adducti mutuo adeo sese obnixe comprimant, ut propemodum attriti stridorem edant. Strabismus nihil aliud est, quam ea oculorum contorsio, quæ provenit a contractione musculorum non omnium, sed quorumdam ex iis, qui oculorum gemmis movendis, sive circumducendis inserviunt.

Causa. Quum ex dictis diagnosis liqueat, ad causas transire expedit, quæ ex duplici fonte hauriri posse videntur; contractio quippe musculorum fieri quandoque potest ob vim spirituum, qui a cerebro cum impetu in fibras motrices propelluntur musculorum, quos convulsio præter naturam contraxit. Quandoque autem fieri potest quoque, quod quamsæpissime contigisse experientia quotidie testatur, ex præpedito, præclusoque eorumdem spirituum per nervos in musculos antagonistas influxu; qui propterea resoluti in causa sunt, ut musculi oppositi, eoquod renixus contranitentium iis defecerit, vim propriam, ut ita dicam, elasticam, exercentes convellantur; quo in casu neutiquam musculi contracti, sed adversi, qui resolutionem patiuntur: ii videlicet, qui musculis contractis adversantur, tamquam partes morbo affectæ, respiciendi sunt. His ita præmissis, quum facile elicere quisque poterit, quare convulsio interdum excitetur simplex, interdum spasmodica, quare modo per essentiam ex cerebro, nervisque affectis, sive ex læsa musculorum structura, modo per consensum ex aliarum partium affectarum consortio, modo ob sanguinem stagnantem, aliosque concretos humores, aut in musculis contractis, aut in adversis resolutis, aut in partibus finitimis, non videtur cur in hoc diutius immoremur. Ad prognosin itaque accedamus, quam tum ex Hippocrate, tum ex Galeno præsertim paucis expedire aggrediar.

Tetanos, nisi dierum quatuordecim circiter spatio solvatur, ægrotantem interimit. Convulsiones quo fortiores, eo pejores. Spasmodicæ magis, quam simplices. Idiopathicæ, quam sympathicæ. Apoplexiam, vel epilepsiam non raro accersunt. Ex vulneribus, lethales. In fœminis hystericis imprimis, longe minus habere solent periculi, quam in maribus. Convulsiones, quas concitavit helleborus, aliaque fortiora purgantia, ex Hippocrate præcipue (*a*), necem fere semper moliuntur. Pessimæ sunt, quæ nimiam sanguinis excretionem, aut hypercatharsin insequum- Prognosis.

(a) *Sect. 5. aph. 1.*

quuntur; tum maxime, quum viribus prætermodum resolutis, æger dejectus consistere nequeat. In febre, & præ cæteris maligna, & tum maxime, quum in progressu morbi supervenerint, febricitantem brevi decessurum indicare consueverunt. Febris ardens, quæ convulsionibus accesserit, eas utplurimum extenuavit. Hinc illud Hippocratis (a) *qui a convulsione, aut distensione nervorum tenetur, febre superveniente liberatur.* Et ex eodem Hippocrate (b) *febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.* Nil mirum igitur si in febre continua labiorum contorsio, oculorum, superciliorum, aut narium, præ foribus mortem versari non semel prædixerit.

Curatio. Diæta, quæ convulsionibus curandis præscribenda est, ei non absimilis fore videtur, quam reliquis cerebri affectionibus curandis in capitibus superioribus paulo ante adhibuimus. Aer igitur convenit temperatus, & serenus, quum borealis, frigidus, atque hybernus ex Hippocrate (c) convulsiones inducat. Victus tenuis sit, concoctuque facilis. Plurimum nocet salsus, acidus, acris, saccharatus, item & mellitus. Vinum, utpote quod nervis insensum, plane proscribendum. Quies longe magis, quam motus conferre videtur, is præsertim, qui contentiose, & vehementi fiat cum conatu. Alvus quotidie nisi respondeat, blande cienda. Hilaris, pacatusque sit animus &c. In pharmacia, & chirurgia distinguendum est prius num convulsiones extent per essentiam, num per consensum. Si ex consensu, partibus statim, qui morbo proxime laborant, partibus videlicet primario affectis, occurrere debemus. Si per essentiam, sedulo inquiramus oportet, num id fiat spirituum vitio, an sanguinis; num alterius cujusque humoris, qui vel cerebrum, vel nervos, vel musculos lædat; num succedat ob contractionem violentam musculorum partis convulsæ; num ob resolutionem musculorum, qui musculis contractis adversantur &c. Sordibus itaque tum ventriculi, tum intestinorum blande egestis, ubi sanguis redundet, confestim imminuendus. Ubi spiritus excandescant, leniter coercendi. Si quis humor crassus, aut nervos obstruat, aut eos adeo comprimat, ne spiritus a cerebro in musculos resolutos libere fluant, is blande discutiendus. Qua de re clysteres commendamus, leniora emetica, item & purgantia, ea præ cæteris, quæ parantur oleo sive communi, sive amygdalarum dulcium sive seminum melonum, necnon etiam seminum lini &c. Spiritibus, qui nimium effervescunt, cohibendis, apprime conducunt opiata, item & balnea aquæ dulcis, vel emollientia, aqua nuceriana large epota, decoctiones emollientes, hisque similia. Tetanos, alvo oleo amygdalarum dulcium purgata prius, balneo inde olei communis felicissime resolutum, non semel vidimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

In quo, penes nos, convulsio differt a spasmo.

INter *convulsionem, & spasmum*, penes eos, qui inter Veteres de Facultate medica scripserunt, nullum unquam aliud intersuit discrimen, nisi quod convulsio vox sit latina, & spasmos græca; quæ voces profecto, si nominis etymologiam intuearis, unum, & idem

(a) *Sect.4.aph.57.* (b) *Sect.2.aph.26.* (c) *Sect.5.aph.20.*

& idem sonant, *contractionem* quippe dicunt; neque aliter, quantum scio, tum ab Hippocrate, tum a Galeno, usurpantur: spasmus *affectus est, quo nervi, & musculi tentantur, adeo ut modo totum corpus, modo pars sine voluntatis arbitrio trahatur*, inquit Galenus (*a*). Hos profecto inter Antiquiores, Mercurialis, Heurnius, Fernelius, Riolanus; inter Recentiores, Sennertus, Riverius, Sylvius, Ettmullerus, Bellinus, aliique sequuti, uno eodemque sensu convulsionem, & spasmum complexi sunt, per eam utramque vocem, membrorum, aut musculorum contractionem promiscue designantes. Nobis autem, cum aliis, qui convulsionem a spasmo recens distinxerunt, licet fortasse non melioris notæ Auctoribus, ad eximendam rerum istarum, quæ non minima exorta est, ambiguitatem, *convulsionem* unice dicere placuit, eam membrorum contractionem, quæ aut minime dolet, aut ullum vix infert doloris indicium; & spasmum proprie dicere arrisit eam membrorum, aut musculorum, aliarumque partium contractionem, quæ cum dolore sive exoritur, sive perennet.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Exponitur Veterum opinio, convulsionem, vel ex repletione, vel ex inanitione fieri, affirmantium.

CONvulsiones fieri Veteres opinabantur aut ex *repletione*, aut ex *inanitione*. Ex repletione fieri affirmabant, quum aut sanguis, aut alius quivis pituitosus humor sese insinuans in nervos, aut musculos, eos inflet, & contrahat. Ex inanitione autem tum exoriri sibi suadebant, quum, humido radicali penitus exhausto, ita quandoque, in eorum sententia, nervi, & musculi exiccantur, ut, corii adinstar igni admoti, contrahantur, & convellantur. Id figmentis quamvis anilibus fidenter annumerare consuevisset Helmontius, nos tamen Veterum opinionem interpretari potius, quam irridere juvabit. Atque adeo convulsionem ex repletione fieri, cum Veteribus tum dicendum censemus, quum, ob violentam fibrarum ex vehementi spirituum influxu distractionem, musculi præter naturam contracti membra convellunt. Ex inanitione vero tum, quum ob denegatam spirituum in fibras radiationem, resolutis antagonistis, musculi ex adverso vim suam connaturalem, procul ab omni contranitentium renixu, libere exercentes, valide contrahuntur. Ita profecto, & spasmum præcipue cynicum, & risum sardonicum, & strabismum, non secus ac emprosthotonos, atque opisthotonos frequentius produci, credidimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Unde proveniant tremores, sive motus convulsivi.

TRemores, aut motus convulsivos, in quibus contractiones sive simplices, sive spasmodicæ, vicissim, uti monuimus, alternantur, concitari utplurimum autumamus, vel ab humore quodam acri, qui nervos hinc inde sparsim mordicet; vel a sanguine, sive a lympha quadam crassa, quæ in tubulis identidem stagnando, eos prætermodum extendat, & nervos interceptos multis, variisque in locis divisim comprimat. Quo fit, ut, non æque præcluso spirituum a cerebro per ner-

(a) *Def. med. pag. 397. 26. m.*

nervos afflatu, modo hic, modo illic indiscriminatim musculi resolvantur. Hinc variæ membrorum contractiones convulsivæ, quæ nequaquam persistere, sed in variis regionibus corporis humani vitam habentis, uti patet, alternari deberent.

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

Quicquid opinandum erit ratione convulsionis, de vesicantibus, inustionibus, cæterisque exterioribus præsidiis.

INter præsidia chirurgica resolvendis convulsionibus plurimum tamquam idonea excogitata habemus, non modo defricationes, scarificationes, vellicationes, atque arctissimas vinctiones, verum etiam inustiones, item & vesicantia, in quibus tamen universis caute admodum, ex nostra saltem sententia, incedere oportet. Scimus equidem, prædicta remedia exteriora pluribus sane ex causis hisce in casibus prodesse posse; eliciunt quippe spiritus, eosque revocant ad musculos resolutos. Neque inficias imus, irritatis quandoque artubus extremis, spiritus præfatos a regionibus, in quibus impetum fecerant, averti, a musculis nimirum, quos præter naturam contraxerant. Ex quo fit, ut ea non omnino improbemus, & præsertim, ubi processerit convulsio a materia quadam crassa ac glutinosa, quæ aut in nervis, aut non procul a nervis concrescens, antagonistarum, ut ante jam diximus, resolutionem pepererit, tum maxime, quum pene deploratus fuerit morbus, atque in irritum reliqua omnia cesserint auxilia. Valde dubii hæc tamen eventus, & plurimum suspecta, magis magisque in dies nobis usu diutius instructis, non ita pridem esse cœperunt in cæteris convulsionibus, quas, vel fluidorum acrimonia, vel sanguinis redundantia, vel spirituum nimia incalescentia, concitavit: harum quippe invasiones exasperasse potius, quam cohibuisse, pene semper cognovimus.

CAPUT VIII.

De Epilepsia.

EPilepsia, eoquod, quos vehementer concussit, viribus omnino collapsis, ex improviso consternantur, & concidant, morbus vulgo dicitur *caducus*. A nonnullis *comitialis* nuncupatur, *lunaris* ab aliis, *sonticus*, *herculeus*, *sacer &c.* Hanc describere possumus, *motum esse convulsivum, qui universas humani corporis vitam habentis partes ex intervallo corripit, sensus insuper externos, æque ac internos lædens*. Non secus ac de vertigine innuimus, *& per essentiam, & per consensum* epilepsiam fieri posse, existimamus. Definitio.

Imminentis epilepsiæ indicia sunt: sensus quidam, frigidioris veluti auræ, repentinus ab occipite in verticem calvariæ ascendentis: præcordiorum anxietas: flatus, qui hypochondria pervagando, varie obmurmurantes, ventris inflationem inducunt: facies, quæ citra causam manifestam aut prætermodum squalet, aut impense rubescit: linguæ motus varie præter naturam editi: capitis dolor, gravitas, oblivio, mœstitia, vertigo; quæ, nisi quidem omnia, pleraque saltem accessiones epilepticas anteire, nonraro deprehenduntur. Tum etiam paulo antequam invadat paroxysmus, nonnumquam fluctuare solet animus, ac mens perturbari, insomniis noctu præsertim turbulentis: Diagnosis.

tis: caligare incipiunt oculi, sive muscis, nubeculis, splendoribusque vagis, aut scintillulis apparentibus illudi &c. Præsentem esse, præter ea, quæ epilepsiam describentes jam ante recensuimus, declarant quoque spuma per os effusa, una & convulsiones, motusque spasmodici, qui membra varie torquent, quatiuntque. Epileptici ulterius linguam in paroxysmo fere semper exerunt, quo, canes quasi sitientes æmulantur, stertunt, vociferantur, quandoque clamant &c. At, quum recesserit invasio, prope ac si ex ancipiti, incertoque conflictu plurimum defatigati evaserint, insurgunt.

Causa. Quicquid spiritus animales intus in cerebro adeo concitare, & commovere valet, ut longe validius quam decet, excandescant, vel tumultuantes, ut ita dicam, procul ab omni lege principium subeant nervorum, perque eos effundantur, id omne paroxysmis epilepticis excitandis satis idoneum censemus. Hinc haud errasse videntur ii, qui in epilepsia, vel sanguinis copiam, vel nimium fluidorum æstum, vel humoris cujusdam acris, qui membranas, ac plexus irritando, cerebrum turbet, pravitatem, vel vermes, sive lumbricos, qui viscerum tunicas mordicent, culpare consueverunt; ea siquidem omnia præstare valent, ut spiritus animales in cerebro commoti huc illuc incursent, musculos contrahant, ac membra convellant &c. Ex quibus itidem patet, quo pacto modo idiopathice, modo sympathice moveri queant paroxysmi.

Prognosis. Epilepsia curatu perquam difficilis, & periculi plena, quæ præsertim frequenter invaserit, haberi debet; cerebrum enim iterum, atque iterum in paroxysmo excussum, ac pene distractum, omnino tandem ratione structuræ intimioris, evertatur necesse est. Idiopathica tamen longe periculosior, ac pervicacior habenda est, item & inveterata, nec non etiam hereditaria, de qua scimus, curationem fere omnem hactenus respuisse. Pueri præ cæteris epilepsia tentantur, quibus in pubertate nisi solvatur, ad mortem usque perducitur. Quum ab anno ætatis vigesimo quinto infestare cœperit, plane insolubilis censenda, ex Hippocrate (a). Recurrentibus æquinoctiis & ipsa non sine periculo recurrit. Si, dentibus, aut variolis, vel morbillis erumpentibus, excitetur, non adeo funesta; eam quippe tum æstus febrilis plerumque discussit. In virginibus, deleri passim deprehenditur, aut mensibus, aut conjugio supervenientibus. In maribus, si ante pubertatem extiterit, utprimum semen excreverint, feliciffime quandoque solvitur. Interdum cæcitatem, strabismum, & mentis stuporem, infert. Cæterum epilepsiam tum in maribus, tum in fœminis, tum in pueris, atque adolescentibus, tum quoque in adultis confirmatam, febre superveniente quartana, sternutatione creberrima, humoris cujusdam pituitosi sive per nares, sive per oculos, sive per aures egestione, vomitu, diarrhœa, urinæ, item & sudoris plurima excretione, scabis per universum corporis ambitum exorta, sanguinis spontaneo, & præsertim per hæmorrhoides effluxu, penitus sublatam, raro admodum licet, non semel tamen, & legimus, & vidimus.

Aeris qualitas, victus ratio, & re- Curatio.

(a) Sect. 5. aph. 7.

& reliqua, quæ ad res, vulgo nonnaturales dictas, spectant, motui spirituum animalium tumultuario in epilepsia sedando, eadem plane convenire videntur, quæ apoplexiæ, vertiginibus, aliisque nervorum affectionibus evincendis, ante jam in diæta proposuimus. Monemus tamen, ut hic præ cæteris laxa sit alvus, ut de more mulierum fluant menses, ut excretiones hæmorrhoidum, si quando compressæ fuerint, utut fieri possit, quodammodo revocentur. Quicquid autem in pharmacia, æque ac in chirurgia expedit adhibere, ægrotantem respicere debet, tum in paroxysmo, tum extra. In paroxysmo, curare debemus, ut spiritus ad organa sensuum revocentur, aut inclamando, aut artus extremos vellicando, aut cutem in dorso potissimum defricando, aut alvum clysteribus quandoque concitando &c. Si adsit plethora, vel si consuetæ sanguinis restiterint excretiones, vena solvatur; aut cucurbitulis cuti prius scarificatæ infixis, aut hirudinibus, partibus præcipue infernis admotis, sanguis educatur. Et quoniam inter symptomata, quæ epileptico invadente paroxysmo magis urgent, ea est spirandi difficultas, cum suffocationis imminentis interdum periculo, ob eam, quæ ex glandulis vehementer expressa, spumans ab ore intumescit saliva, quæque non semel, ore validissime convulsionibus contracto, obstructo, compressoque, quum libere foras egredi nequeat, intus retrocedit, ac sese cumulate, affluenterque in fauces immittens, respirationem omnino præcludit; iccirco, ne id succedat, pro viribus præstandum est, ne ore clauso, neve resupinus, vel alio quovis pacto retrorsum, maxime reclinata cervice, perincommode respiret æger; quod insuper efficiet, & ne linguam sibi præmordeat, & ne occiput ad solum allidat. Extra paroxysmum, eadem propemodum curandi methodo epilepticos, æque ac apoplecticos, convulsos, item & vertiginibus obnoxios tractandos esse, censemus.

Historia IV.

Quicquid, epilepsiæ medendo, præstare consuevimus historia declaramus.

NArcissus adolescens octavum & decimum circiter agens ætatis annum, temperamenti calidi, & sicci, biliosi videlicet, modicæ staturæ, venustus, ac elegans, Incubrationibus in Urbe litterariis impense vacans, mense Januario febre ardenti correptus, ante diem decimamquartam, nisi quod crisin ullam manifestam emisisset, optime tamen convaluit. Inde ex improviso de peracuto quodam, atque infesto sincipitis dolore conqueri cœpit; qui horis vix duabus exactis, plane evanuit. Mox, vertigine tentatus, ac viribus subinde omnino collapsis, sensibusque amissis, concidit; angit, convellitur, ac spumans ore stertit, nec ex facili spiritum ducit. Intumescunt oculi. Rubore suffunduntur genæ. Quinimmo & pulsus prætermodum contractus, arterias quoque universas convulsas fuisse, satis superque ostendebat. Paroxysmus vehemens licet, brevis est. Periodice tamen bis singulis mensibus die inclinato, renascente in novilunio, ac decedente in plenilunio Lunæ lumine, recurrit. Neque solvitur, nisi urina prius abunde excreta. Quamobrem Narcissum epilepsia correptum fore conjicientes, tamquam epilepticum tractare constituimus. Hinc, sufficienti quantitate olei amygd. dulc. rec., & f. ign. extract., necnon & clysteribus emollien-

lientibus sæpesæpius injectis, alvo iterum, atque iterum eluta, ac sanguine tum superne, tum inferne educto, alterantia consueta antiepiletica ad plures menses propinanda ei præscripsimus. At plane incassum, quandoquidem præfata præsidia tum medica, tum chirurgica, ad leges Artis quamtumvis adhibita, in irritum tamen omnia cessere. Iccirco mense Augusto, ex nostra sententia, ad fontem nucerinum se contulit. Per mensem, & ultra eam aquam large hausit, atque in eadem bis in die sese immersit. Quo factum fuit, abstemius tamen semper imposterum, ut penitus evaserit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quicquid de cranii terebratione in epilepsia proposita judicandum sit.

E Pilepsiam de more Veteres procreari affirmabant humoribus quibusdam pituitosis, melancholicis, necnon etiam biliosis, qui aut in cerebro congesti, aut in reliquis visceribus stagnantes, effervescunt, sive potius calefiunt. Hinc in vapores resolutos, & una cum spiritibus animalibus intus in cerebro commixtos, sibi suadebant, cerebri, nervorumque facultates universas lædere, irritare, & convulsiones epilepticas, item & sensuum alterationem producere. De vaporibus hujusmodi, qui ex visceribus corporis humani viventis exaltari, sublimarique creduntur, quicquid ipse sentiam quum ingenue jam ante protulerim, non videtur, cur id iterum repetam. Ad Praxim igitur descendo, in qua sunt qui hisce in casibus præter sinapismata, & præsertim in paroxysmo contumaciori, vesicantia, cauteria, setacea, hisque similia commendant; commendant quoque, cranium ad meninges usque pertere-brare. De reliquis in capitibus superioribus abunde jam diximus. De terebratione dicendum tantum superest, nos plane ignorare qua ratione prodesse possit; & utique deterret præsidii atrocitas, infaustusque plerumque exitus, quo eam factam fuisse accepimus. Non ita judicamus de pulveribus antiepilepticis, uti sunt pulveres Gutthet, succini albi, corallorum rubrorum, item & alborum, margaritarum &c. De aquis cephalicis ex. gr. melissæ, cerasorum nigrorum, peoniæ &c. De confectionibus cephalicis, uti sunt theriaca, mithridatum, confectiones alkermes, hyacinthinæ, & reliqua, quibus, noxam utpote nullam, quum opportune propinentur, inferre valeant, tuto quisquis uti poterit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quo pacto epilepsiam in recens natis tractandam ducimus.

E Pilepsia in recens natis vulgo ROMÆ dici solet *le infantigliole*. Hæc quamsæpissime, ut opinor, provenit: sive a meconio non excreto: sive a prava lactis, quo alitur infans, qualitate: sive a vermibus, qui tunicas aut ventriculi, aut intestinorum mordicando, eam per consensum faciunt: sive, quod passim contigisse deprehenditur, a *dentitione*. Talis epilepsia in casibus universis, ob organorum imbecillitatem, plurimum semper suspecta esse debet; commode tamen quandoque evincitur alvo blande soluta injectionibus ex simplici oleo sive communi, sive amygdalarum dulcium, sive seminum melonum &c, quæ & in savoneam digesta, ac per os cocleatim identidem propinata mirifice profuisse, ex usu quotidiano percepimus. Quum a vermibus producatur, ea insuper

per auxilia, de quibus verminationem exponentes acturi sumus, præscribenda veniunt. Verum hic perfunctorie saltem monere juvat, ut in qualibet infantum epilepsia a vino prorsus sese abstineat tum infans, tum nutrix. Id FLORENTIÆ ex oraculo inclyti in Praxi medica Præceptoris nostri * præsertim accepimus, qui nobis enarrabat, tali methodo epilepsiam ab infantia avitam in Familia perquam Illustri, tandem aliquando extenuasse. In plerisque Italiæ Regionibus, Romæ in primis, item & Florentiæ, cervicem aut ferro candenti inurere, aut setaceis, infantibus, puerisque epilepticis, perforare, consuetum, ac pene dicam, solemne est; quo epilepsiam solvere, eamque arcere opinantur. Id remedium iis præsertim, quibus nimia pituitosa colluvies caput pergravaverit, interdum profecisse experientia edoctus, non inficior. Verumtamen testari quoque mihi liceat, noxam pluribus frequentius intulisse, quos stupidos, languentes, tardos, irrequietos, exsuccos, quandoque excarnes, quin & tabidos, ac variis aliis perincommodis affectibus obnoxios effecit; nescio an quia nervos vehementer, acriterque nimis irritanda molem cerebri structuram labefactaverit; an quia serum lymphaticum meninges blande irrorans, ulcere inducto, egesserit; an quia portio quædam puris ibi confecti a reduce sanguine absorpta fluida corporis universa coinquinaverit; an pluribus aliis ex causis nobis hactenus plane occultis. Hoc tantum certo scio, non semel evenisse, ut vix unquam ex prædictis incommodis, nisi cauterio prius sublato, puer evadere potuerit. In fœminis epilepsia, quæ, ut vulgo creditur, ex uteri sit consensu, dicitur *uterina*, & non raro sedatur rebus graveolentibus naribus admotis, uti sunt camphora, castoreum, oleum succini, assa fœtida, ruta contusa, matricaria, & reliqua, de quibus, ubi de affectibus mulierum hystericis agendum erit, fuse verba facturi sumus.

* *Franciscus Redi.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid de Lunæ, Cœlique mutationibus, ratione epilepsiæ recurrentis, judicandum sit.

SI quis unquam lunarem potestatem morbis excitandis, solvendisque magni facere velit, id non injuria in epilepsia profecto deberet; quæ ideo *lunaris affectio*, passim olim nuncupabatur, quod ad lunares phases ipsa potissimum moveri soleat. An tamen lunæ prædictæ alterationes a nobis valde remotæ, an aliquid aliud, quod una cum Luna propinquius adhuc moveatur, in Terris agat, per quam difficile existimamus impræsentiarum enucleare. Idem porro de æquinoctiis, atque de Solstitiis quoque dicimus, aliisque cœli mutationibus, in quibus humani corporis vitam habentis œconomia evidentissime afficitur. Id, quod unde proveniat mentis acie attingere nequeant, inter Recentiores sunt qui audacter negant insimul, atque irrident. At enim vero vanas Astrorum in morbis interpretationes, & scrupulosam nimis in rebus plerisque medicis agendis astrologiæ, ut ita dicam, superstitionem, etiamsi negligamus, in eventibus autem, quos sensibus nostris longævus rerum usus luculentissime patefecit, nostram confiteri potius ignorantiam, quam istorum juvenilem, atque inexpertam arrogantiam imitari placuit.

CA-

CAPUT IX.

De Catalepsi.

CAtalepsis dicitur quoque *intercepcio*, *stupor*, *catochen*, a nonnullis *congelatio*, quoniam ii, quos talis invaserit affectio, pene ac si gelu cogerentur, sensus, ac motus expertes undequaque rigent.

Definitio. Eam describere possumus *repentinam esse sensus, & motus exterioris, qui fit nimirum mentis arbitrio, interceptionem, qua partes universas corporis humani viventis ex improviso invadens efficit, ut, qui corripiuntur, in eadem membrorum positione, quam antequam correpti fuerint, proxime habebant, obnixe consistant.*

Diagnosis. Signa, quibus dignoscitur, sunt manifesta; nam qui catalepsi tentatur, illico obmutescit, rigidus, atque immobilis, veluti mente commotus, & ut vulgo dicitur *extaticus*, aut consistit, aut sedet, aut attonitus jacet. Vellicatus non sentit. Vocatus non respondet. Quinimmo & oculos utplurimum licet apertos habeat, nequaquam videt; neque bulbos, neque palpebras, quas rigidas, atque intentas tenet, movet. Etsi quis versus pupillas digitos summos vel propius ei admoveat, nec vel minimum nictitare deprehendet. Hæc autem omnia in catalepsi perfecta fortiori, ac legitima absolute requirenda sunt; in ea quippe, quæ mitior est, quæque *spuria* iccirco, vel *illegitima* nuncupatur, adamussim non ita sequuntur.

Causa. Catalepsin fieri neutiquam cum Priscis credendum reor ob intemperiem cerebri frigidam, & siccam, cujus causa spiritus in nervis congesti, comprehensi, ac prope congelati sistuntur. Quinimmo non alienum videtur, ideo sensum, & motum in catalepsi deleri, quia spiritus animales a cerebro per nervos semel in musculos, atque in membranas vehementer, affluenterque, ut ita dicam, propulsi, meatibus inde confestim valide compressis, vel obstructis, in idem cerebrum retrofluere nequeant. Quam ob causam intercepti, præclusique membrorum rigorem, una & stuporem faciunt, idest ex organis sentiendi facultates adimunt.

Prognosis. Catalepsis est affectio, rara admodum licet, valde tamen acuta, ac periculi plena. Quamocissime quandoque interimit, tum maxime, quum sese per universum corpus effundens, legitima est. In senibus ex Sylvio, fere semper insolubilis. Longe minus contumax, quæ fœminas, & pueros comprehendit, quæque præsertim symphatice fit, aut dentibus erumpentibus, aut lumbricis viscera pungentibus. Solvitur non raro uberrimo ex hæmorrhoidibus in maribus, ex utero in fœminis sponte sua effuso sanguine. In sortem persæpe apoplexiam, epilepsiam, & lethargum commutatur; quibus in casibus utplurimum desinit in interitum. Nisi mature evincatur, immunis tametsi evaserit æger, stupidus tamen, languens, iners, ingenii tardus, ac mentis impos vivere subinde solet.

Curatio. Catalepsi resolvendæ, arcendæque, aer convenit temperatus, serenus, atque exagitatus. Plurimum nocet frigidus, uliginosus, atque impurus. Victus tenuis esse debet, quinimmo & perquam exiguus in paroxysmo. Usus vini omnino interdicatur. Motu identidem blande sese exerceat, qui catalepsi tentari consuevit. Ambulet nimirum, incedat, equitet, naviget, curru invectus peregrinetur; vita quippe,

pe, ut vulgo dicitur, sedentaria, sive, ut melius dicam, umbratilis, experientia teste, catalepsin non semel accersivit. Mentis sollicitudines, animique perturbationes universæ, quæ catalepsin interdum solæ facere potuerunt, cane pejus, & angue vitasi debent. Quum invaserit, alvi colluvie prius eluta, sanguinis copia, si adsit, statim, non secus ac in apoplexia innuimus, minuenda est; iterum, atque iterum, quum urgeat accessio. In corporibus pituitosis, quæ plurimo nimirum scatere solent sero, ut & in cachecticis non modo, quæ alvum subducunt, commendamus, verum etiam emetica, quæ tum plurimum profecisse, testatus est usus. Conveniunt item sternutatoria, balinea, defricationes, inunctiones ex balsamo volatiliori, vellicationes, sinapismata, & nihilosecius quum pertinax resistat, uti debemus defricationibus, item & inustionibus; de quibus omnibus idem ferme dicimus, quod in superioribus protulimus, quum nil aliud catalepsis videatur, quam species quædam convulsionis apoplecticæ, una & epilepticæ, quæ propterea tum in paroxysmo, tum extra eadem propemodum exigit auxilia.

Historia V.

Quicquid, catalepsi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

HOrtensius quidam natione Theutonicus, vir nobilis, ingenuus, atque eruditus in cæteris omnibus liberalibus facultatibus, ac in rebus in primis philosophicis, & mathematicis versatus, quintum, & quadragesimum ætatis vix attigerat annum, Mense Julio Anni 1703. cujusdam phœnomeni novitate illectus, multo ante lucem ex editissima turri, quam una mecum ruri conscenderat, in Cœlum suspexit, ac tubo optico acie admota, tum, quum sydus quoddam non procul a Polo boreali intueretur intentus, catalepsi inopinato perculsus, in eadem plane positione tubo aptatus arctissime riguit. Temperamento præditus erat calido nonnihil, & sicco idest bilioso. Opipare vescebatur, meraco insuper interdum non parcens. Pulsus in paroxysmo, aliquantulum licet febricitaret, sese tamen satis explicabat. Respiratio neque difficilis, neque anhelosa alternabatur. Attamen stupidus, atque immobilis, nisi respirasset, ullum vix aliud vitæ indicium extrinsecus dedisset. Hinc procul ab omni cunctatione, clystere acriori ex aqua hordeacea plurimum salita prius injecto, ac vena in brachio inde soluta, libram circiter sanguinis eduximus, quem paulo post ad alteram libram ex saphena emisimus. Et quoniam nihilosecius minime excutebatur æger, sinapismatibus plantis ante admotis, mox cervici, ac dorso cucurbitulis infixis, iterum sanguinis libram extraximus. Quo factum fuit, ut ea catalepsis, quæ legitima erat, in spuriam tandem, trium circiter horarum intervallo cesserit; ex eo quippe tempore balbutire, deglutire, oculos movere, artus extendere, atque inclamatus audire aliquantulum cœpit, convulsus tamen, enervis, consilii expers, ac mentis prorsus obtusus. Quapropter sordibus alvi, ea, quæ insequitur, purgatione A, discussis, ac balneo aquæ tepentis bis in die per triduum adhibito, prorsus convaluit. Eum vero in Patriam reversum, rescivimus, triennio inde

de vix elapso, apoplexia forti correptum, obiisse.

A. ℞. *Folior. senæ oriental. mundat. unc. ss., cremoris tartar. dragm. ii., aqu. commun. q. s. M. f. infus. S. A. cin. calid., & adde man. elect. unc. ii. Solve. Colet., & adde syrup. rosat. aur. solut. unc. iii., cap. in A., cui superb. prius lib.iv. aqu. Tetut., mox tantumdem aqu. nucer., sive comm. optimæ, & ultra.*

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ.

Balnea non calida, sed modice tepentia adhiberi debent.

De balneis aquæ dulcis, de fotibus, ac suffitibus, id præ cæteris adnotandum, ne calida nimis, verum modice tepentia adhibeantur, & convulsis præsertim, iisque omnibus, qui aut viscerum inflammatione, aut doloribus spasmodicis torquentur. Calor enim nimius aquarum cutem contrahit, vires prætermodum solvit, nervos irritat, aliosque plures pessimos in corpore humano vivente præstare valet effectus, ex quibus noxam plurimam fere semper contraxisse conjecimus. Quicquid diximus de balneis aquæ dulcis, dictum volumus quoque de thermis, cæterisque, quæ, quantum nos docuit experientia, longe melius mediocriter tepentia, quam calida per cutis spiramenta sese in vasa immittunt, membranas emolliunt, humores congestos solvunt, salia intus concreta fundunt, ac per urinam blande egerunt. Quid sit aqua tetutiana, & quomodo propinanda est, inferius dicendum.

CAPUT X.

De Lethargo, & Caro.

Lethargus, & carus, quum affectus plane videantur consanguinei, & quum eadem prope, ut discutiantur, exigant præsidia, uno, eodemque capite affectionem utramque exponendam duximus. *Lethargus*, latine *Veternus*, torpor nimirum obliviosus; sive obliviosa desidia, nihil aliud est, quam *gravis, & morbosa in somnum proclivitas, cum oblivione, ac aliquo sensuum stupore, procedens utplurimum a labe quadam maligna, quæ febrem lentam induxit*. Caro, sive carus est *sopor morbosus, quo præter naturam arctissime obdormit æger, qui alte consopitus excitari vix quit, & in soporem, si excitetur, statim uti prius relabitur, ob labem quamdam malignam, quæ in febrem manifestam plerumque non succenditur*. Hinc in lethargo febricitare quodammodo, nequaquam autem in caro deprehenditur. Quæ res effecit, ut lethargum Veteres protulerint, *propensionem esse in somnum inexpugnabilem, cum febre lenta, oblivione, ac torpore, ob sanguinem pituitosum in finibus cerebri posterioribus putrescentem*. Carum autem *soporem esse dixerunt arctissimum, & quasi apoplecticum ab iisdem fere humoribus in iisdem cerebri finibus sine febre productum. Quasi apoplecticum* dixerunt; siquidem ab apoplexia non distinguitur carus, nisi spirandi difficultate, quæ in apoplecticis longe major esse solet, quam in lethargo, & caro consopitis; in quibus, aut liberam utplurimum, aut quasi liberam sese manifestat. Definitio.

Diagnosin ex præmissis definitionibus facile sibi quisque elicere po- Diagnosis.

poterit; qualitas quippe soporis, sive in somnum proclivitatis inter lethargum, & carum potissimam differentiam facit. Cæterum in utroque adest oblivio cum aliquo sensuum stupore, membrorumque torpore. Accedit insuper in lethargo febris, uti diximus, non raro manifesta continua, & lenta cum delirio, sive potius cum variis insomniis, atque illusionibus. In lethargo, æque ac in caro admodum languere, & fluctuare solet pulsus, lente, ac tarde sese explicans. Frequenter oscitat æger, atque in sudorem uberrimum solvitur, & de capitis gravitate conqueritur experrectus.

Causa. Quicquid cerebri substantiam obstruere, vel ita comprimere valet, ut spiritus animales, libero præcluso in nervos aditu, nervorum fibras rigidas, contractasque servare nequeant, id omne soporosas hasce affectiones procreare, easque fovere autumamus; quum ex physicis constet, tum potissimum consopitas conquiescere sensuum facultates, quum nervi ob spirituum inopiam resoluti, objectorum sensibilium actionem ex organis ad sensorium commune deferre impares sint. Nil mirum itaque, si ut lethargus, ita & carus induci quandoque possit ob sanguinem redundantem, ob serum exuberans, ob lympham crassam, glutinosamque, quæ vel cerebri meatus opplet, infarcitque, vel nervorum principium comprimit; quandoque tandem, quod longe frequentius contigisse cognovimus, in febribus præsertim malignis, ob illuviem quamdam virulentam; quæ aut cerebri structuram lædit, aut spirituum vim obruit, infringitque.

Prognosis. Præfatæ affectiones, quum de genere sint acutarum, brevi solvantur, necesse est, non sine maximo tamen ægrotantis periculo. Hinc optime Hippocrates (a) *Lethargici intra septem dies moriuntur; si vero hos effugerint, sani fiunt*. Difficilius evadunt senes a Lethargo, & caro, quam adulti; adulti, quam adolescentes, & pueri; mares, quam fœminæ. Valde timendæ sunt, quum aut febribus acutis, aut morbis cephalicis, aut colicæ diutinæ supervenerint, & tum potissimum, quum tremores, ac frigidi extremorum præcipue sudores accesserint. Non adeo tamen pertimescendæ, quum extent a crapula, fumo nicotianæ, vulgo *tabaci*, a levi quodam capitis ictu, vel balneorum abusu. Solvuntur utplurimum, ubi insequatur aut sudor uberrimus, aut alvi profluvium, aut sanguinis per loca consueta excretiones, aut vomitus, aut salivatio, aut creberrima, quæ ex naribus, oculisque lymphæ stillicidium abunde elicit, sternutatio, aut abscessus, qui præsertim secus aures erumpat. Verum, quum ea prospere haud cesserint, id pessimum præbere debet indicium.

Curatio. Affectionibus soporosis universis discutiendis, aer convenit sublimis, tenuis, lucidus, ventilatus, & desæcatus, quem medicari etiam oportet suffiminibus odoratis. Victus perexiguus sit necesse est, quum hisce in casibus defectu satius, quam copia peccare expediat. Potus, vino penitus amoto, confert præ cæteris ex decoctione the, caffe, salviæ, betonicæ, roris marini, hisque similium. Aquam item frigidam, tum maxime, quum febris prætermodum æstuet, optimo cum eventu non semel propinavimus. Exercitii loco cutis uni-

(a) *lib. 2. de morb. num.* 63.

universa quamsæpissime defricetur, ac de strato in stratum, sive de latere in latus æger identidem deferatur. Atque id in primis animadvertatur, ne alvi sordes quotidie non subducantur. Ad comprimendos tristes animi motus, qui morbosum inducere, ac fovere solent soporem, atque ad excitandam hilaritatem sunt, qui talibus in morbis probant obstrepentes aut tubarum, aut tympanorum concentus; qui auditus organa vehementer commovent, cerebri membranam exagitant, ac spiritus consopitos excutiunt. In corporibus plethoricis, alvo prius exonerata, sanguinis copia imminuatur, quem educere juvat tum vena secta, tum cucurbitulis, tum hirudinibus. In cachecticis, item & pituitosis commendamus purgationes per alvum, & quandoque, quum necessitas urgeat, item & emeticas. Commendamus quoque sinapismata, & vesicantia; quæ, uti alias diximus, particulis suis volatilioribus, quas intus immittunt, humores crassos in cerebro concretos extenuant, una & spiritus obrutos eliciunt.

Historia VI.

Quicquid, lethargo medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

ILdephonsus Sacerdos Hispanus, qui tertium, & septuagesimum jam expleverat ætatis annum, temperamento præditus calido, humidoque, sanguineo videlicet, vir fortis, vegetus, ac lacertosus, proceræ staturæ, febrem malignam ex coagulo, ut videbatur, mense Octobri anni proxime elapsi, nimirum 1725. contraxerat; qua dejectus in Nosocomium Regiæ Domus B. M. semper Virginis Montis Serrati Hispanorum Urbis, cui nos pluribus ab hinc annis Natio Hispana præfecerat, se contulit. Is postquam cum ea febre ad ultimum pene vitæ extremum diu colluctatus esset, lethargo prius, inde caro comprehensus obdormire arctissime cœpit. Pulsus, qui vix amplius febricitare percipiebatur, erat languens, atque undosus, respiratio facilis, cutis madore quodam tenui ubique irrorabatur, laxa erat alvus, urinæ perexiguæ, ac sine sedimento valde tenues. Et quandoque, si per vim excuteretur, somno iterum consopitus, confestim uti prius, in eumdem lethalem soporem relapsus obdormiebat. Dies erat cari quarta, & febris decimaoctava, quum affectio soporifera, præsidiis omnibus incassum adhibitis, adhuc magis invaluerat. Alvo quippe abluta, sanguine ter, aut quater ex variis locis educto, sinapismatibus, una & vesicantibus partibus infernis admotis, cute universa sæpius in die defricata, atque alterantibus alexipharmacis secundum Artem præscriptis, nihil tamen profecisse videbamur. Quamobrem constituimus, reliquis universis Artis auxiliis amotis, ut omnino quiesceret æger; cui propterea nihil aliud sexta quaque hora præbuimus, quam jusculum hordeaceum, in quo bis in die ovi recentis vitellum præterea solvebatur; potestatem insuper facientes, eoquod plurimum sitiret, ut aquam gelidam nucerianam ex infusione corticum citri non insuaviter paratam large hauriret. Triduo post alvo, sua sponte, abunde soluta, ac maxima urinæ copia egesta, uberrime sudare cœpit. Inde expergefactus optime se habere fatebatur, viribus tamen adeo destitutus, ut loqui vix posset. Quinimmo languore pene confectus propediem defecisset, nisi quotidianis eximiæ chocolatæ haustibus vires

jam

jam fractas sensim in dies sibi nactus omnino convaluisset.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Unde proveniant in corpore humano vitam habente somnus, & vigiliæ.

NON secus ac reliqua animalia identidem cessat homo vel in statu naturali, & quandoque præter voluntatem a plerisque corporis organici, quibus defatigari solet, operationibus, sopore placide consopitus: id profecto, ut in organis agentibus spirituum animalium, æque ac vitalium peropportune reparetur dispendium. Cessatio ista *somnus* proprie, sive *sopor* nuncupatur. Vigilia ex adverso dicitur, ubi vel *exercet expergefactus, vel easdem saltem exercere valet actiones*. Hinc non perperam somnus describebatur a Galenicis *quietem esse, sive cessationem sensuum internorum, æque ac externorum ad recreationem corporis humani viventis*; non secus ac vigiliam esse affirmabant *exercitium eorumdem sensuum liberum*. Quia autem sensus exercemus spirituum animalium ope, qui per nervos libere fluunt, refluuntque a cerebro ad reliqua corporis organa, & a reliquis corporis organis ad cerebrum, concludendum videtur, somnum naturalem exoriri a compressione quadam blanda, ac leni ejusdem cerebri, præsertim fibrarum, sive substantiæ corporis callosi, qua spiritus animales per nervos effunduntur ad organa, & ab organis repelluntur in sensorium commune; quod luculentissime, ut opinor, in epistolis nostris typis olim evulgatis declaravimus. Id Veteres fieri autumabant vaporibus, qui attolluntur e visceribus subjectis, cerebri subeunt substantiam, ventriculos implent, eorumque parietes extendunt, ac fibras adeo comprimunt corporis callosi, ut spiritibus præfatis animalibus fluxus, refluxusque in nervis præcludatur. Hinc tamdiu, ex eorum sententia, sopore quiescimus, quamdiu in ventriculis cerebri vapores congesti commorantur; neque experrecti vigilamus, nisi prius calor nativus ipsius cerebri eos extenuaverit, resolverit, ac dissipaverit. Nos autem, ut affectiones universas, sive alterationes, quæ in corpore humano vitam habente, ratione tum somni, tum vigiliæ recte exponamus, credendum potius ducimus, in somno ideo cerebri blande comprimi substantiam, quia laxe subsideat, & proprio, ut ita dicam, concidat pondere, quum primum diutinus labor, atque organorum exercitium indeficiens, eam dissipaverit spirituum animalium quantitatem, quæ in eadem cerebri substantia interiori requiritur, ut ea consistat, & quodammodo intumescat, ne fibras comprimendo, meatus minimos occludat, per quos iidem spiritus libere transire queunt ad organa &c. Quo posito expergisci nequaquam deberet qui dormit, nisi tum, quum tanta eorumdem spirituum copia in cerebrum per glandulas corticales iterum influxerit, quanta satis sit, ut denuo substantiam cerebri, uti prius, rarefacere, extendere, &, ut ita dicam, attollere potuerit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quomodo inter dormiendum excitentur insomnia.

SPiritus animales tum, quum, dormientibus nobis, sensim excernuntur a glandulis, colliguntur, item & augentur paulatim in substantia centri ovalis, necnon etiam in sensorio communi, motum quemdam ibi aliquando, ebul-

ebulliendo, ut ita dicam, concipere valent, quo iccirco præter voluntatem dormientis rerum excitant species, sive phantasmata, vel ideas. Hinc profecto varia insurgunt insomnia, quæ propterea antelucanis horis, sub finem nimirum somni, idest in limine vigiliæ, menti humanæ utplurimum obversantur.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Affectiones soporosæ, licet organicæ, facilius plerumque solvuntur, quam si fuissent humorales.

LEthargus, item & carus frequentissime oritur, cerebro aut concusso, aut vulnerato, aut contuso, aut compresso, aut alio quovis pacto, ratione structuræ, læso, uti ex ictibus, vulneribusque capitis quamsæpissime contigisse observavimus. Quo in casu tum lethargus, tum carus dicendus videtur organicus. Nihilominus, quum cerebri læsio levis sit, affectiones præfatæ soporiferæ, quantumvis organicæ, experientia docente, facilius plerumque, ut antea quoque innuimus, solvuntur, quam si humorales fuerint.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quo pacto, ex Musitano, nonnullæ cerebri affectiones ab invicem distinguantur.

EX Musitano præcipue habemus, ut lethargus, & carus ab apoplexia; apoplexia a catalepsi distinguatur, hæc præ cæteris animadvertenda esse: nimirum apoplecticos pulsus utplurimum habere parvos, & celeres, prorsus quamvis a febre immunes; catalepticis, tametsi fere semper febricitent, pulsus tamen magis explicari: iis, qui aut lethargo, aut caro opprimuntur, pulsus esse imbecilliores, molliores, ac magis inæquales, quam aliis, qui catalepsi rigescunt. Catalepticis præterea oculi plerumque sunt adaperti. Qui contra sive lethargo, sive caro afficiuntur, clausis oculis, aut dormiunt, aut dormitare videntur. Distinguuntur insuper singulæ prædictæ affectiones ab omni animi deliquio; quum eorum, qui animo defecerint, pallet vultus, & membra frigescunt: in catalepticis autem, necnon etiam in apoplecticis, color, item & calor sanorum non absimilis esse solet.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Improbatur eorum praxis, qui lethargo, aut caro consopitos, torquendo, excitare contendunt.

INter Practicos antiquissimum, ac solemne præsidium censebatur in affectionibus universis soporosis ægrotos consopitos, torquere potius, quam excitare, eos non modo vehementer inclamando, verum etiam acriter vellicando, pungendo, eorum pilos convellendo &c., quo, ni fallor, effectui potius, quam morbi causæ occurrere studebant. Nos autem, ut pro lubitu dormiant, vigente affectione sinimus, curantes interim tum interioribus, tum etiam exterioribus, ut materia peccans, quæ talem morbosum soporem induxit, fovetque, quamocissime discutiatur, qua discussa vel sopor discutitur; & æger, qui jam convaluit, ex se ipso placide experrectus de clinica sævitie haud conqueritur, quin curationis lenitatem expertus, probat, & commendat.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN, ET PRÆSERTIM AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

Arteriotomia ad morbos profligandos censetur inutilis.

ARterias temporales ex Recentioribus sunt qui in morbis prædictis secare aggressi, id præsentaneum esse, & quasi aureum sopori morboso extenuando remedium fore, sibi suadent. Arteriotomia, penes nos, erit semper periculi plena, valde incommoda, & plane inutilis, quam sine successu utplurimum factam fuisse accepimus, & vidimus. Quocirca, quum sanguinem ex partibus cerebro propinquioribus educere velimus, cucurbitulis cervici appositis, aut hirudinibus naribus, vel secus aures admotis satius utimur. Et quum id non suffecerit, venas jugulares quandoque, raro admodum licet, solvendi potestatem fecimus, nisi cito, blande saltem, ac tuto mederi satagentes.

CAPUT XI.

De Comate vigili.

COma vigil, aliis pervigilium, idem est ac pene si dixeris soporem vigilantem; eoquod, qui comate vigili laborat, in somnum licet impense proclivem se sentiat, obdormire tamen revera neutiquam queat. Hinc oculis clausis in soporem quantumvis sese componat, adhuc tamen vigilans, atque irrequietus dies noctesque angitur, neque vel minimum unquam, morbo vigente, quiescit. Pervigilium iccirco, ut recte describatur, proferre possumus, *eam esse proclivitatem, vel propensionem in somnum vehementissimam, qua qui comprehenduntur, somnolenti licet semper, nequicquam tamen obdormiunt*. Ideo igitur differt a lethargo, quia, qui lethargo laborant, quodammodo semper dormiunt, levi licet de causa expergiscantur. At quos corripuit coma vigil, in somnum quantumvis proclives, revera aut semper, aut pene semper vigilant. Ideo differt a caro, qui a nonnullis propterea coma somnolentum vocatur, quia, quos caro invasit, arctissime dormiunt; at quos coma vigil comprehendit, aut numquam, aut propemodum numquam quiescunt. Præterea, qui lethargo, vel caro afficiuntur, sensuum tum internorum, tum externorum quemdam stuporem, ac levem saltem in motu torporem pati solent, quod in comate vigili observare adhuc nequaquam potuimus. Definitio.

Præter ea, quæ hactenus enumeravimus indicia, comate vigili corpus humanum vivens actu afficiti, commonstrat delirium quoddam, quod persæpe affectionem hanc comitari solet; quum in pervigilio clausis, aut saltem demissis oculis, plura fabuletur æger, brachia, & crura hinc inde jactitans incomposite. Adstantes quandoque, si oculos aperit, torve intuetur; eos maxime, a quibus aut inclamari, aut alio quovis pacto excitari se senserit; nauseabundus utplurimum, ac macilentus, quicquid ei in refectionem propinetur, respuit. Febrire solet. Vertiginibus obnoxius, phrenetitus, sive maniacus interdum evadit. Diagnosis.

Morbus hujusmodi, non secus ac præcedentes, ex nostra sententia, fieri potest idiopathice, Causa.

& sympathice. Idiopathice tum fieri autumamus, quum spiritus animales, sive succus nerveus quodammodo concrescat, una & acrimoniam contrahat. Concretus proclivitatem in somnum producit. Acris factus, fibras nerveas jugiter irritando præstat, ne revera unquam dormiat æger. Sympathice tum exoriri nobis videtur, quum absumptis in cerebro spiritibus, humor peccans extra cerebrum alterius cujusque partis membranas vellicet. Quo a Priscis haud longe distare opinor, pervigilium produci sibi suadentibus a vaporibus biliosis cum pituitosis immixtis, qui a partibus infernis ad cerebrum sese attollentes, somni propensionem, simul atque impotentiam faciunt. Quamobrem coma vigil describendo, proferre consueverunt, *proclivitatem esse in somnum cum dormiendi impotentia, ex vaporibus narcoticis exortam, somnum inducentibus, & mentem turbantibus*.

Prognosis. Vigilias omnes, utpote quæ volatiliorem, & balsaminam fluidorum partem dissipent, eorumque acrimoniam iccireo acuant, *voraces* non immerito dixit Hippocrates. Enim vero vigiliæ pervicaces vires ita imminuunt, infirmantque, una & carnem extenuant, ut maciem inducant; quinimmo & necem, senibus imprimis, moliantur. In comate vigili funesta præ cæteris esse solent spasmus, desipientia, mania, tussis, & præcipue sicca, quam phthisin, asthma, & pectoris hydropem non raro peperisse habemus.

Curatio. Pervigilio laborantibus aer frigidus nonnihil, æque ac humidiusculus melius contulisse semper visus est, quam calidus, & siccus. Victus nequaquam, quum id tamen fieri possit, valde tenuis præscribatur, quum vacuo ex inedia ventriculo, uti docet experientia, quiescere consopiti vix unquam valeamus. Pro potu decoctiones conveniunt hordeaceæ, avenaceæ, emulsiones ex seminibus, quæ vulgo frigida vocantur &c. Vinum quamsæpissime tametsi noceat, opportune tamen, ac parce identidem haustum, diutinum, ac contumacissimum evicisse pervigilium, experientia, & usus non semel præceperunt. Alvus de more quotidie respondeat, laxa potius, quam adstricta. Motus lenis fit, quum corporis non minus quam animi quies sopori blande conciliando plurimum juvet, non secus ac amicorum suave colloquium, musici concentus, canora vocis inflexio, aquarum decurrentium, ac confluentium blande obstrepens murmur, navigationes, vectiones &c. Si coma vigil ex aliarum partium extiterit consortio, tum partibus iis, quæ proxime afficiuntur, auxiliis medicis prospiciendum est. Si a sanguine exuberante, detrahendus. Si crapula præcesserit, aut victus non congruus, alvus clysteribus, item & purgationibus leniter eluenda. Si provenerit spirituum animalium, succique nervei vitio, id tum interioribus, tum exterioribus quamocissime eximendum. Quo in casu intus apprime conferunt blande narcotica, uti sunt emulsiones papaverinæ, decoctiones, infusiones, item & aquæ per distillationem elicitæ ex pæonia, lactuca, violis, & reliquis, quæ, usu atque experientia ducibus, somnum blande conciliant, una & humores concretos resolvunt; neque alia ex causa non improbamus confectio-

ctiones hyacinthinas, alkermes, theriacam, mithridatum, requiem Nicolai, & reliqua hujusmodi, tum maxime, quum conservæ rosarum immisceantur. Potio quandoque gelida, ex aqua etiamsi simplici, sive saccharo, & succo limonum non insuaviter parata coma vigil pervicacissimum discussit. Foris adhibenda veniunt fotus, balnea, pediluvia, cataplasmata interdum lacte confecta; quæ, crinibus abrasis, calvariæ superimposita, soporem, qui pluribus ab illinc diebus longe abierat, revocare non semel potuerunt.

Historia VII.

Quicquid, comate vigili medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

TUllius eruditionis Vir eximiæ, temperamenti calidi, & sicci, nimirum biliosi, modicæ staturæ, macilentus, alioquin optime constitutus, sobrius, frugique in omnibus; studiis tamen litterariis sedulo, solerterque prætermodum addictus, quintum, & trigesimum ætatis nondum compleverat annum, quum mense Junio, procul ab omni causa manifesta, ardentissima febre correptus, summum quasi obiisset diem, nisi die morbi nona sudor critice superveniens febrem eam plane omnino restinxisset. Is autem, a febre licet immunis, numquam bene convaluit, quinimmo & diebus inde aliquot exactis iterum febrire cœpit, diu, noctuque irrequietus. Febris adeo lenis erat, ut vix a calore, & pulsu deprehenderetur. Nihilosecius identidem delirans, clausis oculis in somnum licet valde semper proclivis, vigilans tamen, numquam vere obdormire poterat. Quinimmo vigilans, & somnolentus, motus, & sensus omnes, tum interiores, tum exteriores penitus, uti prius exercebat. Ex quo pervigilio diu tentatum iri satis jam suspicabar, eo præsertim adductus, quia id coma originem sane duxisse conjeceram ab humoribus quibusdam crassis, acribusque in vasis, ob eam febrilem, quæ præcesserat, vehementissimam excandescentiam, abunde congestis, ac per tubulos hinc inde cerebri potissimum fluitantibus. Indito prius igitur ex aqua simplici salita leni enemate, ac ad uncias aliquot ex hæmorrhoidibus sanguine mox educto, potionem hanc A statim sumendam gelidissimam ei confecimus, curantes interea, ut sub vesperam ejusdem diei horam circiter in frigidiario, aliquantulum antea calefacto, immersus degeret. At quum id, ad dies plures assidue quamvis renovatum esset, in irritum tamen semper cessisse constaret, ad narcotica devenimus; quæ quum per os propinata valde hisce in circumstantiis nobis essent suspecta, ea clysteribus ex sola decoctione florum papaverum rhæados, aqua hordei paratis, bis in die immittebamus. Verum quia nausea superveniente a cibo prorsus abhorrebat, atque languens inedia pene confectus defecerat, vini meracioris cyathum cochleatim ei propinavimus; quo pervigilium istud, etiamsi pervicacissimum, tandem evicimus; eo quippe hausto ad horas plures placide obdormivit, insudavitque; atque experrectus se omnino convaluisse cognovit.

A ℞. *Semin. melon. unc. j., papav. alb. dragm. iv., aqu. fonch. lib. j. M., f. emulf. S. A., & adde Syr. violat. violac. unc. j., cap. ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit incubus.

INter affectiones, quæ somnum turbare solent, & eam connumerare consueverunt Auctores, quæ vulgo *Incubus* nuncupatur, quæque profecto nihil aliud est, præterquam *respirationis interceptio, quæ in consopitis falsam elicit cogitationem rei cujusdam gravis incumbentis, & thoracem valide comprimentis, ac veluti suffocationem inducentis*. Talis affectio mulieres præ cæteris hystericas noctu inter somnum infestare solet. Fit ut plurimum tum quum ob sanguinis copiam fluidorum motus circularis per pulmones obdormientibus quodammodo præcluditur; qui propterea, quoniam facile restituitur, efficit, ut incubus ad breve tempus plerumque perducatur, & periculo vacet. Nihilominus, raro admodum licet, ægrotantem extinxisse fertur.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Opiatorum, & vesicantium usus in comate vigili curando.

DUO potissimum ratione therapeutices in comate vigili animadvertenda occurrunt. Unum est, comate vigili evincendo præsens, & perquam idoneum remedium prima facie opiata videri. Alterum est, sinapismata, & vesicantia, quoniam irritant magis, plane contraindicata censeri. Coma vigil in lethargum insolubile, neque sine maximo Clinici Professoris probro, ex usu, leni licet, narcoticorum, cessisse nonnumquam vidimus. Qui pervigilio laborant, obdormire quamvis nequaquam possint, spiritibus animalibus, volatilioribus saltem carere videntur; qui, si rebus soporiferis magis adhuc obruantur, nil mirum si sub finem morbi lethargo tandem omnino opprimantur. In quo adnotandum adhuc superest, non modo opiata per os ingesta, verum etiam clysteribus injecta, veternum lethale hisce in casibus non semel accersisse. Vesicantia, & sinapismata, etsi ex iis, quæ de eorum natura ante jam exposuimus, non injuria inferre quisque debuisset, plurimam pervigilio affectis noxam semper moliri; attamen experientia ducti fateamur, necesse est, ea saltem aliquando vel in hac affectione, partibus præcipue infernis admota, mire profuisse, nescio an quia, humores concretos solvendo, somniculosam ignaviam subduxerint, an quia spiritus irritantes a cerebro submotos aliorsum devexerint, an quia materiam peccantem ex ulcere inducto egesserint, an aliis pluribus ex causis, quas ingenii nostri tenuitas attingere nondum potuit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

In morbis aliquibus extenuandis vini usus, optimum.

ÆGrotantibus non modo, verum etiam sanorum plerisque usum vini quotidianum, nostris saltem in Regionibus, plurimum semper obesse licet existimaverim; non est tamen, quod a vino clinicem exercens adeo abhorruerim, ut illud vel in febribus profligandis, extenuandisque, tamquam optimum remedium unquam non exhibuerim. Quamsæpissime, & maxime in Nosocomiis, febrientes nonnullos labe maligna pene confectos, quum reliqua Artis universa præsidia nullatenus processerint, meraci haustu, qui organorum facultates obrutas excitavit, sani-

sanitatem prorsus dejectam, ac vitam plane quasi deletam restituimus. De vino id tamen imprimis adnotandum, cerebro, item & nervis, vi quadam, qua pollet narcotica, simul & irritanti, valde semper officere posse; necnon etiam in febribus ex inflammatione ardentibus, impensius quamvis appetatur, noxam plurimam quoque semper, quantum scimus, intulisse.

CAPUT XII.

De Phrenitide.

PHrenitis, si nominis etimologiam spectes, omnes licet mentis emotiones complecti videatur, passim tamen in Re medica, pro ea delirii specie unice usurpatur, in qua *vehementer delirat æger cum febre acuta, pervigilio, furore, risu, clamoribus, altisque vehementioribus symptomatibus*, quorum, nisi omnia, pleraque saltem phrenitidem comitari solent. Cum *febre* dicimus *acuta*; etenim, si a febre immunis licet, ita, uti ante monuimus, adhuc deliret, tum nuncupatur *maniacus*; & delirium, quo procul a febre laborat, proprie dicitur *mania*, de qua inferius. Definitio.

Phrenitis, quæ præsens est, ex dictis luculentissime patet; eam vero imminere, quæ insequuntur prædicere queunt. Respiratio nimirum in febribus magna, quam veluti ex imis visceribus anxie depromere videtur æger. Facies impense rubicunda; quæ ob sanguinem nimium in vasa quandoque confluentem intumescit. Oculi lucidi, qui coruscare quodammodo deprehenduntur. Pulsus frequens, celer, & magnus. Sitis perquam molesta, lingua arida, fauces perquam exhaustæ, &c. Diagnosis.

Phrenitidem exoriri posse, ut edocuisse Veteres habemus, ex inflammatione meningum, haud inficiamur. Id tamen minime tamquam causam proximam, verum tamquam remotam proprie respicimus; quum veram phrenitidis originem aliunde expromere, nonnisi a prava quadam sanguinis, æque ac spirituum animalium excandescentia, rationi consonum nobis videatur; qui in furorem propterea, ut ita dicam, acti tumultuari, atque hinc inde procul ab omni lege in cerebro, & per nervos excurrentes, modo hac, modo illac temere evagari incipiunt. Hinc sane cogitationes inconcinnæ, dicta non congrua, motus inconditi, eaque demum omnia; quæ, quia rectæ rationi nequicquam cohærere videntur, ægrotantem desipere, ac delirare ostendunt. Præfatus spirituum animalium phreneticus, ut ita dicam, qui phrenitidem proxime inducit, æstus, excitatur non modo cerebro inflammato; verum etiam reliquis quandoque, diaphragmate præsertim, inflammatis visceribus; quod facit, ut vel ipsa phrenitis, & idiopathice, & sympathice procreari possit. Ea autem phrenitis, quæ diaphragmate inflammato sympathice oritur, *paraphrenitis* vulgo nuncupatur. Causa.

Phrenitis morbus esse solet peracutus, ac periculi plenus, qui, nisi propediem solvatur, septem dierum circuitibus ad summum interimit, tum quum maxime tenuis, incocta, ac limpida profluat urina. *Quibus urinæ albæ sunt, & perspicuæ, malæ, præsertim vero quæ in delirantibus apparent* ex Hippocrate. (a) Pessima sunt in phrenitide desipientia maxima, Prognosis.

(a) *Aph.* 72. *Sect.* 4.

vigiliæ pervicaces, vomitus vehementiores, ii potissimum, qui aut bilem, aut atrambilem, aut recrementa nigricantia abunde, atque ingenti egerunt cum angustia, horror, item & rigor quum supervenerint. Pessimum est quoque si delirando æger jam phreneticus floccos, aut festucas ex stragulis carpere, vel linteorum plicas explicare contendat. Adolescentibus, quam senibus facilius longe discutitur. Ubi inedia, aut marasmoide affectis ingruerit, pene deplorata haberi debet. Contra, quum in phrenitide delirium sedaverit sopor, salva res erit ex eodem Hippocrate (a). Phrenitidem plerumque solvit, vel urina abunde excreta, vel sanguis, ex naribus præcipue, sponte emanans.

Curatio. Phrenitidi cohibendæ aer purus, temperatus, frigidiusculus potius, quam calidus juvat. Victus, qui facile digeratur, refrigerans, atque humectans, tenuis tamen, non tenuissimus, convenit; phrenitidem quippe plurimum inedia exulceratam fore interdum conjecimus. Potus refrigerans sit, quinimmo & nonnihil subacidus spirituum animalium fervorem nimium compescit. Somnus blande, si fieri potest, concilietur. Libera sit alvus. Animi sollicitudines universas, eas imprimis, quas salacioribus præ cæteris facere consuevit semper libido, pro viribus avertere oportet. Clysteres satius, sordibus ventris sine turba eluendis, quam purgationes, nisi admodum lenes sint, in phrenitide, utpote quæ viscerum inflammationem plerumque conjunctam habeat, adhibendos ducimus. Spiritibus animalibus intime percitis leniendis, sedandisque, vena iterum, atque iterum opportune soluta mirifice contulit. Conferunt quoque opiata, potiones uberrimæ, decoctiones acidulæ, necnon etiam paullulum nitratæ, serum caprinum, aut destillatum, aut depuratum, aut rebus idoneis medicatum &c. De opiatis id potissimum monitum velim, ne viribus plane fusis propinentur; phrenitis nempe, non secus ac pervigilium, uti ante jam innuimus, eo in casu, narcoticorum usu, licet blandiori, in arctissimum veternum persæpe commutatur. Balnea commendamus, pediluvia, cataplasmata, lacte præsertim parata, atque abrasæ calvariæ, uti in comate vigili quoque diximus, modice tepentia superimposita. Improbamus autem sinapismata, vesicantia, eaque omnia; quæ corporis humani viventis organa concitant, nervos irritant, fermentationes augent, fluida coinquinant, eorumque acrimoniam exacuunt.

Historia VIII.

Quicquid, phrenitidi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

ALcestes vir ingenuus, annos quatuor & viginti circiter ab illinc natus, temperamento calido, siccoque, idest bilioso præditus, modicæ staturæ, gracilis tamen, aspectu venustus, postquam in ludis litterariis, æque ac equestribus sese diu exercuisset, iter facere in plagas longinquas aggressus, ac in Patriam tandem reversus nuncium permolestum de Phyllide, quam ipse in extremis Regionibus deperierat, ex tradita sibi epistola accepit. Hinc amore inani percitus, suique propemodum oblitus, ac inedia pene confectus, tabe cupidinis propediem interire videbatur. In hoc rerum statu, ardente syrio, ardentissima febre correptus deli-

(a) Sect. 2. aph. 2.

delirare cœpit; ac furibundus tantâ demum agitur vesania, ut dies noctesque assidue pervigil modo acerbe plorans, quinimmo & quandoque ejulans, in lacrymas solvitur, modo subinde, ac si præ nimio gestiret gaudio, in risum funditur, modo, veluti sibi insensos torve circumspiciens adstantes, minitabundus variis in eos invehitur conviciis. Quicquid profert rationi minime consonat. Plurimum sitit. Splendent oculi. Rubore undique suffusæ intumescunt genæ. Perquam tenues emittit urinas, easque perexiguas, ac rubicundas. Pulsus, mollis quamvis, & quodammodo undosus sit, alte tamen, frequens, una & enormiter micat. Dies est morbi tertia, ex quo Alcestes adeo delirans, ac plane furens nobis sese tractandum commisit; omnem antea quippe operam medicam, quin & victum ipsum, præter aquam simplicem, quam ut ardentissimam, qua impense angebatur siti, expleret, pro lubitu hauriebat, obnixe rejecerat. Eam igitur, quam non invito forbere consueverat aquam, ita, ut insequitur, in A, medicari cœpimus, eamque vel gelu quasi concretam, eoquod maxime æstuaret, ut perhiberet, copiam fecimus. Interim uncias aliquot sanguinis ex hæmorrhoidibus, quæ pridem intumuerant, eduximus; necnon etiam fervidam hypochondriorum tensionem, quæ vel tactu percipiebatur, fotibus ex lacte modice tepentibus ita, ut in B, paratis, subigere studuimus. Die quarta sub vesperam Alcestes paullulum conquievit. Expergefactus adeo demens ut antea haud videbatur; mortem siquidem proximam pertimescens, ac languore pene confectum sese sentiens, ut sibi præsto forent, ab omnibus exposcebat. Quamobrem, clystere C prius injecto, potionem hanc D, sopori blande conciliando, æque ac in refectionem ei confecimus. Præfatam potionem hausit, & antequam prædictum clysterem rejecisset, placide obdormivit. Uberrime sudavit. Ingentem urinæ copiam excrevit, ac alvi torminibus subinde excitatus, bilem plurimam per inferiora dejecit. Mox iterum obdormivit. At oriente Sole experrectus, a febre non minus, quam a delirio, quibus adeo vehementer eatenus tentabatur, hilari, pacatoque animo penitus evasit; exucens tamen, enervis, ac pene excarnis, perinde ac si longe diutius ægrotasset. Quæ res effecit, viribus fractis resocillandis, ne cibis non congruis magis adhuc opprimeretur, ut nihil aliud ad dies aliquot, permittentibus nobis, præter optimam cocholatam lacte cum recenti ovorum vitello subactam, ac frustula panis optimi triticei per segmenta concisa de more torrefacta ei propinatum esset. Cocholatæ margaritarum insuper addidimus dragmam, quam ter in die antelucanis, meridianis, ac vespertinis horis, pro jentaculo nimirum, prandio, ac cœna sorbebat. Et quoniam plurimum adhuc sitiebat, ut aquam frigidam levi optimi cinnamomi infusione, una cum sufficienti sacchari clarificati portione non insuaviter paratam, utut ei libuisset, identidem hauriret, indulsimus. Hac methodo in pristinam sanitatem brevi restitutus, tuto, cito, ac blande convaluit.

A ℞. *Succi limon. unc. ſs., nitri depur. dragm. i., ſacch. clarifi. q. ſ., aq. communn. ex levi cortic. citr. infuſ. parat. lib. j. m. pro potu gelid., ut mon.*

B ℞.

B ℞. *Flor. sambuc.*, *viol.*, *camom. ana. q. s.*, *lact. caprin. pariter q. s. m. pro fotibus tepent.*, *ut m.*

C ℞. *Flor. rhœad.*, *folior. malv.*, *viol. ana. q. s.*, *aq. hord. pariter q. s. m. f. decoct.*, *& adde mell. comm. unc. iv. pro clys. ut m.*

D ℞. *Sem. melon. unc. i.*, *pap. alb. dragm. ii.*, *aq. nucer. lib. i.*, *m. f. emul. S. A.*, *& adde syrup. viol. violac. unc. ij.*, *& cap. frigid. ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid proprie significent delirium, & phrenitis.

PAssim pro delirio phrenitis indiscrete usurpatur. Nihilosecius delirium in Re medica proprie est genus, atque adeo tamquam delirii species phrenitis in morbis habenda foret; delirium quippe qualemcumque denotare valet mentis emotionem, quæ tum a phantasia, tum a ratiocinio depravatis proveniat. Hinc indiscriminatim insaniam modo designat, modo amentiam, modo desipientiam, modo mentis, ingeniique stuporem, modo melancholiam &c., sive a febre, sive alia quavis de causa producantur; de quibus universis egregie præ cæteris Vvillisius, quæque in nobis, aut cerebri vitio organico, aut vitio spirituum animalium, succique nervei, sive proximo, sive, ut ita dicam, remoto, extare possunt. Iccirco, non secus ac plæreque aliæ affectiones, delirii species præfatæ in genere dividendæ sunt in organicas, & humorales. Humorales longe facilius, quam organicæ utplurimum solvuntur, neque tantum habere solent periculi.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quare margaritæ ægrotantibus quandoque præberi possint.

NON alia de causa, nisi quod lactis acidum, si foret, absorbuissent, margaritas præparatas cum lacte immiscuimus; quod propemodum & nos consequi potuisse reor, si in margaritarum locum vel oculos cancrorum in pulverem redactos, vel terram nucerianam, vel cornu cervi ustum, hisque similia longe viliora absorbentia substituissemus. Attamen non inficior, & margaritas, & alia hujusmodi non vulgaria præsidia, tacita quadam vi aliquid aliud longe nobilius intus, deglutita præstare posse ratione sanitatis tum conservandæ, tum reparandæ in corpore humano vitam habente. At enim vero si quid aliud revera præstent, id nobis nondum innotuit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Num inflammationibus sedandis gelida conveniant, necne.

HUmoribus ob fermentationem nimium excandescentibus, nisi viscerum adsint inflammationes, cohibendis, potiones gelidas plurimum idoneas fore, usu atque experientia nos interdum assequuti fuimus. Quicquid autem Neapoli succedat, Romæ saltem in pleuritide, peripneumonia, nephritide, atque hepatitide, funestas pene semper fuisse conjecimus. A si colicam, volvulum, choleram aqua vel gelu concreta, tum intus, tum foris propinata, atque admota, prout vel ipse observavit Hippocrates, quandoque discusserit, id tum feliciter contigisse credimus, quum affe-

affectiones prædictæ intestinorum inflammationem sibi conjunctam neutiquam habuerint.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

De nitri usu in Re medica, & quid per nivem gelidis conferat.

NItrum est sal quoddam, quod passim in locis humidis, ex ruderibus præsertim, aut cum veteri calce immixtis, aut cum urina diu, ut ita dicam, maceratis concrescit. Si sensibus credendum, particulis quibusdam partim volatilibus, partim fixis congregatur, quarum aliæ acidum quoddam gustui præseferunt, quo maximum fluidorum æstum nonnihil compescendo blande refrigerant. Et quoniam serum quoque sanguinis fundit, sudorem, æque ac urinam leniter promovet. Dosis in adultis est a granis xij. ad dragmam unam. A Chymicis varie præparatur. Usitatius est inter Clinicos illud, quod dicitur depuratum. Antiquissimus in Re medica, & solemnis etiam Priscis fuerat nitri usus. An autem Priscorum nitrum idem sit cum nitro, quo recens utimur, res in dubiis adhuc versatur. Verum, si plura de nitro scire quispiam velit, Donzellum adeat, Ettmullerum, Lemery, cæterosque, qui de nitro ex professo verba fecerunt. Eo præsertim nos utimur, ubi fervor febrilis prætermodum excandescat, neque tamen in morbi principio, neque priusquam materia peccans percocta, subacta, ac pene digesta separationis quædam non ambigua præbuerit indicia; siquidem, quum cruda adhuc fuerit, tenuiorem lympham in sudorem, atque in urinam educendo, morborum pervicaciam auget potius, quam imminuit. Cæterum, si quid unquam in morbis extremis hodiernus aquæ gelidæ, nescio an dicam usus, an satius abusus, profecerit, id sane non modo aquæ facultati, quæ, diluendo, salia intus concreta solvit, eaque egerit; verum etiam nitrosis, ut ita dicam, effluviis, quæ a nive circumfusa, vasis, ubi congelatur; sibi abripuit aqua, adscribendum ducimus.

CAPUT XIII.

De Mania, Cynanthropia, & Lycantropia.

Definitio.

EX nominis etymologia idem erit *maniam* dicere, prope ac si *furorem*, sive *insaniam* dicas; neque aliud esse videtur, quam phrenitis sine febre; quæ iccirco vulgo describitur, *delirium esse maxime furens cum alienatione mentis procul a febre*. Quapropter nonnisi febre a phrenitide distat mania. Tanta quandoque vesania aguntur maniaci, ut furibundi hac illac excursitent, fera intus perciti libidine mordendi, lacerandi, dilaniandique, pene ac si canes essent rabidi, lupique rapaces. Quo in casu maniacus vocatur vulgo *cynanthropus*, sive *lycanthropus*. Cynanthropus a cane rabido. A lupo furenti lycanthropus. Et quoniam tum, noctu præsertim, in vicis interdum, in compitis, in foris publice, ac temere concursantes debacchantur, vulgata inter mulierculas invaluit fabella de *dæmone canino*, aut *lupino*, vulgo penes nos Italos *lupo manaio*, idest *lupo maniaco*.

Diagnosis.

Mania, quæ præsens est, facile deprehenditur, quum, qui tali morbo laborant, adeo in furo-

rorem plerumque aguntur, ut ferarum in modum efferati sibi obvios immaniter invadant, nec amicis, nec parentibus parcentes; quos audacter aggredi, & lædere dentibus, manibus, pedibusque contendunt, mansuetudinem nonnumquam licet mentiti: atque gestientes exultent, sive ovantes hilaritatem ridendo, saltando, canendo præseferre studeant. Interdum mirum in modum corporis exagitant membra. Aspectu interdum turbulenti, æque ac oculorum acie torvi, intentique, necnon etiam inverecundi, ac meditabundi, aliquid secum mali infensique intus moliri videntur. Vigilias quantumvis contumacissimas pervigiles plerique citra noxam perferunt. Inedia, licet diutina, aut nihil, aut parum leduntur. Tempestatis inclementiam, omnesque aeris tum diurni, tum nocturni injurias subdio aspernati, vegetioribus, quas non impune provocaveris, viribus pollent &c.

Causa. Non secus ac phrenitis, ex nostra sententia, consurgit mania ob motum quemdam tumultuarium, ac pene dicam enormem, quo spiritus animales in cerebro per substantiam medullarem ejusdem cerebri, sive centri ovalis temere hac illac vehementer concitati, pravas suscitant cogitationes, ac motus provocant membrorum inconcinnos. Verum, quoniam maniaci haud febricitare solent, inferre non erit abs re, sanguinem in maniacis immunem ab iis recrementis fore, quæ fermentationem febrilem procreare, & fovere valent. Quinimmo potius opinari juvabit, causam, quæ affectionem maniacam proxime inducit, sitam esse in labe quadam organica ipsius cerebri, qua spiritus animales in eadem cerebri substantia prætermodum incalescunt, ebulliunt, effervescunt, & debacchantur. Enim vero maniam ntplurimum insequutam esse habemus aut vehementiores iracundias, aut metum, aut diutinos amores, aut zelotypiam, aliasque mentis impensas sollicitudines, animique emotiones; in quibus, præ cæteris visceribus, cerebrum impensius afficitur, & validius quasi concutitur.

Mania, quæ altas egerit radices, curatu perquam difficilis; quum, quæ in cerebro jam impressa reliquerit vestigia, deleri vix unquam posse, censeamus. Si maniacus ad plures dies pervigil somnum nequaquam sibi conciliare quiverit, id maniam pene insanabilem fore indicat. Desipientia in maniacis quo major, eo pejor. Cum risu non adeo mala. Cum temeritate, propemodum insolubilis. In maribus sanguine ex hæmorrhoidibus, in fœminis ex pudendis profluente, eam solutam nonnumquam fuisse liquet. *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio*, ex Hippocrate (a). Maniaci non raro vere stulti perenniter fiunt; aut saltem in melancholiam maxime semper proclives, in veram maniam ex intervallo quamsæpissime relabuntur. Prognosis.

Maniacis curandis aer confert temperatus, ad humidum, frigidumque potius inclinans. Victus, confert quoque tenuis, humectans, refrigerans, & quandoque subacidus. Motus, corporis videlicet exercitatio, lenis esse debet. Sopor & arte conciliandus. Universæ animi sollicitudines, & præcipue molestæ, qua- Curatio.

(a) *Sect.6. aph.21.*

quantum possit, arceantur. Purgationes, nisi placidissimæ sint, abluentesque, plurimum semper nocuisse conjecimus. Sanguis ex partibus infernis emissus furoribus potissimum maniacis leniendis, cohibendisque valde conducit. Conducunt in eumdem finem alterantia, quæ diluunt, humectant, emolliunt, refrigerant, ac soporem blande alliciunt. *Blande*, inquam; maniaci quippe, temporis processu, spiritibus exhaustis, in lethargum proni evadunt; qui propterea accersitur, si narcoticis obruantur. Aquam dulcem, vel gelidam, large haustam mirum in modum hisce in casibus profuisse non semel experti sumus; item & balnea, quæ tamen modice sint tepentia; quum eorum praxin, qui perquam frigida adhibere balnea consueverunt, plane semper improbavimus.

Historia IX.

Quicquid, maniæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

LUcius Eques hispanus, annorum trigintaquinque circiter, optime constitutus, ad temperamentum calidum, humidumque, sive sanguineum vergens, facultatibus florens, lacertosus, fortis, ac vegetus, opipare vesci solitus, ac vino plurimum indulgens, nubilem puellam postquam amore diutino, perdite non minus, quam plane incassum prosequutus est, desperans omnino, sub exitum æstivi temporis, maniacus evadit. Is quippe delirans; ac plane furens hac illac vel nudus subdio per Urbem inverecunde evagatur. Quoscumque, qui sibi obvii occurrunt, torve intuetur, eosque pugnis, & calcibus aggreditur. Pervigil, diu noctuque neutiquam quiescit. Vociferatur, inclamat, conqueritur, sese hinc inde variis in modis exagitans. A febre tamen prorsus immunis optime se habet in reliquis. Non respuit oblata. Alvum de more exonerat. Urinas opportune excernit. Ex quibus omnibus maniacum ex nimio amore factum fuisse Lucium abunde conjicientes, ut maniacum illum tractare cœpimus. Compedibus igitur adstrictus, ac verbera reformidans adstantibus morem gerere tandem edidicit. Dies erat ab initio morbi septima, ubi Lucium ita insanientem curare aggressi, alvo prius, ea, ut insequitur A, ratione, blande soluta, atque hirudinibus recto intestino admotis, ut sufficiens sanguinis quantitas profluueret, ad libras nimirum circiter duas, sivimus. inde, ut aquam gelidam diluculo jejunis faucibus, ad libras octo per vices ex intervallo ad dies plures, quotidie hauriret, constituimus, quam commode, citoque per alvum, atque in urinam egessit. Balneis interim hora ante prandium, & ante cœnam aquæ dulcis modice tepentibus utebatur. A vino prorsus sese abstinuit. Vini vice aquam gelidam cum succo, & corticibus citri non insuaviter paratam; prout ei liberet, quamsæpissime sorbebat. Cucurbita, quam vulgo *bijpanam* vocant, foliis acetosæ, grossularia, ac vitello, item & albo infimul quassatis ovorum liquore, vescebatur. Victus tenuis licet, non tenuissimus erat; etenim inediam, uti ante jam innuimus, citra virium languorem diu quamvis perferant maniaci, eorum tamen furor, & ferocia humoribus per inediam magis magisque in cerebro extenuatis, veluti per gradus in dies exasperantur. Præter id in ea Lucii adeo

adeo perdite insanientis potius, quam amantis vesania, nihil aliud fecimus. Nihilosecius paulatim subinde semper in melius res processerunt, ac diebus a curationis primordiis quindecim vix exactis, plane convaluit.

A ℞. *Rhabarb. elect. dragm. j., crem. tart. dragm. ij., mann. elect. unc. ij., aqu. comm. q. s. m., f. infus., & macer. S. A., & adde sem. melon. unc. j., f. emuls. solv., colet., & adde mell. bispan. unc. ij., cap. in Aur., cui superbib. per vices ex intervallo opt. aq. comm. lib. viii., & ultra, si libeat.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Opinio Galeni ratione causæ maniam efficientis.

VEteres præsertim ex Galeno maniam extare opinabantur a calida cerebri intemperie; quæ penes eos, utpote concitata modo a bile flava assata, modo a sanguine immodice effervescente, præstare potest, ut maniaci vel feroces evadant, vel insana lætitia quasi furentes prætermodum efferantur. Flava bilis assata, quæ in cerebrum ex eorum mente assurgit, feritatem in maniacis facit. Sanguis nimium in eodem cerebro excandescens exuberantem hilaritatem producit. In cerebro dicunt, ratione febris, quæ in maniacis haud percipitur; nam si fervor sanguinis adeo vehemens ex cerebro per universas corporis humani regiones effunderetur, fieri minime posset, quin & in eorum sententia febris succenderetur ardentissima. Id autem, quibus motus sanguinis circularis deinceps innotuit, non ex facili suaserunt.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit rabies ex morsu rabidorum contracta, & quo pacto curari debeat.

INter maniacos connumerandi veniunt quoque qui in furorem acti, eam pessimam, quam ex morsu canis rabidi sibi contraxerint rabiem, exercent. Hi vulgo Medicorum *Hydrophobi* nuncupantur; hydrophobia tametsi symptoma, quod ex eo delirii genere suscitatur, denotet potius, quam delirium ipsum, sive rabiem maniacam, unde suscitatur. Etenim tum canes rabidi, tum quilibet alii, quos rabidi canes momorderint, aquam ipsam, quam quandoque sitientes vehementer appetunt, abhorrent, & reformidant. Hydrophobiam quippe dicere idem est, pene ac si dicas, *aquæ metum*. Canes non modo, verum etiam & reliqua omnia animalia, vel homo, talem sibi ex rabie aut ingenitam, aut ab aliis nactam labem, aliis mordendo impertiri valent. Quomodo autem eam impertiantur, id perquam difficile semper fuit exponere. Nihilominus iis nobis assentiri placuit, qui non secus ac viperæ venenum, animalis rabidi virulentam, infectamque salivam, inflicto per morsum vulnere, humoribus infundi, eosque coinquinare, atque universum nervorum genus, aut mox, aut processu temporis lædere arbitrantur. Num autem ex rabidorum recrementis, ex lotio præcipue, ac saliva rabie fœdatis, quamplurima venenosa suscitentur animalcula, quæ per cutem dentibus laceram intus in vasa traducta, universam in rabidis perniciem moliantur; id licet a pluribus, tum

tum Veteribus, tum Recentioribus proferatur, nondum abunde liquet. Liquet tamen, rabiei ex morsu contractæ seminium ad menses, & annos plures, prius quam excitetur, veluti consopitum in visceribus latitare. Quamobrem, ut prænoscatur, num quis ex morsu animalis rabidi, rabiem intus exceperit, advertendum est, an animal, quod momordit, rabidum revera fuerit, quæ res cognitu perquam facilis est: ex nausea nimirum, qua canis præsertim tum exculenta, tum potulenta plane adversatur: ex glutinosa, spumeaque quadam, quæ ab ore, & naribus affluenter profluit, materia, ex mœrore, & furore quodam insueto, quo canes rabidi mœsti, macilenti, irrequieti procul ab omni lege debacchantur, torve intuentur, & quemcumque sive notum, sive ignotum, vel ipsos familiares, & domesticos, qui obviam sibi occurrunt, impingunt, & lædunt. Quum rabies in læso inceperit, plurima sese proferunt indicia ex eo, quod qui a cane rabido ictus pridem fuit, citra causam manifestam irascitur, languet, torpet, sibi, atque aliis molestum evadit, varia obmurmurat solus, lucem abhorret &c. At, quum rabies invaluerit, &c, ut ita dicam, adoleverit, tum ad hæc accedunt convulsiones, phrenitis, mania, hydrophobia, & reliqua, quibus quandoque ferarum, quæ eos infecerunt, immanitatem æmulantur. Raro admodum a cane rabido demorsus, quum labem virulentam jam exceperit, evadit, multoque minus, quum excepta labes intus diu delituerit; neutiquam vero tum, quum vulnus morsu inflictum, prius quam venenum una cum sanguine uberrimo profluente penitus emiserit, cicatricem induxerit. Triduo, aut quatriduo, postquam hydrophobia corripuerit, decedere ut plurimum solet; interdum ardentissime febriens, interdum contractionibus spasmodicis accedentibus, a febre licet prorsus immunis. Quamobrem, ut vulnus recens labem omnem extrudat, enixe curandum; in quem finem partibus proximis apposite devinctis, & crebro, ac alte scarificatis, cucurbitulæ, quæ contagionem quantocius educant, apponendæ; saliva interim per morsum cuti ex rabido inhærens, illico abluenda. Vulneri sunt qui postmodum, neque perperam, ut vel ipse opinor, aut theriacam, aut mithridatum, aut cæpas, aut allium, aut rutam hortensem contusam per modum cataplasmatis imponunt, aut sonchium, aut flores hyperici, vincæ toxicum, gentianam, & reliqua ejusmodi, quibus vim alexipharmacam adscribunt, cum vino generoso, aut spiritu vini, aut balsamis &c. In quo tamen caute incedendum, ne ulcere rebus præfatis balsaminis immature superimpositis exiccato, virus immissum intus coerceatur; quod, quum semel humores infecerit, tametsi præsidia omnia, etiam validiora, quæ hisce in casibus propinari solent, ingerantur, perquam ægre discutitur. Cæterum quicquid pro febribus malignis resolvendis ante proposuimus, & hic tum intus, tum foris propemodum conveniunt; præter sinapismata, & vesicantia, quæ tamen tum, quum æger diu consopitus lenioribus excitari haud possit, partibus internis apponere non erit inconveniens. Hisce in casibus præ cæteris ad expugnandam perniciem intus illatam optimo cum successu usi fuimus oleo

tum

tum communi, tum amygdalarum dulcium recenti, quod copiose ter, quater, item & quinquies in die propinavimus; quo & in Nosocomio S. Jacobi Incurabilium Urbis non modo rabiem, verum etiam & labem a viperæ, ac tarantulæ morsu intus exceptam, prorsus extenuatam non semel vidimus. Haud iniquo finimus animo, ut ex improviso in aquam frigidam submergatur hydrophobus; fieri quippe potest, ut metu suffocationis incusso, atque universis organorum facultatibus ob talem metum perturbatis, una cum tanta rerum eversione, & virulenta pravitas eversa, ex visceribus tandem expungatur. Sunt qui & ferro insuper candenti partem laceram inurunt, id pro præsenti atque aureo remedio prædicantes; quod tum potissimum, quum tractu temporis immineat gangræna, non improbandum ducimus. Ne tamen statim fiat, antequam videlicet abunde ex vulnere sanguis effluxerit, monemus.

CAPUT XIV.

De Melancholia.

Definitio. NIhil aliud esse videtur melancholia, quam *delirium, sive potius desipientia quædam tristis, diutina, & contumax, a furore, æque ac a febre prorsus immunis*. Melancholia dicta est, non ut vulgo creditur, a mœrore, quem affert, sed ab humore melancholico, unde ortum ducere olim credebatur. Eam cum Veteribus non perperam fortasse describere consueverunt nonnulli, *delirium esse* affirmantes *procedens a phantasmatibus melancholicis, quo, qui detinetur, mæstis inhærens cogitationibus, neque furens, neque febriens, in mœrore aut continuo, aut prope continuo versatur*.

Diagnosis. Qui tali morbo tentantur, vivunt ut plurimum inertes, mœsti, & procul ab omni vera causa propemodum semper meticulosi. Quinimmo terrificis, intentisque cogitationibus fere semper infixi, & adeo quandoque vitam ipsam pertesi, ut vivere diutius tædio habere videantur, solitudine gaudentes, quam subinde abhorrent. In lacrymas persæpe sese fundentes, quidnam sibi mali unquam acciderit & ipsi ignorant. Interdum vero ridendo, canendoque maximam mentis inconstantiam in rebus ostendunt. Plerique insomnes sunt, mœrentes, inquieti &c.

Causa. Ex pravis animi affectibus, quos melancholia inducere consuevit, inferre debemus, eam ab humoribus quibusdam acribus, item & crassis, atque, ut ita dicam, vappescentibus exoriri; qui, una cum succo nerveo, nervorum principium stimulent, & spiritus animales intus in cerebro irretire adeo valeant, ut ægrotantes desides, eosque torpidos, irrequietos, morosos, sibique metipsis exosos, infestosque, amentes, desipientes, necnon etiam in metum, atque mœrorem pronos efficiant. Quo non procul a Veteribus distare videmur, melancholiam fieri sibi suadentibus ab intemperie cerebri frigida, & sicca, sive potius a vaporibus in vasis meseraicis elicitis ab atrabile, atque in modum nebulæ, sive caliginis ad cerebrum provectis, atque exaltatis.

Prognosis. Inter morbos chronicos pervicacissimos non injuria recensetur melancholia, quæ curationem hactenus vix admittere quivis

vit ullam; quinimmo & curando ea plerumque exulceratur. Hinc Medicorum flagellum, atque opprobrium non immerito passim vocitatur. In epilepsiam quandoque transit, apoplexiam, & paralysin. Qui melancholia afficiuntur, maniaci passim evadunt, quod vere, atque autumno præcipue contingit.

Curatio. Aer lucidus temperatus, zephyro, aliisque ventis salubribus perflatus; victus humidus, optimi succi, concoctuque facilis, exiguus, non tamen perexiguus, melancholicis convenit, quum æque ac maxima repletio, diutina iis noxam inferat inedia. Tum quies, tum motus, tum etiam somnus, & vigiliæ cum moderamine alternentur. Lubrica servetur alvus. Hilaritas ægroto, quantum fieri possit, comparetur, & foveatur. Purgationes leniores quamtumvis, nisi necessitas id requirat, plurimum semper nocebunt. Tum, quum materia peccans ex alimentorum recrementis in intestinis congesta chylum coinquinet, ac per venas lacteas una cum chylo in sanguinem immissa, cerebrum turbet, clysteres humectantes, eluentesque, quam irritantes, potius contulisse pene semper cognovimus. Quibus melancholia sanguinis opportune per loca consueta excernendi suppressiones insequuta est, sanguis statim educendus. Cæterum melancholicis, quum id fieri possit, non mederi, satius, quam mederi expediet.

CAPUT XV.

De Affectione Hypochondriaca.

Definitio. HYpochondriaca in maribus, hysterica in fœminis, nostris saltem temporibus, affectio adeo familiaris, ac pene dicam, solemnis facta esse videtur, ut ex adultis, qui ab ea immunes prorsus evaserint in Urbe maxime, perpauci nobis innotuerint. Hypochondriaca dicitur ab hypochondriis, hysterica ab utero: a regionibus nimirum, in quibus ejusmodi ægritudinis focum, & fomitem subesse Majores opinabantur. De iis tamen ideo in hac sectione agere inclinat animus, quia vitio peculiari, aut cerebri ipsius, aut spirituum animalium, succique nervei, eas quoque exoriri potissimum credidimus. De affectione autem hysterica, de qua, quoniam fuse alibi deinceps dicturi sumus, pauca perfunctorie dumtaxat hic attingam. De hypochondriaca ex professo loqui aggrediar. Affectio hypochondriaca, morbus dicitur quoque *flatulentus*, id nominis ducens a flatibus, quos ex regionibus, præcipue hypochondriorum, suscitare consuevit. Eam describere placet, *sensum esse tristem, ac permolestum tum animi, tum mentis, excitatum in organis a spiritibus animalibus, vel a succo nerveo nonnihil acri, qui temere hac illac excurrens mordicat, ac lædit membranas tum cerebri, tum cæterorum viscerum, eorum præsertim, qui in hypochondriis delitescunt.*

Diagnosis. Nil mirum igitur, si variis quandoque speciebus inter mortales affectio hypochondriaca præludens, ægrotantes non modo, sed & clinicos ipsos, saltem in exordio, fallere potuerit; eo quippe morbo detenti de ventriculi gravitate, postquam comederint, modo conqueruntur, modo salivam plurimam expuunt. Cibos mox avide appetunt, & nonnisi quid iis in refectionem denuo propinetur, viribus plane dejectis, acriter intus afficiuntur. Interdum evomunt, atque eructant. Flatibus hypochondria hinc inde obmurmuran-

do pervagantibus quamsæpissime leduntur; unde ventris rugitus, inflationes, tensiones, angustiæ &c. Motibus non raro convulsivis torquentur. Capite laborant, vertiginibus obnoxii. Tinniunt identidem aures. Oculorum aciei tenebræ offunduntur. Valde semper timent &c.

Causa. Ab exposita definitioae liquet, causam, quæ affectiones hypochondriacas proxime inducit, sitam esse in labe quadam; quæ spiritus animales, aut succum nerveum in cerebro præcipue afficit, quæque propterea, spiritibus ita affectis, afficere debet quoque nervorum principium, una & sensorium commune; quod adeo immutat, ut pravis elicitis cogitationibus, angatur animus, & organa lædantur. Hinc est profecto, ni fallor, quod vel in vigore paroxysmus hypochondriacus confestim omnino quandoque resolvatur, tum quum aliis solicitudinibus majoribus æger improvide pressus, mentis intentionem aliorsum inopinato convertere cogatur. Talis affectio impense adeo interdum invaluit, ut a vera melancholia vix distinxeris.

Prognosis. Tardæ nimium solutionis, ac pene insolubilis, quamvis plerumque sine periculo, experientia teste, ejusmodi ægritudo esse solet, & si quandoque cesset, ex facili recidivam patitur. Quum altas egerit radices, diuque sine intermissione sese protraxerit, quum organa prætermodum læserit, in maniam, melancholiam, hydropem, hecticam, paralysin, epilepsiam, apoplexiam, aliasque nonnullas hypochondriacis longe pejores affectiones convertitur. Hypochondriam inveteratam, ac, pene dicam, avitam fluxu ex hæmorrhoidibus superveniente plane extenuatam fuisse accepimus.

Etiamsi præfata affectio valde contumax sit, pro viribus tamen curandum, ut aut resolvatur, aut saltem mitigetur. Aer iccirco sit temperatus, serenus, purus, tenuis, apertus. Victus confert optimi succi, qui facile in stomacho, æque ac in intestinis subigatur, blande volatilis, humectans, & diluens. Motus hypochondriæ subducendæ longe satius, quam quies, conduxisse semper visus est. Hinc non immerito hypochondriacis suademus, ut, vel in venationibus, vel in palæstra quotidie sese exerceant, ut equitent, ut vel itinera in exteras regiones peregrinando suscipiant; quæ res solæ humorem peccantem, qui hypochondriam fecit, frequentissime discusserunt. Laxetur alvus, quæ clysteribus, nisi opportune respondeat, ex simplici aqua hordeacea concitanda. Cætera omnia recrementa, tum quæ sensum movent, tum quæ sensum minime attingunt, de more, ac per loca consueta debite excernantur oportet. Inter animi affectus hilaritas, sicut hypochondriam penitus non raro delevit, ita mœror, ira, timor, aliæque animi molestæ solicitudines; eam quamsæpissime progenuerunt. Maxime tamen caveat, ne otiose vivat, qui hypochondria tentatur, quum nihil sit, quod affectus hujusmodi suscitet magis, foveatque, quam procul a negotiis, solutam omni senore, desidem vitam ducere. Pessimas fuisse semper cognovimus quoque purgationes, quascumque catharticas, neque vena, nisi consuetis suppressis excretionibus plurimum redundet sanguis, hypochondriacis unquam solvenda. Si adstricta sit alvus, & clysteres eluentes incassum inditi fuerint, ad ea confugiendum erit, quæ per os immissa alvum leniter ciunt; hujusmodi

Curatio.

di sunt cassia recens, pulpa tamarindorum, electuarium lenitivum, diatartarum Petri Castelli, pillulæ ex rhabarbaro, aloeticæ, hisque similia, quæ utpote amaricantia hypochondriæ coercendæ valde conferunt. Non sine optimo successu hisce in casibus in hunc effectum potionem hanc A blande solventem quamsæpissime præscripsimus. Oleum, sive commune, sive amygdalarum dulcium, sive seminum melonum, & multo magis seminum lini, raro admodum, quinimmo & numquam fere, nisi, tum quum aut convulsiones, aut motus spasmodici, aut tormina supervenerint, hypochondriacis præbuimus. Ratio fuit, quod oleosa, & pinguia plurimum pene semper eos læsisse, ab usu diutino percepimus: sinimus nihilosecius, opinioni potius, quam morbo, ut medeamur, sinimus, inquam, ut in unctiones, sotus emollientes, & reliqua ejusmodi regioni hypochondriacæ extrinsecus adhibeantur. Ex balneis autem aquæ dulcis, item & ex eadem aqua dulci, præ cæteris nuceriana, adeo abunde epota, ut quamprimum per urinam egeratur, utilitatis plurimum hypochondriacis extitisse, nobis quasi semper innotuit. Dicimus *aquæ dulcis*; acidulas quippe, thermales, fortioresque martiales noxam contra iis intulisse, ex longa experientia rescivimus.

A ℞. *Folior. sen. orient. fin. stipit., crem. tart. ana. unc. ss., rhabarb. elect. scrup. j., aq. nucer. q. s. m. f. infus., & mac. S. A., colet., & adde mell. hispan. opt. unc. ij. cap. in Aurora.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Non semper improbatur Veterum opinio, ratione loci affecti in hypochondria.

HYpochondriam inter morbos capitis, qui spirituum animalium, aut succi nervei culpa passim enascuntur, quamvis recensuimus, negare tamen nequaquam aggrediar eam quandoque a læsione viscerum abdominis exoriri haud potuisse; siquidem nos minime latuit, aut bilem ex. gr., aut succum pancreaticum, aut ventriculi, intestinorumque latices adeo quandoque in tubulis obstructis depravari, ut, vel acriores, vel acidiores, ut ita dicam, facti, plexus nerveos in imo ventre sitos irritando, ea omnia, quæ affectionem hypochondriacam constituunt, induxerint symptomata. Quocirca non immerito inter Priscos habemus, qui affectionem hypochondriacam describendo, *vitiosam esse* tradiderunt *humorum colluviem sine putredine, ob coctionem splenis læsam, in ramis venæ portæ, arteriæ cæliacæ, & meseraicæ collectam, quæ per vaporem emissum multa, & varia inducere valet symptomata*. Quibus in casibus eo magis conveniunt rhabarbarata, amaricantia, chalybeata, eaque omnia, quæ digestionis fermenta corrigunt, obstructiones reserant, atque humores pravos discutiunt. Damus quoque, & concedimus æquo animo, in fœminis affectionem hystericam interdum extitisse quoque ex utero sive proxime, sive remote, ob labem quamdam ab humoribus pravis contractam, concitato; uterus enim, quum per ejus substantiam ex truncis cum aliis partibus communibus plurima dirimantur nervorum stamina, necesse est, ut læsus lædat ex consortio alia nonnulla organa præcipua, quæ, nervis intercedentibus, utero quodammodo innectuntur. At de hoc ex professo non hic, sed inferius, ubi de affectionibus mulierum peculiaribus scribere decrevimus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Nihil propemodum, nisi incerti, atque inconstantis, de præsidiis pro hypochondria extenuanda proferre possumus.

DE præsidiis, quæ hypochondriacis affectionibus curandis alii commendare consueverunt, & nos utique clinicen exercentes non improbavimus, quibus propterea hypochondriacos tractando frequentissime usi quoque sumus, nihil hactenus certi, nihil quod ea in re inconstans, quodque vicibus obnoxium non fuerit, ex diutinis observationibus a nobis huc usque factis comparare unquam valuimus. Id tantum nobis compertum fuit, quicquid hypochondriacis semel profuit, id postmodum iis pene semper nocuisse; quæ res porro effecit, ut a medicamentis sese prorsus abstineant hypochondriacis utplurimum suaserimus. Et nihilosecius si quando coacti eos tractare debuimus, id obnixe curavimus, ne majorem noxam iis saltem opera nostra intulisset; cæterum vigente paroxysmo æstibus hypochondriacis evincendis potio gelida subacida quibusdam præsenti fuit remedio; aliis calidam, sive ex the, sive ex caffe; nonnullis decoctionem aut ex floribus hyperici, aut ex foliis absynthii, matricariæ, cichorei, pimpinellæ, ex seminibus citri &c. Quandoque profuit aqua theriacalis, totius citri, matricariæ, menthæ, hisque similia, tum maxime, quum iis solutas immiscuimus confect. hyacinth., alkerm., & reliqua ejusmodi, præsertim sine odore. Profuit interdum aut theriaca, aut mithridatum cum conserva rosarum in bolos redactum, quibus non semel cum successu grana aliquot camphoræ addidimus &c.; quæ tamen omnia, ut ante jam diximus, quemadmodum nonnumquam profecisse, ita & incassum utplurimum cessisse cognovimus.

LIBRI SECUNDI

SECTIO SECUNDA.

De Œsophago, Stomacho, Intestinis, Mesenterio, Ductibus chyliferis &c., deque iis, quæ ratione partium istarum in corpore humano vitam habente, tum secundum, tum præter naturam exoriri possunt.

CAPUT I.

De Oesophago, & Stomacho.

Describitur œsophagus. Vid. Tab. V. Fig. V.

OEsophagus, stomachus, æque ac intestina, nonnisi ductum quemdam longissimum, sive fistulam quamdam musculosam insimul constituunt; quæ a faucibus ad podicem usque producitur, non recta; sed per varios ambitus, atque anfractus sese hinc inde circumflectendo, varios tubos, varios meatus, variosque recessus in cavo abdominis condit. Oesophagus *est fistula, qua ab ore in cavum ventriculi tum esculenta, tum potulenta descendunt*. Originem ducit a faucibus, ibique *pharynx* nuncupatur a Græcis, idest *gula*. Exinde per faciem gulæ posteriorem, hoc est a parte posteriori tracheæ, recta fere ex thorace in abdomen descendit. At, diaphragmate perforato, ventriculo aptatur, cui e latere sinistro inseritur, atque orificium ejus sinistrum, vulgo superius, compingit.

Describuntur parietes œsophagi.

Parietes œsophagi organici sunt, neque ubique sibi similes. *Organici*, quum nonnisi per ipsos deglutitio fieri queat. *Non ubique sibi similes*, tribus enim conflantur tunicis, quæ fibras, & vasa diversi generis habent. Varias quoque glandulas habent, minimas quamvis, admodum insignes. Membrana exterior tendinea est, & pellucida. Media carnea, & crassior utique, fibris pollet in homine duplicis generis, rectis, & anularibus. Rectæ a principio ad finem usque œsophagi recta descendunt. Anulares, quæ interiores sunt, priores ad angulos rectos secant, perinde ac si totidem essent anuli æquidistantes. Membrana œsophagi interior nervea videtur, quum pluribus ubique nervorum perquam exilibus implicetur staminibus. Exterior, & interior dicuntur *communes*, utpote quæ solæ a partibus producantur proximis. Media, quoniam œsophago peculiaris censetur, *peculiaris* dicitur. Facies interior tunicæ interioris perexigua quadam superinducitur lanugine; quæ humorem exudat oleosum, ut facilior sit deglutitio. Humor iste oleosus a glandulis depluit minimis ad radices villorum lanuginis existentibus.

Vasa œsophagi.

Arterias habet œsophagus a ca-

rotidibus, necnon etiam ab eodem trunco aortæ proxime descendentis, & a bronchialibus. Venas ad jugulares emittit. Nervulos sibi comparat a pari sexto; apud nonnullos a propaginibus quoque paris vagi. Posterius œsophago, prope quintam circiter thoracis vertebram, incumbit corpus quoddam glandosum usus incerti; quod in aliis duplici constat glandula, triplici in aliis, in aliis quadruplici &c. Per substantiam corporis istius transeunt lymphæ ductus, qui a partibus finitimis in ductum thoracicum, de quo mox, tendunt.

Usus œsophagi.

Oesophagus, tamquam infundibulum, esculenta, non minus quam potulenta in cavum immittit ventriculi, deglutitionis ope. Quinimmo quicquid intus stomacho infensum est, foras vomitu quandoque ejicit. Deglutitio, & vomitus fit, ope non modo membranarum œsophagi, quæ pluribus varii generis, uti diximus, fibris texuntur; verum etiam musculorum pharyngis, quæ triplici proinde gaudet musculorum pari, ac uno sphinctere.

Describuntur musculi pharingis.

Musculi primi paris dicuntur *Cephalopharyngei*. Secundi paris, *Sphenopharyngei*. Tertii paris, *Stylopharyngei*. Sphincter œsophagi, *œsophageus* vocatur. Cephalopharyngei originem ducunt a confinio cervicis, ibi ferme, ubi cranium posterius superiori cervicis vertebræ incumbit. Inde recta descendunt in partem pharyngis posticam, cui firmiter inhærescunt. Sphenopharyngei in proximo e regione posteriori palati, deorsum inde utrinque sese producentes, oblique exoriuntur a processibus aliformibus ad latera pharyngis; perque ea explicantur, atque absumuntur; non secus ac stylopharyngei, qui proveniunt a processibus styliformibus ad basin cranii ex utroque latere profecti. Per musculos præfatos attollitur una & explicatur pharynx, ut alimentis immissis inhiando, ea ab ore commode excipiat, comprehendatque. Oesophagus fibrarum ductu obliquo, eoque inflexo, pharyngem circumdat, atque arcte adhærens cartilaginibus laryngis, sphincteris munere fungitur: œsophagum videlicet, sive potius pharyngem contrahit; quo pharynx alimenta prius comprehensa ulterius urgeat in meatum œsophagi; qui, quum a primo ad ultimum subinde, fibris adjuvantibus, attollatur prius, & explicetur, mox contrahatur, motum quemdam peristalticum, sive vermicularem provocat; cujus causa a faucibus per œsophagum in cavum ventriculi sensim alimenta descendunt. Id proprie *deglutire* dicitur. Motus præfatus œsophagi vermicularis non semel invertitur, a stomacho nimirum ad fauces. Tum vomitum adjuvat, de quo inferius.

Describitur ventriculus.

Stomachus est sacculus membranaceus in imo ventre conditus, idest in epigastrio, versus hypochondrium sinistrum, sub diaphragmate, inter hepar, & lienem; ubi ab œsophago ingesta sibi congregat alimenta, eaque continet, digerit, concoquit, atque extenuat. Figuram quodammodo oblongam, & quasi teretem habet, qua tibiam utricularem æmulari solet. Duplici pervius est orificio. Alterum superne sinistrorsum. Alterum inferne dextrorsum. Illud nomine caret. Hoc dicitur *pylorus*, sive *janitor*. Orificium ventriculi superius, cui adnectitur œsophagus, amplius est, quam inferius; anularibus tamen fibris circumdatur carneis, quibus adeo coarctatur,

tur, ut nonnisi ab alimentis, quæ, vel proprio concidunt pondere, vel deglutitionis nisu in cavum intruduntur ventriculi, explicari queat. Pylorus fibris clauditur rectis, vel oblongis, anularibus, & transversis; quibus arctissime clauditur; non adeo tamen, ut solutis, pressisque alimentis, transitum deneget ad intestina. Intus paullulum adeo reflectitur in cavum ventriculi, ut valvulæ munus quodammodo præstet. De orificiis ventriculi præfatis in superioribus non ita pridem monuimus, alterum tametsi vulgò dicatur superius, alterum inferius, in eadem abdominis sublimitate utrumque disponi.

Describitur ventriculi structura.

Nihil aliud esse videtur stomachus, præterquam œsophagus productus, explicatus, atque in capacitatem maximam coaptatus. Easdem iccirco cum œsophago tunicas habet. Media tamen carnea ordine pollet fibrarum triplici; nam præter rectas, atque anulares, fibras habet quoque transversas, quæ producuntur a plexu quodam fibrarum ab uno in alterum orificium per regionem ventriculi supernam recta excurrentium. Tunica interior nervosa longe amplior, in rugas ubique complicatur; quibus, ex omnium prope consensu, distractas sibi, ut ita dicam, abripit, nonnullas alimentorum portiones, easque comprehendit, retinetque, ut facilius digerantur. Tunica hæc nervosa crustam intus habet, in brutis saltem, villosam; ideoque tunica *villosa* nuncupatur. *In brutis saltem* diximus, quum in corpore humano, loco crustæ illius, mucor tantum glutinosus deprehendatur. Crusta villosa amota, detegitur ubique glandularum congeries minimarum, quæ faciei ventriculi interiori undequaque insident; quæque vasculis suis excretoriis inter villos hiantibus in cavum ventriculi laticem quemdam expuunt salivalem, qui dicitur *fermentum* ventriculi. Id laticis acrius inedia factum, plexus ventriculi supernos mordicare creditur, & famem identidem procreare.

Describuntur vasa ventriculi.

Arterias sibi comparat ventriculus a cœliaca. Venas a porta. Nervos a pari vago. Inter præcipuas digestionis officinas ab Anatomicis universis recensetur ventriculus. Hanc in ventriculo per *coctionem* fieri caloris ope innati non modo ipsius ventriculi, verum etiam viscerum finitimorum, hepatis præcipue, sibi quondam suaserunt Majores. At, quum calor ventriculi nuspiam adeo intendi, atque extendi percipiatur, ut alimenta paulo prius ingesta, tam brevi solvere, atque in chylum vertere queat, talis Veterum opinio jamdiu plane obsolevit; aliamque longe minus improbandam temporibus fere nostris protulerunt Recentiores, id operis absolvi fermentationis beneficio rati. Latex enim ille, de quo mox loquuti sumus, tamquam menstruum solvens, ex eorum sententia, intime subit alimenta, eaque solvit, digerit, comminuit, conficit, extenuat, ac motum proinde alimentorum intestinum inducit, qui dicitur *eorum* fermentatio, & qui propterea calorem adauget ventriculi; adeo ut fieri possit, ut in coctione alimentorum, ventriculus calefiat potius ab alimentis, quæ digeruntur; quam ut alimenta digerantur a calore innato, qui ventriculo fovetur.

Describitur munus ventriculi.

Effervescentibus, uti ante jam diximus, in cavo ventriculi alimentis digerendis, tenujores, volatilioresque exaltantur particulæ;

quæ in ventriculum sublimen evectæ, orificium ventriculi superius lacessunt, per œsophagum ad fauces attolluntur, easque vellicant, una atque exiccant. Hinc sitim excitant; eum nimirum sensum, sive eam molestiam, qua, ut frigida, atque humida exoptemus, adducimur; ut ea videlicet ingeramus, quæ nervorum vellicationem sistunt, salia eluunt, membranas aresactas humectant, & sitim extinguunt; quæque insuper ingesta magis magisque solvunt alimenta, eaque fluidiora faciunt, ut facilius per pylorum ex ventriculi cavo ad intestina delabantur.

CAPUT II.

De Intestinis.

Describuntur intestina. Vid. Tab. V. Fig. V.

UT ventriculum esse diximus œsophagum productum, & prolatatum, qui in capacitatem maximam aptetur; ita & intestina nihil aliud esse dicendum ducimus, quam ventriculum in fistulam contractum extenuatumque; quæ per varios gyros, & circuitus hinc inde inflexa, ad podicem usque proficiscitur; qua sordes a chylo secretas statis temporibus egerit. Longissima ideo sunt intestina, & plurimas cellulas, plurimosque habent anfractus, ut in iis commodius quicquid ingeritur, commoretur, digeratur, subigatur, extenuetur. Universum fere implent abdominis cavum a fundo ventriculi ad regionem usque pubis; ac mesenterio colligata vertebris superioribus lumbaribus suspenduntur proxime sub diaphragmate. Sunt ventriculus in fistulam productus, quum iisdem fere constent tunicis, non absimili crusta villosa intus obductis. Sub crusta delitescunt racematim acini glandosi, qui eructant inter villos succum quemdam intestinalem, humorem scilicet fermenti haud absimilem ventriculi. Adipe quodam obliniuntur foris. Mucorem intus habent adversus contentorum acrimoniam.

Intestinorum distinctio.

Ductus intestinorum, mesenterio solutus, septies circiter hominis, cujus sunt intestina, æquant longitudinem, quinimmo & non raro superant. Dividuntur ab Anatomicis in sex veluti partes, quarum tres superiores, dicuntur intestina *tenuia*, quum eorum parietes longe graciliores deprehendantur. Inferiores contra, quoniam eorum tunicæ crassiores sunt, *crassa* nuncupantur. Ex tenuibus primum, quod a pyloro producitur, *duodenum* vocatur, cui succedit *jejunum*. Mox *ileum*. Ex crassis primum est *cæcum*. Hoc insequitur *colon*. Ex colo proficiscitur *rectum*, quod recta in podicem desinit.

Describitur duodenum.

Duodenum nomen sibi comparavit a longitudine, quæ ad digitos pene duodecim transversos producitur, Capacitatem habet magis angustam, quam reliqua intestina. Oritur a pyloro. Mox recta fere deorsum vergit ad posteriora sub fundo ventriculi, versus renem dexterum pancreati adhærens. Vertebris alligatur lumborum, renique sinistro ligamentis membranaceis. Inde paullulum excurrit, desinitque, ubi incipit jejunum.

Describitur jejunum.

Jejunum alterum dicitur intestinum non alia ex causa, nisi quod ejus meatum ab omni chylo vacuum utplurimum observemus: id tamen nescio an ob vasa lactea plurima, quæ chylum omnem confestim absorbent, an quia bilis, quæ delabi cernitur ab hepate per choledocum ex duodeno in cavum jejuni, tunicas ejus inte-

teriores acriter irritando, alimentorum transitum accelerat ad reliqua intestina, an aliis ex causis adhuc nobis occultis. Ejus longitudo ad palmos producitur duodecim, vel tredecim. Latitudo in adultis est unius digiti circiter transversi. Pluribus intorquetur gyris sub pancreate prope spinam in regione umbilicali, & maxime versus latus sinistrum. Denominari incipit a primo intestinorum circiter inflexu ad terminum usque, ubi livescere incipiunt intestina, eorumque meatus angustior fieri; ibi enim proprie incipit ileum.

Quid sint valvulæ intestinorum conniventes.

Tunica interior jejuni longe amplior, quam exterior; hinc intus complicatur ex æqualibus intervallis, valvulas formans semilunares, sive conniventes, quæ proinde ubique in meatu jejuni occurrunt. Conniventes a Kerkringio, qui eas primus detexit, ideo dicebantur, quoniam orbem suum non adeo complent, ut cavum penitus occludant. Nil aliud præstare videntur tales valvulæ, quam ut alimenta aliquantulum detineant, ne ad reliqua intestina delabantur indigesta.

Describitur Ileum.

Ileon, vel ileum a pluribus gyris, quibus in orbem per abdomen varie circumvolvitur, *volvuli*, penes nonnullos, sibi quoque peperit nomen. Color ejus livescens, ac luridus apparet. Longitudo palmos viginti semper æquat; quinimmo & non raro superat. Hinc longissimum est, tametsi latitudo digitum vix transversum excipiat. Producitur sub umbilico per regiones iliacas, hypogastrium, & inguina. In latere dextero sursum reflectitur, & non procul ab exordio e latere inhæret intestino crasso. Ileon non ita firmiter, uti reliqua intestina, mesenterio alligatur; iccirco levi de causa ex processibus peritonæi ad scrotum delapsum, herniam facit intestinalem.

Describitur colon.

Ab ileo extremo producitur colon, quasi *Kilon*, idest cavum, amplissimum sane intestinum duobus contractum ligamentis, quorum beneficio cogitur ubique, & in cellulas coarctatur, quibus incocta diu sustinet alimenta, ne chyli reliquiæ una cum sordibus egerantur. Longitudinem habet palmorum octo, vel novem. Principium coli appendice quadam, sive sacculo membranaceo intercedente vermiformi, qui dicitur intestinum *cæcum*, reni dextero adnectitur. Colon ex rene dextero sursum tendit ad hepar ductu obliquo. Dehinc transversim sub fundo ventriculi procedit ad renem sinistrum. Lieni adhæret, sese postmodum producens per abdomen universum. Mox plerumque contractum descendit, & ascendit versus finem ossis sacri, ubi in literam ∽ inversam veluti circumflexum, extremum intestinum, rectum nimirum, progenerat.

Quid sit Valvula Bahuini.

Colum supremum, digito circiter transverso, ileum extremum duplicatum intus excipit; quod proinde laxe propendens in cavum coli, valvulæ munere fungitur; siquidem deprimitur ab alimentis, quæ irruunt a tenuibus in crassa, quibus propterea transitum facilem præbet. Erigitur contra, atque erectum, valide sese apponit, ne alimenta a crassis retrocedant in tenuia. Id præ cæteris inclytus non ita pridem observavit Bahuinus; a quo iccirco *Bahuini valvulæ* sibi nomen vindicavit. De hac valvula temporibus nostris, inter celebres potissimum Sectores hodiernos, Blanchum Taurinensem, & Morgagnum Professorem Patavinum, variæ, ac valde discrepantes insur-

Digitized by Google

surrexerunt opiniones. Cæterum colum principio crassius, ac perangustum fuisse Veteribus item innotuit, a quibus cæcum propterea dictum fuit. Id sane ab iis melius quam a Recentioribus factum fuisse arbitror, quibus præfatam coli vermiformem appendicem eo nomine insigniri placuit, quæ revera nec intestinorum processus, nec intestinum proprie dici mereretur.

Quid sit intestinum cæcum penes Recentiores.

Appendix ista ideo a Recentioribus cæca nuncupatur, quod uno quamvis extremo, quo colo aptatur, in idem aperiatur colum; altero tamen impervia est. Appendicis longitudo digitorum quatuor, aut quinque esse solet. Proficiscitur, uti diximus ex latere coli. Exinde peritonæo intercedente, quin mesenterio nullibi alligetur, laxe injungitur reni dextero. Perexiguam habet capacitatem, in adultis vacuam omnino, in recens natis sordibus intumescentem: quod contingere quoque in plerisque bratorum accepimus, & vidimus.

Describitur intestinum rectum.

Sub finem coli descendit rectum. Ab osse sacro inter peritonæum ad anum recte prosequitur. Longitudinem sesquipalmi non superat. Latitudo ad digitos tres fere transversos explicatur. Parietes longe crassiores sunt, quam in reliquis intestinis. Quinimmo ei superinducitur involucrum quoddam fibrosum, ut pro fœcibus excludendis facilius contrahatur. Intestinum rectum extremum musculo ad podicem circumducitur sphinctere, & binis fulcitur musculis elevatoribus. Sphincter ani carneus est, & fibris, quibus pollet anularibus, orificium recti intestini inferius ita constringit, atque ambit; ut substantiam interiorem intestini recti in plicas varias commode contrahat, quæ tamen levi ex causa explicari possunt. Undequaque circumligatur partibus proximis; &, ne nobis nolentibus proprio elabantur pondere intestinorum sordes, podicis orificium firmiter arctat. Musculi elevatores originem ducunt a ligamentis ossium pubis; ex quibus utrinque descendentes ad latera ejusdem intestini recti usque ad extremum, sursum attrahunt intestinum fœcibus exclusis, ne, præ nisu nimio, ejus insequatur procidentia.

Vasa describuntur, quæ per membranas intestinorum distribuuntur.

Intestinorum membranæ a truncis proximis vasa cujuslibet nanciscuntur generis, & præsertim a truncis meseraicis, necnon etiam a splenicis, sive a porta venas præcipue hæmorrhoidales; quarum pleræque per substantiam carneam interiorem, atque exteriorem intestini recti ad podicem usque dirimuntur.

Quid sit chylus, & chymus.

In cavo intestinorum, alimentorum digestio perficitur, paulo prius in ore, & in ventriculo inchoata, ut chylus tandem a fœcibus secernatur. Chylus per venas lacteas ad glandulas fluit meseraicas. Fœces per anum egeruntur. Dicitur chylus succus alimentorum crassiusculus, sive pultaceus lactis non absimilis, qui coctis, digestisque alimentis, tum in ventriculo, tum in cavis intestinorum anfractibus, pro sanguinis proxima, aliorumque fluidorum remota, ac cæteratum partium solidarum educitur opportuna refectione. Pars chyli adhuc magis defæcata, proprie ab Anatomicis vocatur *chymus*.

Succi quorum ope digestio in intestinis perficitur.

Digestio in cavo intestinorum perficitur, ope non modo succi intestinalis, verum etiam bilis, succique pancreatici; qui ex ductibus suis peculiaribus ab hepate, & a pancreate sub finem intesti-

stini duodeni, ut mox dicendum, immittuntur.

Quomodo chylus a sordibus in intestinis secernitur.

Ideo chylus a fœcibus secernitur, quia contractis, & undique pressis intestinis, succus chylosus, utpote tenujor, venas subit lacteas; tum quum reliqua interea pars crassior ulterius provehitur, intruditur, atque propellitur per anfractus intestinorum, donec in massam fœtidam compressa, atque coacta per anum excludatur.

Unde proveniat intestinorum pressio, & contractio.

Intestinorum contractio vermicularis provenit a structura tunicarum fibrosa; fibris quippe a principio ad finem sese contrahentibus, & ipsa paulatim subinde contrahuntur intestina. Pressio provenit a musculis imi ventris, præcipue diaphragmatis, qui identidem contracti comprimunt inter viscera abdominis eadem intestina, a quibus propterea & chylum, & sordes exprimunt. Chylus utpote qui tenujor, per oscula minima parietum, ductus subit chyliferos. Sordes, utpote quæ crassiores, ex alvo dejiciuntur.

CAPUT III.

De Mesenterio, Ductibus chyliferis, Ductibus lymphaticis, & de Glandulis meseraicis.

Describitur mesenterium. Vid. Tab. V. Fig. IV.

MEsenterium, ea scilicet membrana adiposa, admodum lata, cujus interventu sibi mutuo colligantur intestina, & prioribus vertebris lumbaribus suspenduntur, nihil aliud est, præterquam substantia peritonæi duplicata, quæ duplicem constituit membranam, & inter utramque vasa excipit, cujuslibet generis, ac minimas condit glandulas inæquales adipe plurimo circumseptas.

Quid proprie sit meseræum, & mesocolon.

Solutum ab intestinis, atque explicatum mesenterium, figuram perhibet quodammodo orbicularem, cujus diameter vix superat longitudinem duorum palmorum; ejus quamvis circumferentia ob fimbrias creberrimas, plurimasque plicas, longe ultra extendatur. Oritur circa primam, tertiamque lumborum vertebram, nexu valde angusto, eoque firmo. Mox explicatur, sive potius circumvolvitur per universum fere intestinorum ambitum. Superne, ea nimirum parte, qua intestinis adnascitur tenuibus, crassius est, & proprie nuncupatur penes nonnullos *meseræum*, sive *membrana lactea*; ob innumeros pene, qui per ejus substantiam effunduntur, chyli ductus. Inferne, qua adhærescit intestinis crassis, longe tenuius objicitur, diciturque mesenterium, necnon etiam a colo, cui præ cæteris accrescit, *mesocolon*.

Describuntur vasa, & glandulæ mesenterii.

Vasa, quæ dirimuntur per mesenterii substantiam, sunt arteriæ, venæ, nervi, ductus lymphatici, ductus chyliferi, ductusque adiposi; quæ per mesenterium quaquaversum adeo implicantur, ut, pinguedine intercedente, rete adiposum admodum varium intexant. Inter vasa glandulæ sparsim hinc inde, quæ dicuntur *meseraicæ*, occurrunt. Numero sunt incerto. Figuram admodum variam habent. Earum maxima ab Asellio, qui de glandula hac verba fecit primus, *pancreas Asellii* nuncupatur; quam in canibus passim, numquam tamen in homine hactenus observare licuit. Membrana foris, inter adipem plurimum vestiuntur singulæ. Glandulæ quamvis dicantur ab Anatomicis, veræ tamen nec videntur, nec habendæ sunt glandulæ, quinimmo receptacula quædam fibrosa mentiri potius solent, quæ chylum excipiunt a venis lacteis, una & lympham a va-

Digitized by Google

a vasis lymphaticis, quæ a partibus proximis proficiscuntur.

Quid sint proprie vasa lactea, sive ductus chyliferi.

Vasa lactea palam fecit Asellius inclytus Anatomicus, anno Domini 1622. De iis tamen inter Priscos sermonem habuit Erasistratus, qui vasa hujusmodi se observasse, præmonuit, in hœdis lactantibus; ea tamen pro ductibus venosis lacte saturatis accepit, & promulgavit. Sunt tubuli perquam exiles, pellucidi, qui egrediuntur ab intestinis præsertim tenuibus, pluribus distractis minimis radicibus, a quibus in truncos conveniunt majusculos, qui per mesenterii substantiam ad glandulas producuntur meseraicas minores. A meseraicis minoribus alia egrediuntur vasa lactea, quæ pergunt ad meseraicam majorem in canibus, ad pancreas videlicet Asellii. Pancreas Asellii alia emittit vasa lactea in chyli capsulam communem. Quo fit, ut vasa lactea, sive ductus chyliferi, qui proxime ab intestinis proficiscuntur, dicantur *primi generis*; reliqui, qui a glandulis meseraicis minoribus egrediuntur, vocentur *secundi generis*; qui autem a pancreate Asellii, dicantur *tertii generis*.

Structura peculiaris lymphaticorum.

Parietes lacteorum una dumtaxat constant membranula perquam tenui, fibrosa, quæ ob tenuitatem maximam, nisi chylo plurimo turgeant, oculos fugit. Tum quum turgent, oculis non modo apparent ductus chyliferi, verum etiam noduli ubique, si vel leniter comprimantur. In nodulis minimæ occurrunt valvulæ semilunares, quæ chyli regressum denegant. Chilo quandoque plane carent, chylique loco, tum lympham vehunt. Ex quo factum fuisse videtur, ut inter Sectores quispiam opinaretur, ductus lymphaticos omnes, qui per mesenterium dirimuntur, ductus esse chyliferos; perperam tamen, quum anno Domini 1652. ad oculos patefecit Bartholinus, vasa lymphatica, quæ ab hepate, liene, aliisque partibus proximis tendunt in chyli capsulam, nequaquam esse chylifera, verum mere lymphatica; quum per ipsa minime fluat chylus, sed lympha tantum, quam a partibus suscipiunt proximis, ut ad chyli capsulam deferant.

Quid proprie sint vasa lymphatica, eorumque principium, finis, & usus.

Vascula lymphatica tenuissima sunt, & pellucida, non secus ac chylifera. Valvulis longe frequentioribus muniri solent. Hæc quoque temporibus fere nostris detecta sunt. Originem ducunt a glandulis, ut probabilius videtur, ab iis præsertim, quæ sitæ sunt in visceribus, in articulis, & potissimum in intestinis crassis, a quibus uberrime proficiscuntur vasa lymphatica. Desinunt tamen, vel in venas jugulares; vel in capsulam chyli, vel in glandulas meseraicas. In venas jugulares desinit pars lymphaticorum maxima, quæ proveniunt a partibus supernis. In capsulam Chyli, necnon etiam in glandulas meseraicas, quæ a partibus infernis. Tum in venas jugulares, tum in chyli capsulam, tum in glandulas meseraicas lympham devehunt: humorem videlicet aquosum, perquam tenuem, descœcatissimum utplurimum, subdulcem; qui per glandulas, uti opinor, a sanguine secernitur arterioso. In venis jugularibus sanguinem solvit crassum. In chyli capsula, glandulisque meseraicis chylum solvit, diluitque, ut sanguis, una & chylus per vasa peculiarja fluere facilius queant.

CA-

CAPUT IV.

De chyli Capsula communi, ductuque thoracico.

Veterum error, chylum ab intestinis ad hepar deferri opinantium.

CHylum ab intestinis deferri ad hepar per venas meseraicas emulgentes, ut in sanguinem verteretur, opinabantur Anatomici ad tempora usque Pecqueti Sectoris inclyti; qui anno 1651. chyli capsulam communem detexit, sive chyli receptaculum, sive cysternam chyli, ostendens chylum ab intestinis progredi per venas lacteas primum ad glandulas meseraicas minores, mox ad pancreas Asellii, in canibus saltem, tandem ad chyli capsulam; a qua per ductum thoracicum ascendit ad venas subclavias, ut una cum sanguine refluo rapiatur in auriculam cordis dexteram.

Structura, æque ac situs receptaculi chyli communis.

Quod ad structuram attinet receptaculi, plurimum variant Scriptores. Alii nobis capsulam hanc ostendere consueverunt, tamquam sacculum membranaceum, oblongum. Alii, tamquam congeriem spongiosam, sive cavam trium, quatuorve glandularum, quæ racematim uniuntur vasis chyliferis, & lymphaticis intercedentibus. Glandulas hasce a situ *lumbares* vocant nonnulli. Dissentio tamen inde exorta videtur, quod chyli capsulam in variis animalibus diversi generis pervestigaverint Sectores. Quicquid tamen dictitent, unanimi fere consensu in hoc conveniunt omnes, eam receptaculi munere fungi. Vertebris prioribus lumbaribus adhæret inter utrumque diaphragmatis extremum posterius tendineum; quo fortasse identidem compressa, chylum, una & lympham contentam majori nisu in ductum thoracicum exprimit.

Principium, finis, & situs ductus thoracici.

Ductus thoracicus emergit a capsula tribus utplurimum, quatuorve minimis radicibus. Exinde per dorsum, in latere tamen sinistro, inter costas, & truncum aortæ descendentem, pleuræ inhærens, sursum recta ascendit versus claviculam sinistram, modo unico, modo pluribus ramusculis, quibus hiat in truncum sinistrum venæ subclaviæ; ut chylum a capsula deferat in sanguinem, ac per sanguinem ad cor. Structura ductus thoracici non multum differt a structura lymphaticorum. Longe tamen major plerumque deprehenditur. Valvulas habet quoque semilunares ad oscula usque extrema, ne chylus per ductum thoracicum retrofluere possit in cysternam.

Ductus thoracicus vel in cadavere humano secto oculis quandoque obversatur.

Quamvis fidenter affirment nonnulli, chyli capsulam, ductumque thoracicum reperiri non posse cultro anatomico, saltem in homine; ipse tamen vel in cadavere humano non semel oculis meis partes hasce percepi, atque in Theatro anatomico celeberrimi Urbis Archigymnasii palam exposui.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quid sint siccitates, & humiditates, ratione nutritionis, in sensu Galeni, & Avicennæ.

CHylus est, qui una cum sanguine immixtus, eumdem sanguinem, ac per sanguinem, reliquos omnes alit humores: quinimmo & partes ipsæ solidæ humani corporis vitam habentis exsuccæ, atque excarnes processu temporis evaderent, nisi, ab humoribus chylo resectis jugiter sibi nactæ alimoniam, eumdem chylum in sui substantiam, aut proxime, aut remote converterent. Chylus itaque concrescat quo-

quodammodo, necesse est, atque, ut ita dicam, in substantiam solidam fiatur; secus enim organorum solidam compagem construere nequaquam posset. Id operis Veteres absolvi *exiccatione* opinabantur. Quapropter septimo methodi capite VI. quatuor exiccationis gradus effecit Galenus, quos *siccitates* appellavit; quibus subinde totidem humiditatis gradus opposuit Avicenna, eosque iccirco *humiditates*, sive *humores secundarios* ei appellare placuit. Succus quippe alibilis, ex illius sententia, partibus appositus, veluti per gradus, sensim exiccatur; quorum primum haud nominavit, rorem alterum dixit, gluten tertium, cambium quartum. Hinc quatuor esse constituit humores secundarios, *innominatum*, *rorem*, *gluten* & *cambium*. Secundarios vocat, quum nihil aliud sint profecto, praeterquam succus alibilis varie immutatus, qui ab humoribus primariis, uti antea jam innuimus, provenit, sive ab eodem chylo, sive a sanguine, sive a sero, sive a succo nerveo, sive a reliquis, si qui adsint humores, quibus corporis organa irrigantur, qui *primarii* nuncupantur. Nos igitur cum Veteribus quoque secundarios humores appellare non dedignabimur, qui a primariis procedunt, singulis quibusque partibus alendis *peculiariter* idonei: idest secundarios appellabimus succos omnes alibiles, qui in partium solidarum alimoniam, aut cedunt, aut proxime cessuri sunt. Ex his humor dici potest innominatus, sive insitus succus alibilis; qui in extremis tubulis adhuc continetur, & qui quamprimum abire debet in substantiam partium alendarum, levissime tamen immutatus. Ros, quum ab extremis tubulis continentibus excidit, & partes subit alendas, quas quodammodo principio irrorat. Gluten, quum in partibus alendis ita exiccatur, ut nonnihil concrescat. Cambium denique, quum plane concretus, atque in substantiam partis alendae conversus ei omnino assimiletur. An autem ros, vel succus, praefatus alendo idoneus, a vasculis excidat extremis, ut partes alendas reficiat, iisque revera extra vasa adhaereat, nobis nondum decernere datum est; quibus anatome, & accurata sectio, partes universas corporis humani solidas nihil aliud esse jamdiu patefecit, praeterquam variam tubulorum unionem, congeriem, plexum, aut compagem, in quibus propterea, ut vivant, humores indefinenter in gyrum moveri debent. Praeter humores primarios, & secundarios adsunt etiam supervacui, qui barbare dicuntur *excrementitii*: hujusmodi sunt, qui partes alendas, tamquam effoeti, alere neutiquam valent; atque adeo tamquam non congrui, extra corpus humanum vitam habens egerantur necesse est. Hinc dicimus bilem excrementitiam, melancholiam excrementitiam, serum excrementitium, & pituitam excrementitiam, prout, aut hunc, aut illum saporem, & colorem praeferant. De quibus id tantum innuere abunde erit, eos utplurimum, tum in ventriculo, tum in meatibus intestinorum ex alimentis, vel pravae indolis, vel perperam digestis [illegible] & cumulari.

CAPUT V.

De Anorexia, sive de fame dejecta.

Distribuitur materia in hac sectione tractanda.

ALimenta, quibus fit refectionem quotidie quisque inter

ter mortales vescitur, salivæ, ac dentium ope, in ore prius confecta, ac inde per fauces deglutita, ex œsophago, ut ante jam innuimus, in ventriculum descendunt; ubi iterum coctionis, sive potius fermentationis beneficio, magis adhuc digeruntur, eousque donec ex pyloro ad intestina tandem illapsa, atque una cum aliis succis digerentibus immixta, iterum atque iterum solvantur, subigantur, ac intime extenuentur. Id profecto, ut chylus a sordibus secretus, ductus subeat chyliferos, & sordes in massam sensim prius coactæ, ac per annum postmodum egestæ, ex alvo tandem identidem excernantur. Hinc optime dicitur, prima alimentorum in ore digestionem, in ventriculo alteram, atque in intestinis tertiam fieri. De affectionibus igitur, quæ, vel prædictas digestiones vitiare, vel a prædictis vitiatis digestionibus exoriri solent dicturi, ab iis exordiri existimavimus, quæ ad ventriculum proprie spectant, quæque nauseam utplurimum, & vomitum inducunt; vel famem, sitimque, aut immutant, aut adimunt, aut præternodum acuunt: ad eas nimirum, quibus tales sensus, qui intus in ore, a sanguibus non procul p. n. excitari videntur, aut turbari, aut perverti quamsæpissime constat: ad alias exinde, quæ, sive lædunt intestina, sive, quoniam intestina præcipue lædunt, ex imo ventre suscitantur, descendentes. Quocirca de affectionibus prius, quæ stomachum, œsophagum, una & fauces invadunt; mox de aliis, quibus intestina proxime torquentur, verba facturi, famis dejectæ, sive anorexiæ expositionem in vestibulo hujus sectionis aggredi placuit.

Fames, & sitis, species quædam, ut ante jam recensuimus, sensuum internorum sunt, quibus intime quandoque affecti, ut exculenta, non minus quam potulenta in alimoniam partium alendarum appetamus, congruenter; æque ac opportune excitamur. Nihilosecius operationes præfatæ non semel vitiatæ, affectiones quamplurimas procreare consueverunt; quarum prima, quæ anorexia, sive fames dejecta, aut deleta dicitur, hic nobis occurrit. A nonnullis dicitur quoque *asitia*, *apositia*, pene ac si synonyma essent, & nonnisi appetitum dejectum denotarent. *Pene ac si synonyma essent*, diximus; enim vero voces præfatæ cibi fastidium proprie significant. Anorexia nihil aliud esse videtur, quam *fames deleta ex depravata, aut fermentorum digestioni inservientium facultate, aut ventriculi structura*. Sive, ut a Majoribus accepimus, nil aliud est, quam *deleta ciborum omnium appetentia, vitio, vel potius defectu orificii superioris ventriculi, quod suctionis sensum plane amiserit*. *Suctionis* dixerunt sensum, sibi suadentes, ventriculi orificium superius, suctionis sensu ob inediam in eo excitato, avide cibos appetere, quibus, ut eos sibi attrahat, ingerat, immittatque, propemodum inhiare.

Definitio, & Diagnosis.

Diagnosis ex eadem tradita ægritudinis descriptione quum satis superque innotescat, ad causæ expositionem transeamus, oportet. Causa, quæ præfatæ affectioni procreandæ non impar videtur, multiplex esse potest; nam si glandulæ ex. gr. ventriculi, vel obstructæ, vel exhaustæ, vel alia quavis ratione arefactæ, laticem salivalem, qui plexus orificii ventriculi superioris blande vellicando, famem suscitet, non emittant, anorexiam facerent; si nervo-

Causa:

vorum plexus, aut resoluti stupefiant, aut mucore nimio infarcti, laticis præfati actionem, vel non sentiant, vel sibi non immittant, anorexiam parerent. Si latex ipse, aut enervis, aut effœtus, aut alia quavis ex causa immutatus, plexus præfatos non titillet, aut titillando acriter lædat, is, vel famem neutiquam inferret, aut pro fame sensum potius doloris excitaret; quo in casu pessimam induceret anorexiam.

Prognosis. Pueri, item & Senes longe magis, quam alii anorexia læduntur. Principio cujuslibet ægritudinis nocet minus, quam processu. Sub finem autem, tum, quum vires refici debeant, pessima.

Curatio. Ubi glandulæ in tunicis, ac earum vascula excretoria inter villos ventriculi interiores, obstructiones patiuntur; aut ubi, vel mucor nimius, vel is nimium glutinosus, ac densus, in ventriculi cavo exuberans, ejusdem ventriculi faciem intus infarcit, ea omnia adhibere convenit, tum diæta, tum pharmacia, quæ prædictas obstructiones reserare, ac præfatum mucorem valde concretum discutere valeant. Id præ cæteris præstant amaricantia, blande volatilia, aromatica, inter quæ solemnia sunt rhabarbarata, theriacalia, pulvis stomachicus Quercetani, hisque similia, quibus vis resolvendi passim adscribitur. Ubi, aut serum, aut lympha redundans, ventriculi fermentum diluendo obruit, atque enervat, præter amaricantia, ea omnia conveniunt, quæ humores, ut ita dicam, pituitosos illuc confluentes, aut ex alvo, aut in urinam, aut per sudorem, necnon etiam vomitu leniter egerunt. Hujusmodi sunt radix hipecacuanha, quæ vomitum blande cit, ut infra dicendum; magnesia, quæ dicitur alba; salia tartari, absynthii, centaurei minoris, syrupus florum persicorum &c. Prosunt quoque quamsæpissime subacida, item & acida, quæ, aut alvum, aut urinam movent, uti sunt syrupi acetosi simplices, oxymel, de omphacio, tartarum, nitrum, & reliqua. Vini generosi semplex quandoque cyathus pervicacissimam, quam in abstemiis præsertim nimius fermentorum languor effecerat anorexiam, illico discussit. Ubi ventriculi succi acriores, atque erodentes facti, præter cibi fastidium, nervorum fibras acriter mordicando, cruciatus interiores provocant, conveniunt eluentia, bolosa, absorbentia, item & emollientia; quibus in casibus mirifice modo profuisse aquam nucerianam large epotam, observavimus; modo oleum amygdalarum dulcium recens ad uncias aliquot haustum, modo terram nucerianam, modo rasuram eboris, modo cancrorum oculos, aliaque testacea, margaritas præparatas, hisque similia, aut in bolos, aut in jure deglutita. Ubi vero, ob paralysin quamdam ventriculi peculiarem, sensus, quo cibos appetimus, obstupuerit, tum ea omnia, quæ talem paralysin resolvere queunt, propinanda veniunt; eaque vitanda, quæ eamdem paralysin, aut confirmare, aut fovere possent. Quocirca narcotica in hac anorexiæ specie; & vinum ipsum, utpote quod nervis officiat, quemadmodum plurimum nocent, ita præsidio esse debent antiparalytica, quorum pleraque, ubi de paralysi, abunde proposuimus. Commendamus igitur decoctiones foliorum salviæ, rorismarini, betonicæ, melissæ, radicis peoniæ, sarsæparillæ, ligni saxafras, infusiones aloeticas; conservas rosa-

ſarum, baccarum juniperi, betonicæ &c. At enim vero, quia ſingulæ anorexiæ ſpecies, de quibus hactenus egimus, aliorum morborum, & maxime febrium, ſymptomata frequentor eſſe ſolent, ad affectiones præcipuas, quas, aut præceſſerit anorexia, aut comitatur, aut inſequuta fuerit, eam curando, mentis aciem ſedulo ſemper intendere debemus.

Hiſtoria I.

Quicquid, anorexiæ medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoria declaramus.

CAlviſius annorum quadraginta quinque circiter, artem piſtoriam pluribus, ab illinc annis exercens, vir fortis, bene conſtitutus, ac optime valens, modicæ ſtaturæ, temperamenti frigidi, & ſicci, quod melancholicum alii, ſive atrabiliare vocant; menſe Februario, variis, in diæta potiſſimum, erroribus admiſſis, fluxuque, ſive potius ſtillicidio quodam hæmorrhoidali, cui identidem, nullo temporis ordine ſervato, obnoxius erat, plane ſuppreſſo, febre, quæ penitus intermittebat, rigore prævio, ad plures menſes erratice tentatur. Sponte ſubinde redeunt præfatæ ſanguinis excretiones, & febris omnino extinguitur. At pervicax, febre jam deleta, cibi faſtidium, una & nauſea ſubſequitur. Niſus irritos, raros quantumvis, & lenes habet vomendi, plurimum ſitit, ac languet inedia. Non quieſcit, urinas albas mingendo, tenues, incoctaſque abunde excernit. Dura eſt alvus, flatibus quandoque intumeſcunt hypochondria, qui præterea inteſtinorum anfractus, quin foras erumpere valeant, quaquaverſum pervagantur; quæ omnia Calviſium ita angebant, ut macie prope conſumptus, ideo hecticus non creditur, quia a febre immunis, ut ante jam diximus, prorſus evaſerat. Menſe Aprili ad operam is tandem noſtram in Noſocomio S. Jacobi Urbis Incurabilium, ulcere quodam non levi in crure ſiniſtro inſuper læſus, confugit. Ulcus brevi ex induſtria peritiſſimi, ac celeberrimi Chirurgiæ Profeſſoris cicatricem duxit. Supererat igitur, ut cibi faſtidium tamdiu contumax, & diutinum medicis præſidiis item diſcuteretur. Inter cæteros plurimos, quos olim in victu admittere conſueverat, errores, carne ſuilla plurimum ſalita, ac fumo indurata, leguminibus, fungis, limacibus veſci ſolitus, vino plurimum indulſerat. Ex quo anorexiam productam, eique fotam eſſe a recrementis quibuſdam pravis, glutinoſis, in ventriculo præſertim ex longo jam tempore congeſtis, ibique diu firmiter inhærentibus, clare quaſi conjicientes, ægrotantem, ita ut ſequitur, tractare cœpimus. Oleum amygdalarum dulcium recens, & ſine igne extractum ad uncias quatuor primum, quod ſubinde quotidie ad uncias duas in Aurora per dies quatuor in jure tartariſato, ut quicquid ſuperflui intus concreverat, emolliviſſet, idque nonnihil prius ſolviſſet, ea, qua infra declarabimus A ratione, clyſtere antea injecto, propinavimus. Mox ad uſum aquæ tetutianæ per vices hauriendæ, uti legitur in B, cum aqua nucerina, tranſivimus. Quo porro ventrem ei plurimum exinanivimus. Poſthac cibos ſenſim appetere cœpit, eouſque dum in priſtinum reſtitutus, optime convaluit. Is a vino, ad annum fere abhorrens, deinceps ſeſe prorſus abſtinuit; & res eatenus non improſpere proceſſerat. Quicquid poſt-

postmodum evenerit, penitus ignoravimus.

A ℞. *Ol. amygd. dul. rec.*, *& fin. ig. extr. unc. iv.*, *sal. tart. scrup. j.*, *jur. insulf. q. s. M.*, *& cap. in A.*, *ut m.*

Item ℞. *Ol. amyg. dul. rec.*, *& s. ig. extr. unc. ii.*, *sal. tart. scrup. ss.*, *jur. in quo sol. sit tart. bonon. dragm. j. M.*, *& cap. quotid. in A. per dies quatuor.*

B ℞. *Syrup. flor. persic. unc. iv.*, *aq. tetutian. q. s. M. f. pot.*, *& cap. in A*, *cui post horæ unius intervallum per vices superbibat aqu. tetut. lib. ii. quibus egestis superbibat aquam nucerianam ad libras saltem quatuor quoque per vices*; *idque repetatur alternis diebus per vices quatuor*, *ea tamen lege*, *ut diebus intermissionis bibat in A. libras saltem duas aquæ nucerinæ cum unciis duabus syrupi de corticibus citri*; *quibus & viscera humectabat*, *& vires prætermodum languentes aliquantulum reficiebat.*

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN SPECTANTES.

Vinum, spiritus vini, & reliqua ejusdem generis resistunt. potius alimentorum digestioni.

VInum, ut ante jam diximus, utpote quod nervis semper insensum, ventriculi plexus, quum eo præsertim abutimur, stupefacit, ac famem quandoque penitus adimit. Hinc ratio, quare Oenopotæ, vini nimirum potores, anorexia passim laborent; quod iis quoque crebrius succedit qui spiritum vini, rosoli, cæterasque id generis res, ad roborandum, ut inquiunt, stomachum quotidie sorbent. Videat igitur in quonam versetur errore imperitorum vulgus, qui in conviviis, dapibus opipare ingestis digerendis, extenuandisque, talia adhibere studet; ac tandem aliquando pernoscat, intelligatque, id aqua frigida large epota longe melius se consequi posse; quæ ingestorum compagem diluendo, æque ac solvendo, efficit, ut fermenta digestionis ea facilius subeant, subigantque. Præterea ventriculi parietes blande contrahit, eosque roborat, quo leniter latices digerentes ex minimis glandulis exprimit, ut per eos alimentorum digestio citius, & commodius peragatur; quod nequaquam, nec a vino, præcipue meraciori, nec a vini spiritu, cæterisque hujusmodi tanta opportunitate expectare possumus; quæ ventriculi fibras irritando, eas ruditer, ut ita dicam, corrugant, & oscula glandularum intercepta excretoria obnixe claudunt, menstrua solventia intus cohibent, continentque. *Aquam* diximus *frigidam*, quum idem, nec calida, nec tepens præstare possit; quæ, quum sit calida, & multo magis, quum intepescat, ventriculi membranas laxat, ejusque vires solvit, infringitque.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Aquæ tetutianæ usus, & facultates.

AQUA tetutiana, quæ vulgo dicitur *del Tettuccio*, est aqua quædam mineralis, quæ, quia saporem salsum, item & quodammodo acidum præsefert, salmacidarum sub censu est. De hac scripsit Ugolinus, Andreas Bacci de Termis lib. V., necnon etiam postremo, perfunctorie licet in dialogis suis Antonius Franciscus Bertini. Eam, tum in potu, tum in balneo perquam utilem sane in dies experimur. A Castello quodam Montis Catini,

tini, quod Pistorio in Hetruria oppido, proximum est, uti legimus penes Bacci præcitatum, non procul extant scatebræ aquæ istius Intestinorum, æque ac renum recrementa non minus per alvum, quam per urinas hausta dejicit. Dysentericis præcipue, tum epota, tum clysteribus immissa, tum etiam balneis adhibita, uti suo loco dicendum, mirifice prodest. Præterea obstructiones solvit, renes, ureteres, ac vesicam urinariam detergit; ventriculi, æque ac intestinorum fibras roborat, quibus, quum languent, tonum restituit &c. Nihilosecius præposterе propinata, plurimum quandoque lædit, cerebro potissimum, ac nervis insensa; quocirca, ut in ea præscribenda valde cauti semper incedant, Tyrones hortamur. Dosis ejus in potu a libra una ad tripondium est. Propinari semper debet cum vehiculo idoneo, eaque, si conveniens est, per vices quoque XV. reiterari potest; non tamen quotidie, sed ex intervallo, aut tertia, aut quarta, aut quinta quaque die &c. Vehicula, quibus nos utimur, sunt syrupi, vel florum persicorum, vel rosatus aureus solutivus, vel mel rosatum solutivum cum melle violato solutivo, hisque similia, ad uncias tres, aut quatuor cum eadem aqua soluta. Quibus, aut diarrhœa, aut dysenteria, aut lienteria alvus præter naturam quomodocumque fluat, vel sine vehiculo non semel felicissime præbuimus. Bolis paulo ante cœnam, sive ex cassia cum pulpa tamarindorum, sive ex Diatartaro Petri Castelli sub vesperam pridie deglutitis, aquam tetutianam postridie antelucanis horis in alvi profluvio, optimo cum successu, interdum præscripsimus. Si febris adsit, eaque præcipue, aut ardens, aut continua, aquæ istius usus, in potu saltem omnino interdicendus, quum noxam utique plurimam in febre continua eam semper intulisse, nobis visum sit. Non ita, si clystere immittatur; eoquod enemate frequenter immissa alvi sordes blande subducat, ventrem mirifice exoneret, eluatque; quo febres etiamsi contumacissimas, tum, quum maxime, visceribus imi ventris obstructis, extiterint, quamcitissime restinxit.

CAPUT VI.

De Nausea.

NAusea, proprie quamvis vomendi conatum, quem navigantibus æstuans mare concitare solet, passim designet, atque in Praxi medica tametsi pro omni ciborum fastidio indiscrete usurpetur, ex communi tamen calculo, *propensionem, aut conatum quemdam esse*, describitur, *vomendi irritum, cum cibi fastidio, anxietate, & salivatione*. Definitio.

Diagnosin quum ex eadem morbi descriptione haurire quisque sibi commode valeat, nihil est, quod in ea diutius immoremur. Diagnosis.

Tum concitari potissimum videtur, quum ventriculi latices talem, ac tantam sibi nacti pravitatem, ventriculi plexus ita vellicent, ut appetentiæ loco, molestum sensum, quo cibos fastidimus, una & ventriculi levem quamdam contractionem, qua ad vomitum incitamur, provocent, qui propterea ex intervallo ideo augetur, quia nervorum plexibus in ventriculo lacessitis, Causa.

ſitis, diaphragma, æque ac reliqui abdominis muſculi identidem ex conſortio irritantur, convelluntur, ſive contrahuntur, contractique una cum aliis viſceribus imi ventris, ventriculum quoque comprimunt, & niſum vomendi concitant. Niſus autem vomendi triplici ex cauſa eo in caſu irritus eſſe poteſt; quoniam nimirum ventriculi contractio, & preſſio lenis eſt: quoniam materia vomitu egerenda caret ventriculus: & quoniam materia ipſa egerenda, utpote quæ tenax quandoque ſit, glutinis adinſtar, firmiter nimis intus inhæret. Quapropter nauſeam explicare aggreſſi, haud perperam Majores noſtri, eam tum fieri tradiderunt, cum ore ſuperne prolatato, æque ac inferne contracto, compreſſoque, incaſſum ventriculus ob facultatis expultricis imbecillitatem, quicquid ſibi moleſtum, atque inſenſum eſt, ejicere enititur.

Prognoſis. Quicquid ratione prognoſis de cibi faſtidio nuper innuimus, & de nauſea dicendum item ducimus; eo tamen diſcrimine, quod ſimplex anorexia minus ſemper habet periculi, cæteris paribus, quam vera nauſea; in qua, uti ante jam diximus, præter cibi faſtidium, accedit irritus vomendi niſus.

Curatio. Quum humores, qui anorexiam faciunt, & nauſeam itidem, modo in diverſis agant circumſtantiis, provocare poſſint, ea univerſa præſidia, quæ anorexiæ evincendæ mox propoſuimus, pro nauſea iterum hic proponendum exiſtimamus. Emetica iccirco, eccoprotica, necnon etiam diuretica, quæ ad cibi faſtidium diſcutiendum paulo ante recenſuimus, nauſeam quoque ſuſtuliſſe, obſervavimus. Quoniam autem non ſemper ejuſdem generis humores, qui nauſeam faciunt, eſſe cognovimus; ideo neque ſemper iiſdem præſidiis occurrendum ei arbitramur. Quapropter, alvo prius exterſa, pulveres abſorbentes, uti ſunt coralium, cryſtallus montis preparata, hiſque ſimilia, modo propinavimus; modo ſubacida, uti ſunt nitrum depuratum, ſalprunellæ, tartarum, decoctiones foliorum acetoſæ, ſyrupus acetoſus, de acido limonum &c. modo acria, uti ſal tartari; modo amaricantia, uti ſunt infuſiones corticum aurantiorum, citri, ſummitatum abſynthii, rutæ hortenſis, centaurii minoris, rhabarbari, & reliqua, de quibus in præcedentibus loquuti, nihil eſt, quod hic plura dicamus.

CAPUT VII.

De Fame præter naturam adaucta, item & vitiata.

FAmes, ſive potius ciborum appetentia, quemadmodum ita quandoque prætermodum adeo proſternitur, ut cibos neutiquam appetamus; ita quoque interdum adeo intenditur, vel vitiatur, ut, aut longe plus, quam convenit, aut inſueta appetamus. Unde triplex ægritudinis genus, quo appetentia læditur: fames nimirum, aut appetentia, quæ dicitur *canina*: *bulimus*: *malacia*, quæ ſub *picæ* nomine, penes nonnullos, item venit. In fame canina, canis adinſtar voracis, congrua tamen appetit æger, quæque appetit, vorat, & quin ea dentibus quandoque comminuat, ingerit, atque, non-co-

cocta, sive indigesta subinde non raro evomit. In bulimo adhæc magis intenditur appetentia, atque eo devenit, ut, nonnisi quid ægrotanti in refectionem sæpesæpius propinetur, is acriter adeo fame intus tentetur, ut animo tandem delinquat. In malacia, sive pica, avide non minus, sed non congrua: carbones videlicet, calcem, lapides, corium, item & quandoque immunditias appetit æger. Ab appetentia, quæ dicitur canina, quam paucis hoc capite absolvendam decrevimus, exordiri placuit, reliquas vitiatæ famis species animadversionibus sequentibus expositurí. Nihil igitur aliud est appetentia canina, uti ex dictis quoque patet, præterquam *vehementissima, ac pene inexplebilis edendi, sive potius vorandi libido, quandoque cum vomitu, procul tamen ab animi deliquio*; quo solo, ut postmodum dicendum, a bulimo distat.

Definitio famis caninæ.

Diagnosis. Signa, quæ, ut ab aliis dignoscatur morbis appetentia canina, efficiunt, ex ejus descriptione satis, superque elucent.

Causa. Exoriri credimus, quia ventriculi fermenta, optime quamvis constituta, vigent nimis; quæ proinde orificii superioris plexus in ventriculo acriter mordicando, eam propemodum inexplebilem, qua congrua appetimus, appetentiam excitent. *Optime* diximus constituta, quum nonnisi, aut ob nimiam quantitatem, aut ob intensissimam, qua pollent vi, in fame canina peccare existimemus; secus enim, aut cibi fastidium, aut nauseam, aut bulimum, aut malaciam provocarent. Quapropter appetentiam caninam describendo, *continuam, ac insatiabilem vorandi cupidinem, ob vehementem suctionis sensum, quo stomachus impense prurit*, eam esse Majores nostri protulerunt.

Prognosis. Appetentia, etiamsi canina foret, raro admodum ægrotantem cum periculo invadit; quinimmo tum, quum ab aliis æger convaluerit morbis, optimum omen facere semper deberet, morbum quippe tum plane solutum iri indicare solet. Caveat nihilosecius, ne sibi, edendo, nimis indulgeat; quo in casu, aut recidivam pati, aut in alias longe pejores affectiones temporis processu incurrere posset.

Curatio. Ut ea tam vehemens, ac pene dicam, efferata edendi aviditas cicuretur, vim fermentorum nimiam, aut leniamus, aut eluamus, aut retundamus, necesse est; quod præstare expedit modo aqua gelida abunde epota, sive simplici, sive hordeacea, sive avenacea &c. Cyathus quandoque vini meracioris gelu prope concreti, appetentiam caninam non semel discussit; modo eam absorbentia cohibuerunt: testacea nimirum, bolosa &c. Gelatina cornu cervi non raro mirifice profuit interdum oleacea; quam sæpissime emulsiones hordeaceæ, ex amygdalis dulcibus recentibus, ex seminibus, quæ *frigida* vocantur; necnon etiam diutinus lactis usus, ejusmodi appetentiæ sedandæ, destruendæque, præsens fuit remedium. Varia denique, prout hic, atque ille in ventriculo peccaverit humor, esuriei curandæ præsidia adhiberi debent.

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Exponitur bulimi doctrina, diagnosis, causa, prognosis, & curatio.

BUlimus, quem & bulimiam appellare quispiam consuevit, ab etymologia ex Græcis nonnisi *magnam esuriem* sonare videtur. Nihil aliud est, *quam ciborum appetentia canina cum frequenti animi deliquio*; quum per id peculiariter bulimus ab appetentia ciborum canina, de qua mox diximus, distinguatur. Hinc id genus appetentiæ describentes, *ingentem*, & *vehementem*, *quæ in nauseam ut plurimum*, *cum animi deliquio*, *ac summa virium imbecillitate*, *desinit*, *esuriem esse*, olim tradiderunt Veteres. Concitari existimamus ob nimiam fermentorum acrimoniam, qua orificii in ventriculo superioris plexus ruditer adeo mordicant, ut ex consensu cerebrum, æque ac cor offendant; quo animi deliquium frequens, ac virium languorem facit. Quia autem, hyeme præsertim, eos, qui per nivosas iter faciunt, bulimus tentare solet; ideo ob frigidam ventriculi intemperiem fieri sibi suadebant Prisci; qui nihilominus, si illud Hippocratis (a), ubi ait, *ventres hyeme*, *& vere natura calidissimi sunt*, *& somni longissimi*, *quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda*; *etenim tum calor innatus plurimus est*, *unde & pluribus egent alimentis*, animadvertissent, inferre potius debuissent, talem esuriem frigoribus, ea tempestate, hyeme videlicet, non alia ex causa augeri, nisi quod per *antiperistasin*, ut vulgo creditur, intus compressus, ac quasi coercitus magis magisque intendatur calor, & longe validius agat, ac uberiorem proinde alimoniæ copiam in sui conservationem exigat. Non secus ac esuries canina, citra periculum ægrotantem lacessere solet bulimus; attamen, quoniam est morbus in gradu majori constitutus, difficilius cedit, longeque magis, quam simplex esuries canina œconomiam animalem lædit. Quinimmo, quum morbis chronicis, quartanæ nimirum, hydropi, phthisi, hisque similibus supervenerit, lethalis quoque non raro fuit. Ut solvatur, iisdem ferme præsidiis, quæ in capite superiori esuriei caninæ sedandæ proposuimus, ei occurrendum ducimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Exponitur picæ doctrina, diagnosis, causa, prognosis, & curatio.

AB ave, ut creditur, voracissima, quæ vulgo *pica* nuncupatur, pica dicitur ea vitiata fames, qua lacessiti res insuetas, quæque in alimoniam cedere haud possunt, aut perperam quandoque cedunt, appetimus. Ab aliis vocatur *malacia*; id nominis quamvis esuriei etiam caninæ imposuerint alii. Nos autem picam hic, sive malaciam proprie dicimus, *eam esse pravam*, *sive viciatam esuriem*, *qua res*, *quæ nutritioni*, *aut prorsus ineptæ*, *aut saltem non congruæ*, *videntur*, *non raro cum languore*, *anxietate*, *animique deliquio*, *vehementer appetimus*. *Videntur* dicimus, quoniam eo in statu fortasse morboso, & picaceo, quæ appetuntur, tametsi insueta, aptiora, quam consueta sunt, ut cor-

(a) *Sect. 1. Aph. 15.*

corporis illius, qui tali morbo laborat, in alimoniam vertantur. At hac de re quid sentire placuit, tum, quum in sequenti animi dversione malaciæ causam, ut potero, enucleare conabor, deinceps aperiam. Fœminis, utero maxime gerentibus, aliisque, quibus compressi fuerint menses, quam maribus, frequentior esse solet, & passim sine periculo. In prægnantibus sanguinis eductio, ut suo loco dicendum, malaciam interdum discutere valuit; quam & in aliis opportune factam commendamus, in plethoricis præcipue, cæterisque; quibus postquam sanguis per loca consueta excernendus non amplius fluxerit, pica supervenerit. Purgationes blandas, alterantia, stomachica, & potissimum amaricantia, deobstruentia, & reliqua, ad sordes ventriculi, æque ac intestinorum eluendas, extenuandas, ac resolvendas, non improbamus; de quibus tamen universis, ubi & de viscerum obstructionibus, & de morbis mulierum peculiaribus verba facturis, fuse dicendum. Tyrones modo hic perfunctorie tantum monitos volumus, ne prægnantes, quibus præ cæteris malacia solemnis est, adaucter tractare aggressi, abortum iis moveant, ut sese a purgantibus validioribus, deobstruentibus, hisque similibus, abstineant.

Historia II.

Quicquid, picæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

TUlliola nobilis mulier, tres, & viginti annos nata, temperamento sanguineo prædita, optime in omnibus constituta, ac Romæ recens nupta, virum postquam passa est, febre continua corripitur; quæ ardentissima licet, ad diem quartam, uberrimo perfuso sudore, felicissime solvitur. Diebus vix 15. subinde exactis, menses, qui fluere jam cœperant, ob incussum quemdam timorem, repente supprimuntur; quibus plane suppressis, febricula succenditur. Quamobrem diu lente postmodum febriens, cibi fastidio prius, mox nausea, pica postremo tentatur; in qua nihil aliud in refectionem, nisi cortices arborum, ac vitium frondes, quas avide appetit, quotidie efflagitat, iisque præterea clancculum abunde vescitur. Languens interim, decolor, & squalens, prætermodum sitit, a vino prorsus abhorrens. Identidem evomit, quæque vomendo ejicit, acorem sapiunt, lignea, atque herbida sunt, eaque demum redolent, quæ paulo ante ingesserat. Sub mensis finem, fluxus lunaris, uti consueverat, periodice recurrit, & morbus adhuc viget; quinimmo potius invaluit. Hinc ad operam nostram confugit. Augustus mensis erat sub diebus canicularibus, quum eam tractare cœpimus, cui statim potionem hanc A solventem præscripsimus, quæ suaviter alvum concitavit. Vena postridie in brachio soluta, ut sanguinis libra circiter deflueret, curavimus. Ater erat sanguis, concretus, ac sero propemodum carens; quapropter Tulliolam, ad eam, qua maxime angebatur, sitim explendam, aquam frigidam cum succo omphacii, ac saccharo paratam, ut large potaret, quotidie hortabamur. Diebus sequentibus infusionem hanc B ex rhabarbaro, in Aurora quotidie sumendam confecimus. Subinde, aliis nimirum quindecim diebus a prima sanguinis missione interpositis, ad aliam pari quantitate ex pede devenimus grossularia interim, ut dapes sibi condiret,

potestatem facientes. Paulo post concepit. Tempore gestationis longe melius in dies se habere semper cœpit, donec tandem puerpera, fœtu in lucem feliciter edito, ac optime repurgata, omnino convaluit.

A ℞. *Folior. sen. oriental. mund. unc. ss., sal. tartar. scrup. j., cinnam. optim. scrup. ss., rhabarb. elect. drach. j., aqu. commun. q. s. M. f. inf., & macer. ciner. calid. per horas 12. circiter S. A., colet., & add. mell. hispan. unc. ij. cap. in A., ut m., superbibendo postmodum per vices maximam aquæ nucerinæ copiam frigidam.*

B ℞. *Rhabarb. elect. scrup. j., cinnam. opt. scrup. ss., sal. tart. gr. x., aq. comm. q. s. M., f. inf., & macer. S. A., colet. & add. succ. omphacii, & mell. hispan. ana unc. j. colet., & cap. in A., ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quæ appetuntur in malacia, non congrua quamvis videantur, non omnino interdicenda.

COgitationes, quibus, sensuum beneficio, ut inter edulia in refectionem aliquid impensius præ cæteris appetamus quandoque ducimur, si tamen organa bene se habeant, docente natura, indicant nobis, id corpori nutriendo in eo statu perquam idoneum fore. Hinc vulgatum illud: *quod sapit, nutrit*. Idem non raro in ipsis morbis contingere videtur, in quibus & insueta appetimus. Ex quo procul dubio fit, ut in reparationem lymphæ æstu febrili jam exhaustæ plurimum sitire soleant febrientes. Hinc quibus viscera ingluvies antea labefecit, nausea mox superveniens cibi abstinentiam commendat. Hinc morbo diutino confectus si quis tandem convaluit, & vires fractas, æque ut carnem absumptam sibi reficiat, ea ingenti, qua postmodum lacessitur, esurie, peropportune admonetur. Sicut igitur perperam sibi utplurimum consuleret febriens, qui, quum sitit impense, sitim differret; perperam nauseabundus, qui invito naturæ impulsu, opipare vesci adhuc contenderet; & sicut perperam item sibi consuleret, qui a morbo postquam evaserit immunis, fame licet valde tentatus ejusdem naturæ admonentis instinctui longe plus quam deceret, resisteret; ita quoque picaceus affectionem sibi magis adhuc, ni fallor, exasperaret, si a rebus, quamvis insuetis, quas tamen avide appetit, sese prorsus abstineret. Id profecto effecit, ut in Tulliola nostra picacea, quæ vitium frondes supramodum appetiverat, eam picam, grossularia, item & omphacio, hisque similibus, quæ rebus, quas tam impense appetebat, nobis quodammodo videbantur analoga, solvere tentaverimus. Ex quo inferre rationi consonum insuper videtur, talem labem ventriculi latices in malacia contraxisse, ut eam excitent, in picaceis tamen, esuriem, qua res appetunt, ex quibus, non congruæ quamvis videantur, longe meliorem tamen digestionem, aptioremque alimoniam tum eliciant, quam ex aliis optimæ licet conditionis, quibus nihilominus adversantur. Enim vero carbonibus, lacertis, araneis, aliisque, quæ plurimum sordescunt, citra multam noxam vesci quam sæpissime solitos fuisse malacia affectos, ex usu innotuit. Perpauca hæc in gratiam Tyronum innuere hic voluimus, ex quibus ratione eorum, quæ ad malaciæ causas in medendi methodo subducendas adhibenda sunt, plurima indicia desumere possint.

Qui

Qui hydrope laborat, vehementer sitit, instabis; ac proinde sitiens humidum, quo tum obruitur, impense appetit, alterius urgebis. Age igitur quisquis es, qui talia loquutus quicquid superius innuimus, infregisse opinaris. Ades dum, & paullulum opperire, quoad in sequentibus, hydropem tibi exponam; ut qua ratione in hydrope sitis excitetur pernoscendo, aperte conjicias, sanguinem intus in vasis lympha ob hydropem jam exhaustum, eo, quo sitim in organis excitat, sensu, serum illud perquam tenue, quod sibi deest, natura, ut ita dicam, monente efflagitare.

CAPUT IX.

De Vomitu.

Definitio, & Diagnosis.

NIhil aliud est vomitus, quam *affectio ventriculi, qua constricto pyloro, contractus, & undique pressus quicquid intus continet ventriculus, per œsophagum rejicit.* Hinc vomitum dignoscere res perquam facilis est, quum ejus indicia extrinsecus appareant. Quod ad causam attinet, quoties pyloro contracto, ut ex hactenus dictis item elucescit, contrahitur, & comprimitur ventriculus, toties, aut succedat vomitus, aut saltem vomendi nisus, necesse est. Ideo contrahitur pylorus, item & ventriculus, quia eorum contrahuntur fibræ. Ideo comprimitur ventriculus, quia contrahuntur musculi abdominis, una & septum præsertim transversum; quod cum reliquis musculis contractum viscera comprimit imi ventris, inter viscera comprimit ventriculum, unde materiam contentam exprimit; quæ, quum ex pyloro contracto, clausoque, in fistulam intestinorum traduci nequeat, fieri haud potest, quominus ad orificium superius evecta tandem eructetur. Hinc sane vomitus; qui eo facilius erumpit, quo magis orificium ventriculi superius, contracto, depressoque, ac pene dicam, complanato diaphragmate, explicatur, & inhiat. Quicquid igitur, sive nervos, sive nervorum plexus, aut in ventriculo, aut extra, adeo afficere valet, ut præfatas excitet in abdomine contractiones, id tamquam causa vomitum inducens in præfatis circumstantiis, non injuria haberi debet.

Causa.

Prognosis.

Recrementa, quæ vomendo egeruntur, a cibo ingesto, a chylo, vel ab humoribus digestioni inservientibus, quo magis odore, & colore recedunt, eo majorem œconomiæ animalis indicant perturbationem. Iccirco si livescunt, si nigricant, si stercorosa prætermodum graveoleant, id pessimum semper haberi debet indicium. Hinc plurimum animadvertere refert, an color, & odor hisce in casibus, num a rebus paulo prius ingestis, num a labe intus contracta, proveniant. Nihilosecius in morbis quibusdam gravioribus vomitum, præter naturam licet coloratum, criticum quandoque, & salutarem fuisse, non raro, qui talibus morbis laborabant, experti sunt.

Curatio.

Ut vomitus, qui ob materiam fit ventriculo insidentem, ejusque tunicas divexantem, peropportune sedetur, ea materia peccans, aut educenda, aut corrigenda est. Educi satius convenit per superiora, quam per alvum subduci, ne ad intestina delata, viscera torqueat imi ventris, nervorum plexus ibi lacessat, æque ac chylum coinquinet. Blandiora tamen sint

sint emetica, quæ hydrelæo præcipue, aliisque non absimilibus emollientibus, quæ tepentia per os immissa, vomitum facile cient, parari juvat. Materiam peccantem corrigunt præ cæteris abluentia; quocirca aqua, aut simplex, aut hordeacea, aut jusculum insulsum, large hausta, nisi vomitum provocent, humores acres obruunt, eluunt, retundunt, enervant, citraque noxam quamsæpissime ex alvo dejiciunt, nonnumquam per urinam, aliquando, raro admodum quamvis, per sudorem egerunt. Vomitus autem, qui fit ex aliarum partium consortio, tum maxime, quum producatur ab organis læsis, si œconomiam animalem plurimum lædat, ac viscerum facultates labefactet, opiatis cohibendus est; de quibus, & in superioribus abunde jam dictum, & in sequentibus fusius dicendum.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Vomitus utplurimum est salutaris.

VEntriculum, aut stomachum inter organa corporis humani viventis tali quoque, ac tanto opificio fabrefecit ter Optimus Maximus Opifex, ut si quid, ratione sanitatis, aut non congrui, aut nobis infensi in ejus capacitatem deferatur, eumdem ita afficiat, ut plexibus irritatis, vomitum moveat; quo quicquid sibi, cæterisque partibus infestum est, quamprimum rejiciat: antequam videlicet ad intestina illapsum, vel ipsa lædat intestina, vel una cum chylo ulterius invectum, universam œconomiam animalem turbet, atque evertat. Hinc vomitus in reparationem humani corporis affecti utplurimum tendit. Si quando, aut noceat, aut saltem non juvet, id per accidens est. Tum, quum, vel sympathice excitatur, ut in calculis; vel ab organis graviter læsis, ut in vulneribus, & capitis ictibus persæpe contingit, eo in casu symptomaticus nuncupatur; quinimmo & ubi ab organis graviter læsis extiterit, infausta portendit. Lumbrici stomachum insuper mordicantes, ut & ulcus, sive abscessus in eadem ventriculi substantia confectus, mortiferos quandoque movere possunt vomendi nisus. Quum sola verminatio in causa fuerit, res licet non semper expers periculi, facile tamen curatur iis, quæ vermes enecant, adhibitis præsidiis, de quibus suo loco fuse.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Unde provenit recrementorum colluvies, quam vomitu navigantes egerunt.

VOmitus, qui navigantibus imprimis, quum æstuat mare procellis, movetur; quemque sese in gyrum pernicissime circumducentes, una cum vertigine, data opera, sibi accersunt, negare nemo potest, quin sit vomitus, qui provocetur a motu quodam vorticoso, aut turbulento, quo, cerebro intus concusso, exagitatoque, spiritus animales, ut ita dicam, tumultuando, per intervalla erumpunt, ac per nervos in fibras, tum pylori, tum ventriculi, tum diaphragmatis, æque ac reliquorum musculorum abdominis irruunt; quo fit, ut pylorus, stomachus, una & musculi præfati per vices insimul contracti, nisus identidem faciant vomendi; quibus colluviem quandoque viridem, quam *poraceam* vulgo appellant, cumulate eructant. Talis, ac tanta colluvies, quam vel ex corporibus saluberrimis tum prodire contingit, nihil aliud

aliud esse videtur, nisi congeries, sive collectio, quæ ex laticibus variis per vomendi nisus expressis, in cavo ventriculi cumulatur: ex bile præsertim, succoque pancreatico, quæ invicem permixta, ita in ventriculo immutantur, ut colorem herbidum, & quasi porraceum nacta, recrementi speciem referant. Sibimetipsi itaque, aliisque imponit Clinicus ille, qui quoties ejusmodi humores vomitu ejectos viderit, redundare opinetur, atque emeticis, & alvum subducentibus adimere adnitatur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Vomitus sanguinis quid, ejusque causa, prognosis, & curatio.

EX iis, quæ evomuntur, sanguis quoque non raro evomitur: quod tum potissimum fieri solet, quum aliqua ex causa tubuli intus in ventriculo adaperti sanguinem in ejus cavum immittunt; qui propterea ibi collectus, & stagnans, vomitum movet, & eructatur. Vomitus hujusmodi iis frequens esse solet, quibus excretiones sanguinis diu suppressæ in causa sunt, ut in vasis redundans ea in ventriculo, aut referet, aut disrumpat. Quamobrem sanguinem evomunt non raro prægnantes, aliæque, quibus menses defecerint. Spleneticis quoque vomitus sanguinis familiaris esse solet, quoniam sanguis, qui libere per ductus splenis infarctos in gyrum moveri nequit, augetur in tubulis ventriculi, eorum parietes extendit, oscula recludit, & in ventriculum extillat. Referunt item Scriptores ulcus vetus, quod in crure cicatricem induxit, vomitum sanguinis progenuisse. Interdum fieri quoque potuit, ut humor quidam acris, aut ingenitus in eodem ventriculo, aut cum alimentis ingestus, vasa sanguifera exedendo, vomitum sanguinis fecerit. Tales vomitus cruenti, propter visceris affecti præstantiam, cum ingenti vitæ discrimine semper erumpunt. Nihilosecius minus periculi uterum gerentibus, quam aliis, moliuntur; ut & iis, quæ ex mensium fluxu compresso, sanguinem evomunt. Sanguinis vomitum febrientibus criticum observavimus; tametsi affirmet Hippocrates: *quicumque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si vero cum febre, malum* (a). Ejusmodi vomitiones sistit imprimis sanguis large eductus, item & diluentia, bolosa, vulneraria, subacida opportune propinata. Sunt, qui urticæ succum hisce in casibus plurimum commendant, alii aquas stipticas cum vitriolo paratas, alii spiritum sulphuris, chalybeata &c. Nobis autem non semel contigit, ut gelida, quam tempestive sorbendam præbuimus, vomitum sanguinis jam prope deploratum illico restiterit; juxta illud Hippocratis in eodem præcitato aphorismo: *Curare vero acerbis, & refrigerantibus*. In quo tamen id potissimum adnotandum, sanguinem ita compressum in tubulis quandoque concrescere, immutari, & adeo contaminari, ut ventriculi abscessus, ulcus, necnon etiam gangrænam faciat.

(a) *Aphor.* 38. *Sect.* 5.

CA-

CAPUT X.

De Cardialgia.

Definitio. TAmetsi ex nominis etymologia nihil aliud proprie cardialgia, præterquam, qui cor mordeat, dolorem denotet; nihilominus ad designandam ventriculi atrocissimam affectionem, quæ, nervorum plexibus irritatis, præcordia acriter quoque ex consortio, una & ventriculum torquet, in Praxi medica passim usurpatur. Quinimmo penes Hipp. (a) *Mulieri cor, hoc est os ventriculi dolebat*. Unde ex communi Recentiorum saltem calculo eam describendo, proferre non dubitamus, cardialgiam *dolorem quemdam vehementissimum esse*, ac pene dixerim, *intolerabilem*; *qui præcordia quamvis acriter quoque torqueat, orificio ventriculi superno; sinistro videlicet, proxime tamen insidere, ac pene infixus inhærere videtur, gravissima exinde, ac varia inducens perincommoda symptomata*: palpitationes nimirum cordis, animi deliquium, creberrimos, ac vehementissimos vomendi nisus, tremores spasmodicos, convulsiones, vertiginem non raro, & reliqua, de quibus mox.

Diagnosis. Cardialgiæ signa, præterea, quæ ante innuimus: præter syncopen nimirum, nauseam, vomitum, convulsiones &c. dolores sunt peracuti, lancinantes, & mordicantes non procul a corde, & præcipue ad scrobiculum cordis vergentes, hypochondriorum tensio, ac gravitas, respiratio difficilis, anxietas, & reliqua pravæ indolis symptomata, quæ, quum musculi abdominis, & præcordia convelluntur, concitari possunt.

Causa. Dolor, qui cardialgiam facit, manifesto exoriri videtur, vel a materia quadam acri, vel a vermibus; qui ventriculi plexus acriter mordicando, atrocissimum sensum doloris eliciunt. Præterea plexus ita lacessiti, per consensum non modo præcordia torquent, verum etiam & cerebrum non leviter afficiunt. Hinc vertigo, convulsiones, tremores spasmodici, syncopæ &c., quod Veteribus ansam dedit, cardialgiam procreari, ut sibi suaderent, modo a flava bile, quæ in cavo ventriculi plurimum excandesceret; modo a pituita admodum frigida, ac in flatus ob hepatis calidam intemperiem resoluta; modo a recrementis crudis, atque indigestis, quæ in eodem ventriculo ex coctionibus pravis congesta præter naturam fermententur; modo pluribus aliis ex causis; quas, quum brevitati studeamus, singillatim hic recensere non arridet.

Prognosis. Si febribus, & præsertim acutis, cardialgia supervenerit, fere semper lethalis. *In febribus circa ventriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, seu dolor, malum*. Ex Hippocrate (b). *In febribus acutis convulsiones, & dolores fortes circa viscera, malum*. Ex eodem Hippocrate (c). Procul a febre, periculo utplurimum vacat, ac non raro, vomitu accedente, solvitur; nisi tamen, aut ab ulcere extitisset, aut sympathica esset. Si ulcus ventriculum exeserit, cardialgia, quæ ab eo concitatur, plerumque insolubilis. In verminatione, non adeo funesta. Quum vomitum in cardialgia singultus insequantur, sudores frigidi, & convulsiones, ægrotantem id ut primum decessurum, portendere quamsæpissime consuevit.

Car-

(a) *Lib. 2. de morb. popul. sect. 2.*

(b) *Sect. 4. Aph. 65.* (c) *Sect. 4. Aph. 66.*

Digitized by Google

Curatio. Cardialgiam, quæ fit per essentiam, ab humoribus scilicet in ventriculo peccantibus, potiones oleaceæ, quæ vomitum blande moveant, felicissime solvunt. Et quum id non suffecerit, ad ea, quæ diluunt, confugiendum; quo in casu apprime juvant haustus largi, & frequentes juris insulsi, aquæ tepentis, decoctionis alicujus emollientis, olei, tum communis optimi, tum amygdalarum dulcium, tum seminum melonum recentis &c. Si a vermibus, ea, quæ verminationem curant, propinanda. Si spasmodica sit, vitio nimirum, aut spirituum, aut partium solidarum, præter oleosa præfata, conveniunt item & camphorata, opiata, theriacalia præ cæteris, confectiones hyacinthinæ, alkermes, hisque similia. Gelida persæpe ejusmodi cardialgiam, uti non semel testatus est usus, illico cohibuit. Si fiat ex consensu, partibus proxime affectis imprimis consulere decet. Fotus emollientes, semicupia, balinea, & reliqua ejusmodi exteriora, nisi cætera juverint, optima sunt. In corporibus plethoricis, vel iis, qui sanguinis consuetas suppressiones diu passi sunt, stomacho, ac alvo prius extersis, venam solvisse plurimum semper profuit.

Historia III.

Quicquid, cardialgiæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

MAcrinus perquam nobilis miles, qui ad septimum, & vigesimum nondum pervenerat ætatis annum, optime constitutus, staturæ proceræ, fortis, ac vegetus, temperamenti, quod vocant, aut biliosum, aut calidum, una & siccum; mense Octobri ex arce quadam, cui erat præsidio, profectus, peregre secessit. Subdio, itinere defatigatus, ad multas horas placide obdormivit. Experrectus plurimum sitiens, ac fame acriter tentatus, tuguriolum agreste ingreditur. Uva, æque ac ficubus avide vescitur, quibus mustum recens expressum, ut ardentissimam sitim expleret, iterum atque iterum superbibit. Postridie proximum Pagum ingressus febricitans, ac nauseabundus, vomendi nisus, quantumvis irritos, pati cœpit. Solvitur alvus, & febris cessat. Ac alvo subinde compressa, sistitur item & vomitus; verum dolore acerrimo a cordis scrobiculo non procul correptus, quo præcordia sibi dilaniari videbantur, opem ab omnibus in diversorio expostulat. Frequens erat pulsus, depressus, durus, imbecillis. Urinæ perexiguæ, ac tenues. Difficile respirabat. Intumuerant hypochondria; ac præ nimio calore, intus æstuans, foris abunde sudabat. Quinimmo & animi deliquio frequenter obnoxius, brevi se decessurum fore, arbitrabatur. Illic eo tempore, relaxandi animi causa & nos commorabamur; quæ res effecit, ut universas affectionis istius causas, & conditiones inquirentes, cardialgiam in Macrino hoc nostro ita tractare decreverimus. Potionem hanc oleaceam A, blande emeticam præscripsimus, quæ, vomitu leniter provocato, ingentem varii generis colluviem, cum maximo ægrotantis commodo, ex ventriculo ejecit. Non multum post, alia olei recentis quantitas ita, ut indicatur in B, propinata est, quæ alvum placide concitavit. Et, ut magis adhuc eluretur, clyster postmodum ex aqua simplici hordeacea injectus fuit. Ut interim eam, qua maxime ardebat, sitim compesceret, tum aquæ frigidiusculæ, tum juris insulsi, utut ei libuisset, potestatem fecimus. Maximam exinde urinæ co-

copiam excrevit. Et condito nonnihil soporifero C deglutito, ad multam noctem requievit, insudavitque. Expergefactus optime convaluit.

A ℞. *Ol. comm. opt. unc. iij., mell. comm. unc. j., aq. bord. tepent. q. s. M. pro potu blande emetico, ut m.*

B ℞. *Ol. amygd. dulc. rec., & fin. ign. extr. unc. iij., aq. cinnam. unc. j., saccbar. alb. unc. ss. M., & cap. in jure insulso, ut m.*

C ℞. *Mell. bispan. unc. j., confect. hyacinth., alKerm. ana. drach. j., laudan. nepent. liquid. gut. vii. M., f. condit., & cap. in jure insulso, ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

In cardialgia alvum statim movere est res plena periculi.

CArdialgiæ mederi studentibus, id imprimis adnotandum objicimus, si modo ab humoribus erodentibus, qui stomachum vellicent, provocetur, ne ei principio evacuantibus, etiamsi lenioribus, occurrant; quinimmo & clysteres, qui ægrotantem in vitæ quandoque discrimen adduxerunt, eo in casu plurimum iis suspecti esse debent; materia quippe taliter peccans, si ex cavo ventriculi prius, quam corrigatur, ad intestina devehatur, tormina, colicam, affectus iliacos, ac pervicacissimam dysenteriam non semel fecit. Ideoque emeticis prius, oleosis, eluentibus, atque emollientibus, quæ, aut colluviem eam mordicantem proxime per os expellant, aut nonnisi dilutam, edomitam, & quodammodo subactam in alvum deferant, uti convenit.

CAPUT XI.

De Diarrhœa.

Definitio diarrhœæ, & diagnosis.

DIarrhœa idem sonat, pene acsi *profluvium* dixeris. Nihil aliud est, quam *modo, aut cum torminibus, aut cum febre, aut cum utrisque; modo sine iis, frequens, larga, ac diutina ex intestinis fluidorum præter naturam excretio*; qua descriptione & diagnosin tradidimus.

Causa.

Diarrhœam provocant humores acres, qui nervorum propagines, quæ ad intestina dirimuntur, aut proxime, aut remote irritando, efficiunt, ut pressis, contractisque intestinis, eorumque motu *peristaltico* concitato: efficiunt, inquam, ut colluvies in eorum anfractibus cumulata, crebro, ac immature, indigesta videlicet, egeratur. Nil mirum igitur, si una cum fæcibus solutis, adhuc crudis, & chylus in diarrhœa excernatur. Neque mirum esse debet, si raro admodum diarrhœa concitet alvum, quin flatibus quoque, borborygmis, torminibus, aliisque sollicitetur incommodis; quæ non modo alimentorum coctiones turbant, evertuntque; verum etiam facultates universas lædunt, & febrem non raro movent. Quod Veteribus affirmandi ansam fecit, diarrhœam passim produci a chylo in cavo intestinorum corrupto, atque in vapores calidos, flatulentosque resoluto; qui facultatem intestinorum excretricem irritando, eam impense moveant. Iccirco Hippocrates (a) *chylus*, inquit, *corruptus calefacit, & turbat corpus*.

Prognosis.

Diarrhœa in Dysenteriam, nec-

(a) *Lib. 2. de diæta cap. 21.*

necnon etiam in Lienteriam facile quamvis transeat, longe tamen minus periculi habere, faciliusque curari solet, tum potissimum, quum talia purgentur, qualia purgari oportet. Nihilosecius lethalem eam existimavit Helmontius, quæ, deleta fermentorum vi, atque œconomiæ animalis lapsu, ut inquit, fit. Salutaris contra censetur, quæ ob cutim stipatam, aquilone potissimum flante hyemali, minimorum effluviis expirandis intus coercitis, movetur. Non ita, quæ pleuritidem insequitur ex Hippocrate (a). *Pleuritide, & peripneumonia correpto, alvi profluvium adveniens, malum.* Malum itidem si excreta sint alba, spumea, graveolentia, cruda, glutinosa, aquosa, mordicantia, æruginosa, & præsertim nigricantia, nisi tamen nigricent martialium usu; quo in casu fæces in diarrhœa nigricantes licet dejectæ, morbi solutionem utplurimum indicant. Periculo vacat, quæ a cibis, aut avide, aut copiose ingestis provenit. E converso, periculi nequaquam expers plane habenda est quæ movetur, aut inedia, aut veneno ingesto, & præcipue si convulsiones supervenerint, singultus, syncopæ, & sudores frigidi, quæ mortem in proximo versari prænunciant. Quæ metastasi sistitur, pessima. In senibus persæpe funesta. Quo leniora in diarrhœa extant symptomata, eo facilius cessat. Cum febre neutiquam sine periculo. Colliquans omnino insanabilis. Recrementa, quæ diarrhœa egeruntur, quo a statu naturali minus recedunt, eo melius; & contra. Ideoque, quum inspissentur fæces, & quum color iis revertatur consuetus, id morbum brevi solutum iri declarat. *Longo alvi profluvio laboranti, spontaneus vomitus superveniens, morbum solvit.* Ex Hippocrate (b).

Curatio.

Diarrhœæ comprimendæ aer confert temperatus; humidum quippe, frigidumque diarrhœam provocasse, experientia quotidie docuit. Id, ni fallor, quia minimorum per cutim expirationes coercet. Victus humidus esse debet, boni succi, qui facile subactus in alimoniam transeat. Principio tenuis; progressu autem viribus conservandis paulo plenior propinetur. Potiones largæ potius conferunt, tum præcipue, quum diarrhœa ex intestinorum producatur irritatione. Quo in casu mirifice prodest aqua dulcis limpidissima, item & bolosa, & quandoque etiam frigida abunde epota, quoniam salium vim acrem obtundit, infringit, solvit, eluitque. Quies magis confert, quam motus; somnus, quam vigiliæ. Ira, metus, mœror, aliæque vehementiores animi perturbationes, quantum fieri possit, evitandæ; eoquod alvum solvere iis solemne sit. Cæterum diarrhœæ curationem aggredi conveniens ducimus clysteribus lenientibus, refrigerantibus, atque abluentibus, qui sæpesæpius in die, si necessitas id exigat, injiciendi sunt. Ubi vero non profecerint, ad purgantia confugiendum; *fluxus quippe fluxu curatur.* Leniora tamen eligantur, quæ procul ab omni tumultu alvum moveant, sive potius eluant: uti sunt cassia recens extracta, pulpa tamarindorum, infusiones myrobalanorum, & reliqua hujusmodi; quibus, aut juris insulsi, aut seri caprilli, aut aquæ nucerinæ, hordeaceæ, avenaceæ, sive chalybeatæ superbibendum est.

(a) *Sect. 6. aphor. 16.*

(b) *Sect. 6. aph. 15.*

est. Et nihilosecius si pervicax, ac diutina fuerit, modo tamen neque critica, neque colliquans, neque cum febre, vomitus leniter ciendus; qui, quum aut sponte, aut arte concitatus supervenerit, diarrhœam, ut ex usu quotidiano percepimus, fere semper compressit. Frictiones, & balinea tum, quum maxime cutis constipata diarrhœam fecerit, numquam non optimo cum eventu hactenus præscripsimus. Torminibus in diarrhœa sedandis conveniunt oleosa: oleum nimirum commune, amygdalarum dulcium recens, seminum melonum, æque ac pulveres omnes bolosi, testacei, absorbentes; necnon etiam blande soporifera, uti sunt theriaca, mithridatum, dioscordium Fracastorii, requies Nicolai, confectiones hyacinthinæ, alkermes, & reliqua, de quibus universis, & in historia, & in animadversionibus infra exponendis, fuse.

Historia IV.

Quicquid, diarrhœa medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

TUlliolus nobilis adolescens Gallus, decem & septem ab illinc annis natus, temperie calida, & sicca, vulgo biliosa, corpore gracili præditus, ac in reliquis optime constitutus, vegetus, & bene valens, litterariis, æque ac equestribus exercitationibus valde addictus; mense Octobri, relaxandi animi gratia, cum aliis sodalibus in suburbanum se contulit, ubi venatui, aliisque ludis agrestibus subdio quotidie vacans, ac variam tempestatis inclementiam vicissim perpessus, modo impense incaluit, insudavitque, modo intempestive refrixit, modo fame, ac siti prætermodum lacessitus, fructibus autumnalibus enormiter vescebatur; mero præterea, ac variis aliis diversi generis sorbitionibus neutiquam parcens. Hinc noctu torminibus acriter tentatus, febre corripitur, una & alvi profluvio. Quæ per alvum excernit, sunt uberrima, incocta, soluta, biliosa, idest flavescentia, & adeo mordicantia, ut egesta partes infernas plurimum incendant. Faucibus exhaustis, vehementer sitit. Nauseabundus eructat. Ructus nidorem sapiunt. Obstrepit alvus. Intestina obmurmurant. Flatibus intumescunt hypochondria. Varii per lumbos identidem evagantur dolores. Solutis viribus, admodum languet. Urinæ, quas parce emittit, perquam tenues sunt, ac rubore suffusæ. Ipse interim irrequietus angitur, conqueritur, ac diem supremum reformidans, ut sibi adsint, omnes enixe precatur. Istud alvi profluvium in nobili adolescenti hac, quæ insequitur, ratione tractare curavimus. Clystere simplici ex aqua sola hordeacea, quem bis in die horis congruis diebus singulis injiciendum curavimus, prius immisso, oleum ex seminibus melonum recens expressum, ad uncias quatuor in jure insulso cum aqua florum aurantiorum, ac cinnamomi, ut infra legitur in A, ei propinavimus; aquæ interim hordeaceæ large quantum libuisset hauriendæ potestatem facientes. Id profecto, ut longe uberius recrementa ex inferioribus profluerent, effecit. Effecit insuper, ut torminibus valde pacatis, mitius adhuc quam antea torqueretur. Postridie in Aurora serum caprillum, quod exinde antelucanis horis ad diem usque septimam quotidie prosequutus est, hac lege B paratum potavit. Febris ante

ante diem morbi quartam penitus evanuit. Alvus nihilominus, ut antea profluxit; necnon etiam sitis, vigiliæ, nausea, item & virium languor adhuc magis invaluerunt. Quia autem, immunis licet a febre pulsus erat admodum imbecillis, & plane destitutus æger, quoniam vinum plurimum appetebat, ab omni congrua refectione insuper abhorrens, viribus refocillandis vinum, ut parce tamen identidem cum frustulo panis eodem vino madefacto uteretur, indulsimus. Tum etiam somno blande conciliando bolos hosce C, una cum emulsione hac D sub vesperam ei præscripsimus. Enim vero ad horas plures placide tandem obdormivit, plurimum insudans. Experrectus ingentem urinæ copiam excrevit, ac alvus aliquantulum restitit. Erat dies morbi sexta & æger multo melius in omnibus se habere cœpit; redierant quippe vires, cibos magis appetebat, neque, ut antea, vehementer adeo sitiebat. Verum enim vero alvi profluvium, valde licet imminutum, contumax tamen ad diem usque decimam fuit, eousque nempe, donec serum solvens sequenti norma E paratum, postridie diluculo haustum, sordibus inde uberrime ex alvo egestis, diarrhœam plane compresserit.

A ℞. *Ol. semin. melon. rec.*, *& fin. ign. extr. unc. iv.*, *aq. cinnam.*, *& flor. aurant. ana. unc. j. M.*, *& cap. in jure insulso*, *ut m.*

B ℞. *Coral. rubr. præpar.*, *oculor. cancr. præpar. ana dracb. ss.*, *aqu. cinnam. unc. ss.*, *ser. caprar. libr. j.*, *mell. hispan. unc. j. M.*, *& cap. quotidie in A.*, *ut m.*

C ℞. *Confect. hyacinth.*, *theriac. ana dracb. ss.*, *cons. ros. rubr. dracb. j. M.*, *ref. b. S. A.*, *& cap.*, *ut m.*

D ℞. *Semin. melon. unc. j.*, *papav. alb. dracb. ii.*, *aq. mucer. q. s. M.*, *f. emuls. S. A.*, *& adde syr. de rosis sicc. unc. j.*, *superbib.*, *ut m.*

E ℞. *Pulp. tamarind. recent. unc. ss.*, *rhabarb. torrefact. scrup. j.*, *mell. hispan. optim. unc. ij.*, *ser. caprar. recent. libr. j. M.*, *f. lev. infus.*, *& macer. S. A.*, *colet.*, *& cap.*, *ut m. Quod*, *quum alvum concitaverit*, *superbibat æger aquam nucerianam per vices quantum ei libuerit.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit diarrhœa, quæ dicitur ob œconomiæ animalis lapsum, & quomodo curanda.

Contigit non raro, ut alvi profluvium provenerit ob resolutam viscerum facultatem, vel ob enervatam potius fermentorum virtutem; quo in casu diarrhœam factam fuisse, dictum fuit a nonnullis, *ob œconomiæ animalis lapsum*. Quum id successerit, roborantibus potius, quam eluentibus ei prospicere consuevimus; & plurimum tum profuisse cognovimus confectiones præfatas hyacinthinam, alkermes, theriacam, mithridatum, dioscordium Fracastorii, conservam juniperinam, cum conserva præsertim rosarum rubrarum immixtam, necnon etiam amaricantia, aromatica: uti sunt infusiones ex summitatibus absynthii, & præcipue pontici, ex foliis centaurii minoris, item & cinnamomo paratas, optimam chocolatam, vinum generosum, & reliqua hujusmodi. In quibus vero cauti admodum incedamus, oportet; eoquod signa diagnostica, quæ utrumque alvi profluvium, diversi licet generis, comitari solent, admodum semper fuerint ambigua.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit radix Ipecacuanha, & quomodo propinanda sit.

AD nostras ab exteris Regionibus, ab Americanis videlicet ad Europeas, inter alias plures exoticas stirpes radix quædam non ita pridem convecta est, quæ ab Incolis Provinciæ illius, unde provenit, *Ipecacuanha* nuncupatur. Colore, æque ac sapore a pyrethro, nisi quod nonnihil amaricans sit, & palatum longe minus incendat, non multum distare videtur. Hæc ingesta vomitum, æque ac alvum cit prius. Mox alvi profluvium sistit; quod ideo, ut opinor, præcipue sistit, quia & materiam peccantem tum sursum, tum deorsum ejicit, & motum inde intestinorum *peristalticum* quodammodo invertit: invertit nempe, eoquod ventriculi plexus in vomitu lacessiti, ac tunicarum fibræ a pyloro versus œsophagum, ab inferioribus videlicet ad superiora subinde contractæ, vel ipsa quasi alliciunt intestina, ut a podice ad pylorum inversa enitantur. Opinionem hanc nostram si quispiam improbet, meliorem, quæso, afferat; cui equidem assentiri non dedignabimur. De præfata interim radice, quam non modo diarrhœis contumacioribus, verum etiam dysentericis pene deploratis præsentissimo fuisse remedio, interdum experti sumus, id potissimum adnotare juvabit. 1. cum diarrhœa febrientibus pene semper nocuisse. 2. animi deliquium, & syncopen quandoque lethalem quibusdam fecisse. 3. choleram perniciosissimam aliis concitavisse. Quæ res effecit, ut Tyrones quotidie hortemur, ne ejusmodi radicem unquam præbeant, neque iis, qui una cum alvi profluvio, & febre laborent; neque iis, qui, aut languore pene confecti, viribus omnino destituantur, aut animi deliquio fuerint obnoxii. Quinimmo humores acres, salsos, atque erodentes nonnisi prius, aut aqua, aut jure, aut sero, aut oleo bene subegerint, ac pro viribus diluerint, ut radicem præfatam neutiquam propinent iis, suademus. Dosis ejus, ratione ætatis, temperamenti, æque ac virium semper habita est a scrupulo uno ad drachmam unam, & etiam duas. In pulverem subtiliter redactam præscribere consuevimus, aut in bolis, aut in jure, aut in aqua simplici infusam; quam quum alvi profluvium pervicax adhuc fuerit, bis, ter, & quater tertia quaque die nonnumquam propinavimus. Radicem Ipecacuanham Dominus le Gras Medicinæ Professor Gallus postquam ter in Americam iter fecerit, ex America primus transvexit, Anno circiter a Deiparæ semper Virginis Partu 1672. At mox Helvetius de tali radice Parisiis periculum optimo cum successu fecit, eaque perquam insigni veluti arcano dysentericis curandis passim utebatur. At enim vero Ludovici Magni Galliarum inclyti Regis, cui universæ tum liberales, tum mechanicæ facultates plurimum semper debebunt, auctoritate, longe, lateque per Orbem radicis Ipecacuanhæ facultas, Europeis eatenus saltem occulta, in Reipublicæ commodum deinceps evulgata fuit. De præfato exotico stirpe perpauca scripsit in tractatu de aromatibus eruditissimus vir Lemery, necnon etiam perfunctorie verba fecit celeberrimus Ber-

Bertini nostri amantissimus, qui in senio pleuritide correptus non ita pridem Florentiæ decessit. Plura tamen si cupis, adeas Regiæ Accademiæ Parisiensis historias, in quibus de ea planta fusius loquuti sunt Margravius, Rajus, & Bouledouc.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Cur balnea aquæ dulcis diarrhœam quandoque sistant.

BAlnea quoque aquæ dulcis modice tepentia alvi fluxibus fere universis cujuslibet generis, qui tamen ab irritatione provenerint, sistendis, apprime conduxisse, frequenter nobis innotuit. Quod pluribus sane de causis contingere potuit; balnea siquidem vel intus refrigerant, humectantque, salia acria solvunt, eaque diluunt, & temperant, humores erodentes retundunt, eorumque vim enervant, ac tum in urinam, tum in sudorem eluunt. Præterea eoquod diuresin, æque ac diaphoresin provocent, morbosam colluviem ex intestinis, tum ad renes, tum ad cutem avocant: videlicet a parte affecta amovent, ut eam aliorsum derivent. Hinc frequentissime contigisse deprehendimus, sudore, æque ac urina profluentibus, alvi profluvium sisti; & viceversa, alvi profluvio superveniente, sudorem, item & urinam restitisse.

CAPUT XII.

De Lienteria.

Definitio.

LIenteriam dicere prope est, ut *intestinorum si levitatem* dicas. Hanc, *celerem nimis fore* tradiderunt Majores nostri *alimentorum per alvum excretionem, ea forma, qua prius ingesta fuere, vitio retentricis, atque expultricis ventriculi, æque ac intestinorum facultatis procedentem*. In quo a nobis non multum distare videntur, qui una cum Recentioribus, paucioribus rem perstringendo, dicendum potius existimabimus, non aliud esse lienteriam, quam *alvi fluxum, quo alimenta, dentibus etiamsi confecta, adhuc tamen cruda, atque integra, idest plane indigesta, vel incocta, sub eadem quasi forma, sub qua paulo prius ingesta sunt, ex alvo dejiciuntur*.

Signa, tum ex recrementorum natura, quæ colore, odore, cæterisque universis qualitatibus a cibis in ore confectis, discrepare non multum debent; tum a frequentia, qua per alvum dejiciuntur, desumenda sunt. Diagnosis.

Lienteriam produci, frequentius saltem, credimus, succorum vitio, tum ventriculi, tum intestinorum, qui utpote glutinosi, crassi, & acres, neque subeunt cibos ingestos, quos digerere, concoquere, & subigere deberent; & nonnisi ruditer, acriterque intestinorum tunicas pungunt. Hinc, eorum pressione, æque ac motu *peristaltico* concitato, efficiunt, ut alimenta crebro, atque indigesta, foras egerantur. Causa.

De lienteria id præ cæteris ex Musitano habemus. Si sit diutina, & ab ulcere præcipue ventriculi, parietes interiores exedente, eam periculo maximo neutiquam vacare; quoniam, quum universo corpori alimoniam subripiat, tabem persæpe, chachexiam, hydropem, & maxime tympanitidem, inducit. Tum, quum morbis supervenerit acutis, Prognosis.

lethalis; multoque magis, quum chronicos insequuta fuerit: idque ob virium imbecillitatem, quæ fieri haud potest, quominus in lienteria magis adhuc in dies resolvantur.

Curatio. In diæta eadem propemodum servari debent, quæ ratione diarrhœæ superius innuimus. In Pharmacia id enixe præstandum, ut humores glutinosi, & tenaces in cavo ventriculi resolvantur; utque eorum acrimonia quodammodo cicuretur. Purgationes, si modo urgeat necessitas, lenes semper sint. Conveniunt igitur ex pulpa tamarindorum, ex infusione corticum myrobalanorum, ex rhabarbaro, & maxime cum sero caprillo, quod sane mirifice semper profuisse, comperimus. Alvo, si opus fuerit, uti ante diximus, purgata, transeundum ad alterantia, absorbentia, amaricantia, & aliquantulum roborantia, sive adstringentia. Commendamus itaque coralia, margaritas, testacea præparata, cornu cervi ustum, oculos cancrorum, crystallum montis in pollinem redactam, hisque similia. Commendamus itidem chalybeata, & præsertim adstringentia, theriacalia, myrrhata, aloetica, & reliqua, quæ visceribus aliquid roboris impertiri valent. Fercula, item & potiones subacidas, eoquod acidum ventriculi deficiens lienteriam quandoque fecerit, mirum in modum profuisse, non semel innotuit. Quo in casu & nitrum depuratum, dosi congua in jure propinatum, lienteriam illico sustulisse, compertum habemus. Neque in curanda tali ægritudine plane spernendi sunt fotus epigastrio admoti, ex decoctionibus corticum, baccarumque juniperi, foliorum salviæ, summitatum absynthii, rorismarini, cum vino myrrhato, aut aceto rosaceo, aut spiritu vini, cum aqua tamen bene dilutis; quæ tametsi extrinsecus applicentur, viscera fovendo, recreant, & labem intus contractam discutiunt. Haustu vini optimi, reliquis omnibus præsidiis tum intus, tum foris incassum pridem adhibitis, pervicacissimam in abstemiis interdum lienteriam curatam vidimus.

Historia V.

Quicquid Lienteriæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

PRiscus vir ingenuus, bene temperatus, gracilis tamen nonnihil, litteris æque ac aliis pluribus liberalibus artibus vacans, cuidam puellæ, quam amando, multo ab illinc tempore se perditum iverat, tandem aliquando nuptus, vino, venerique inter nuptias postquam plurimum indulserit, mense Octobri lientericus fit. Siticulosus propterea, languens, ac nauseans, de ventriculi quodam pondere intimo, ac lassitudine conqueri cœpit. Et flatibus insuper frequenter obnoxius permolestas patiebatur hypochondriorum tensiones. Obmurmurabant ei persæpe intestina, ac alvi profluvio superveniente, fœces solutas, una & cibos paulo prius ingestos, non modo incoctos, quinimmo &, aut parum, aut nihil propemodum immutatos identidem in dies egerebat. Optima iccirco in omnibus præscripta vivendi norma, per dies tres Priscum ita ægrotantem sola diæta tractare curavimus. Verum, quum id eatenus incassum pene cessisset, potionem hanc A solventem, in sero caprillo diluculo sumendam, ei confecimus; cui præterea, ut primum alvum concitaverit, aquæ nucerinæ frigidiusculæ pro subi-

lubitu hauriendæ potestatem fecimus. Perbibit iterum, atque iterum, ut ei libitum fuit, & una postmodum cum aqua, tum per alvum, tum per urinam, fœces quamplurimas solutas, inter colluviem quamdam mucosam, uberrime excrevit. Mox stomachum sibi, æque ac intestina, ut ipse ajebat, plurimum levari sensit. Enimvero flatus, virium languor, sitis, præcordiorum anxietas, nausea, & reliqua omnia symptomata, longe mitiora subinde evaserant. Postridie alteram potionem B roborantem, una & nonnihil aperientem, antelucanis horis deinceps per dies aliquot sumendam in eodem sero caprillo, paravimus. Hæc alvum leniter diebus singulis non procul a prandio semel, aut bis concitabat, & famem aliquantulum acuebat. Interim vini usum ad dies plures ei plane interdiximus. Loco vini, infusionem hanc C pro usu quotidiano potandam, ei propinavimus. Ex hoc factum fuisse, opinor, ut Priscus noster, diebus quindecim vix exactis, alvi fluxu compresso, & cibos appetere, eosque in stomacho digerere, atque in intestinis perficere, ut antea, cœperit.

A ℞. *Cortic. myrobalanor. citrinor unc. ss., rhabarb. elect. scrup. j., cinnamom. opt. scrup. ss., ser. capril. libr. j. M., f. infus., & macer. S. A., colet., & adde mell. hispan. opt. unc. ij. Cap., ut m. in Auror.*

B ℞. *Rhabarb. elect., cinnam. opt. ana scrup. j., ser. capril. lib. j., M. f. lev. infus., & macer. S. A., & adde flor. borrag., hyperici, summitat. absynthii ana pug. j. Leviter bull., colet., & adde mell. hispan. opt. unc. ij. Cap. quotidie in A., ut m.*

C ℞. *Cinnam. opt. drach. j., aq. commun. chalyb. lib. iiij. M., f. infus., & macer. S. A., & adde passular. major. mundat. q. s. ad gratum saporem. Decoquant. S. A., colet. pro potu ordinario, ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

De myrobalanorum natura.

MYrobalani fructus, sunt prunorum quasi species quædam exoticorum, nobis hodie admodum noti. In quinque distribuuntur genera; alii quippe dicuntur *chebuli*, alii *citrini*, *bellirici* alii, alii *indi*, *emblici* alii; de quibus consule Schroderum, Donzellium, Ettmullerum, aliosque, qui de iis exprofesso verba fecerunt. Omnes in usum medicum adhibentur; qui, si dosi congrua propinentur, leniter purgant, una & nonnihil adstringunt. Idem propemodum præstant, quod præstare solent tamarindi, de quibus infra dicendum. Fluxibus alvi universis, vel dysentericis sedandis, apprime conducunt; effectum perquam commode præstant, si sero, præsertim cum rhabarbaro, aliisque rebus amaricantibus, infundantur, colentur, & exprimantur. Blande siquidem, quum per infusionem ita cum sero hauriantur, alvum ciunt, sordes eluunt, & leniter postmodum ejusdem alvi laxitatem cohibent. Hinc alvi fluxum provocant prius, quem subinde, humoribus peccantibus egestis, peropportune sistunt. Verumtamen si quis in Praxi medica iis abutitur, adstringendo, viscerum obstructiones parit. Quamobrem, corpore nonnisi probe ante purgato, alteratoque, propinandi sunt; eosque per infusionem potius,

uti diximus, quam sub alia quavis forma, præscribere juvat. Quinimmo, & postquam alvum movere cœperint, ad eluendum quicquid intus ex myrobalanorum ingestione concrescere unquam potuit, potiones uberrimas, sive ex jure insulso, sive ex aqua chalybeata, sive ex aqua simplici defœcatissima, aut nuceriana, haurire expediet. Eligendi sunt, qui gummi plurimo scatent. Dosis eorum est ab uncia semis, ad drachmas sex circiter. Græcis Veteribus, uti creditur, plane fuerunt ignoti. Arabes eos primum protulerunt.

CAPUT XIII.

De Cœliaca.

Definitio. Cœliacam idem est dicere, prope, ac si *ventralem*, aut *ventriosam affectionem* diceres. Nihil aliud est, nisi *alvi fluxus, quo una cum fœcibus solutis & chylus promiscue egeritur*. Enim vero, quum id morbi genus Priscis describere placuit, *celerem esse* dixerunt *exculentorum, potulentorumque ex stomacho transitum ad intestina, atque ex intestinis per anum, sub forma chyli, aut cremoris, excretionem*.

Diagnosis. Ex hac duplici tum Veterum, tum Recentiorum descriptione, quum facile depromantur cœliacæ iudicia, nihil est, quod in diagnosi diutius immoremur.

Causa. Ad causas igitur, unde exoriri potest, sine mora transire juvabit. Eas imprimis sitas esse, opinor, & in fermentorum pravitate, & in obstructionibus mesenterii. Ex fermentorum pravitate extitisse putamus cœliacam, tum, quum eorum vitio, bilis potissimum, succique pancreatici, eveniat, ut chylus ab alimentis ingestis, licet quodammodo coctionis ope eliciatur, non omnino separetur. Ex obstructo mesenterio cœliaca procreari videtur, tum, quum, tubulis chyliferis aut obstructis, aut contractis, chylus, recte quamvis ab alimentis eliciatur, & segregetur, subire tamen nequeat lacteorum perquam exiles meatus. Hinc per anfractus intestinorum una cum fœcibus vitiatus, intrinsece immutatus, & quasi corruptus, nil mirum si alvi fluxum provocet, & si per alvum, ita ut monuimus, inter fœces solutus, dejiciatur.

Prognosis. Cœliaca, quæ obstructo exoritur mesenterio, pervicacius ut plurimum resistere solet, quam quæ originem ducit fermentorum culpa. Quum altas egerit radices, hoc est quum fuerit inveterata, nullam propemodum curationem admittit. Quo chylus inter fœces uberior ex alvo egeritur, eo citius ægrotum extenuat, emaciatque.

Curatio. Cœliacæ curandæ præsidia in rebus iis versari solent, quæ, vel fermenta digestionis corrigunt, vel viscerum recludunt obstructiones. Constituta itaque optima victus ratione, item & in reliquis omnibus norma recte præscripta, alvum blande, si opus fuerit, extergito; in quem finem clysteres simplices, aut lenia, purgantia, ex rhabarbaro præcipue, adhibeto, quo ad alterantia commodius transire queas. Hæc conficere poteris ex herbis, radicibus, foliis, floribus, fructibus, corticibusque amaricantibus, & præsertim aromaticis: neque salia ejusdem generis semper improbabis. Conveniunt quoque theriacalia, aloetica, gummosa, myrrhata, & reliqua ejusmodi aperientia, quorum usus tum ventriculi, & intestinorum facultatem ener-

enervatam acuit, tum materiam concretam, quæ tubulos infarcit, resolvendo, viscerum discutit obstructiones. Neque subacida omnino contemnenda veniunt, de quibus certiores non semel facti, cœliacam sola non raro penitus evicisse, proferre non dubitabimus.

Historia VI.

Quicquid, cœliacæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

HYspulla virgo Superis in cœnobio sacra, annorum ætatis triginta circiter, optime temperata, & ad calidum quippe, humidum vergebat. Fortis erat plethorica, fervens, ac florens. Corpore in summa, æque ac mente egregie constabat. Ex gravi mœrore mense Novembri fluxus consueti per pudenda compressionem passa, conqueri cœpit de virium extrema imbecillitate, gravedine, aliisque pluribus incommodis, quibus numquam prius obnoxiam se senserat. Pulsus interim celer fit, ac prætermodum languens. Urinæ, quas emittit, perexiguæ, atque incoctæ sunt. Intumuit alvus. Calor supervenit, & præcipue sub vesperam, quasi febrilis. Cibos non appetit, & quos invite, & pene coacte ingerit, perquam ægre concoquit. Quinimmo & non procul a pastu per alimentorum, ut inquit, indigestionem, viscerum ardor ei suscitatur; quem paulo post, leve quoddam insequitur animi deliquium. Obmurmurat exinde venter, solvitur & una cum fœcibus incoctis, chyli copiam uberrimam quotidie dejicit immixtam. Mox sitit, ac aqua simplici abunde epota, aliquantisper reficitur. Atque in dies adeo contabescit, ut macie pene consecta, ac viribus plane fractis, nec stare, nec surgere ab ipso cubiculo amplius possit. Diem prope trigesimum in eo deplorabili statu diutinæ cœliacæ jam exegerat, & præsidia universa eatenus incassum experta, propediem se decessuram, opinabatur. Remedia, quæ ei propinare consueverat Clinicus ille, qui talem cœliacam ad id temporis tractaverat, ex rebus calidis excerpserat, & neglecta sanguinis missione, pulveres varios stomachicos, varia salia ejusdem generis, necnon item jusculum, modo ex pullis tum gallinaceis, tum columbinis, modo tum vervecinum, tum vitulinum, plurimum tamen semper coactum sæpesæpius in die in alimoniam suppeditaverat. Quibus omnibus examinatis, clystere ex aqua chalybeata mellita prius indito, ac saphena inde soluta, sanguinem ad aliquot tantum uncias, eoquod vires plurimum essent fractæ, extraximus. Decoctionem hanc A aperientem nonnihil, una & roborantem, in sero caprino quotidie diluculo sumendam diebus sequentibus, ei confecimus. Semicupia interim, & pediluvia bis in die tepentia, ac resolventia ad viscerum referandas obstructiones, ex lixivio cinerum sarmentorum, ac ligni juniperi, præscripsimus. Post dies ab ejusmodi balineorum usu circiter sex, permultam urinæ copiam excernere cœpit, item & detumescere abdomen, noctuque placide conquiescere, neque adeo, ut antea, a cibis abhorrere; quos insuper sine gravi sui incommodo postmodum in stomacho conficiebat. Quod sane effecit, & ad vires restaurandas, & ad tantam maciem eximendam, lac caprinum chalybeatum, & una cum caffé, qua insequitur ratione B, paratum, sub vesperam diebus singulis, ut ei propina-

verimus. Id vero, quia plurimum in dies profecisse, videbatur, bis postmodum in die propinavimus: nimirum, & sub vesperam, ut antea, & loco decoctionis præscriptæ antelucanis horis. Ab usu vini, dum lac sumebat, sese prorsus abstinuit. Pro vino, infusionem hanc D, utut ei liberet, hauriebat. Pro victu, nonnisi borragine, endivia, & cichoreo cum pane triticeo in jure vitulino elixatis, addito lacte cum ovi recentis vitello quassato, & modice cocto, vescebatur; qua simplici methodo ita ferme servata, intra paucos menses, excretionibus per pudenda de more refluentibus, Hyspulla convaluit.

A ℞. *Folior. cicbor.*, *pimpinell.*, *capillor. vener.*, *flor. hyperic.*, *borragin. ana. pug. j.*, *ser. caprar. libr. j. M.*, *f. lev. infus.*, *in qua subinde ter*, *vel quater extinguatur ferrum candens S. A.*, *colet.*, *& adde chrystall. mont. præparat. drach. j.*, *mirrh. elect. gr. iij. syrup. de cicbor. cum rhabarb. unc. j. Cap. ut m.*

B ℞. *Caffè combust.*, *& in pulver. tenuissim. S. A. redact. drach. ii.*, *lact. caprar. S. A. ferro candenti chalyb. unc. viij. M.*, *decoq. S. A.*, *colet.*, *& adde mell. bispan. q. s. ad gratum sapor. Cap.*, *ut m.*

C. ℞. *Radic. chin. drach. j.*, *cinnam. opt. drach. ss.*, *semin. anisor. mundat. drach. ij.*, *aq. commun. chalyb. libr. iv. M.*, *f. infus. & macer. S. A. ciner. calid. per noctem*, *& adde passul. oriental. recent. mundat. q. s. ad grat. sapor*, *decoq. S. A.*, *coletur pro potu quotidiano*, *ut m.*

CAPUT XIV.

De Dysenteria.

Definitio. IDem apud Græcos *Dysenteria*, quod apud Latinos *intestinorum difficultas* indicat, sonare propemodum consuevit. Affectionem hanc, quasi ab intestinis exulceratis unice existeret, *intestinorum exulcerationem* appellavit Galenus; quam subinde *a torquendo tormina* passim cum aliis dicere placuit Celso. *Proxima bis inter intestinorum mala tormina esse consueverunt, dysenteria græce vocatur. Intus intestina exulcerantur, ex his cruor manat, isque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur. Interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est.* Celsus (a) Ex quo factum fuisse videtur, dysenteriam a quibusdam proprie dici quoque diarrhœam cruentam; quum nihil aliud revera sit, quam *alvi fluxus, quo fæces cruentas ejicimus, vel pro sucibus, aut sanguinem purum, aut sanguinem saniosum, aut sero dilutum carnis adinstar loturæ.* Vel, ut Veteres protulerunt, quum nihil aliud sit, præter quam *alvi dejectio frequens, cruenta, cum dolore ventris, atque intestinorum ulceribus, ob materiam acrem erodentem, intestinis plurimum infestam.*

Diagnosis. In classem duplicem Scriptores plerique dysenteriam, temporibus saltem nostris, bipartiri consueverunt: in *benignam* nimirum, & *malignam*. Benigna dicitur, quæ, aut comitem febrem non habet, aut si habet, leniter admodum exardet. Ubi contra, qui dysenteria torquetur, valde febricitet, & tum præcipue, quum febris malignitatis præferat aliqua, saltem non ambigua, indicia, tum dysenteria nuncupari debet maligna. Quibus positis, non modo discrimen inter malignam, & benignam, verum etiam

(a) *Lib. 4. cap. 15.*

etiam & utriusque dysenteriæ satis superque elucescit diagnosis.

Causa. Veteres non minus, quam Recentiores dysenteriam exoriri sibi suaserunt ab ulceribus quibusdam interioribus, quæ tubulos intestinorum sanguiferos exedendo, sanguinem eliciunt; qui propterea guttatim depluit in eorum anfractibus, ubi sensim collectus, & una cum fœcibus immixtus, magis magisque immutatur, corrumpitur, acescit, sive alio quovis pacto acris adeo evadit, ut, torminibus tandem excitatis, ex alvo profluens, inter fœces solutas, egeratur. Fieri tamen potest interdum, ut intus lacessitis, ob materiam quamdam mordacem, intestinorum tunicis, earumque fibris contractis, sanguiferorum oscula quodammodo prolatentur, atque adeo hiantia, quin uspiam ulcus intestinis insideat, sanguinem immittant, & dysenteriam faciant. Ex quo inferre rationi consonum est, dysenteriæ causam proximam sitam esse, aut in ulcere, tametsi levi, quod intestinorum substantiam aliquo modo exeserit; aut in laxitate quadam, sive potius sanguiferorum apertione, quæ sive intus in intestinorum dehiscant cavo, sive rimas ibi faciant. Remota autem sita esse videtur in succis quibusdam pravis, qui in iisdem intestinorum anfractibus exudantes, tunicas lædant intestinorum; vel in cumulata ex rebus perperam digestis labe, quæ, aut ulcus fecerit, aut quovis alio pacto parietes irritando, sanguiferorum tubulos vitiaverit.

Prognosis. De genere acutorum, eventusque propterea admodum incerti, habenda est dysenteria. Maligna, gravior semper, quam benigna. In senibus, crebrius funesta. In pueris, periculi plena. Quibus in media consistunt ætate, facilius evinci solet. Si cruorem purum dejiciat æger: si creberrime, atque anxius præcipue: si sudorem fundat frigidiusculum: si pervigil vehementer sitiat: si una cum fœcibus cruentis aut carunculas, aut tenuja quædam, abrasa veluti minima ramenta excernat, vomitu præsertim, singultu, ac syncope accedentibus: si mente alienus evadat: si ea demum occurrant, quæ labem intus contractam indicent malignam, id mortem in proximo versari, præmonere semper consuevit. Si tenuja exulcerentur intestina, quoniam longe atrociora exinde, quam si crassa lædantur, insurgere deberent symptomata, id longe difficilius curatur, & necem quamsæpissime molitur. Dysenteria ultra diem decimum quartum tametsi producatur, dysentericos nihilosecius quandoque interimit.

Curatio. Galenici plerique, quum tractandam sibi proponerent dysenteriam, mentem, & animum in id intendere maxime consueverunt: 1, ut humores peccantes tum *revolvendo*, tum *derivando*, ut ipsi ajunt, ne ad intestina confluerent, averterent: deinde, ut eos eluerent: 3, ut corrigerent: 4, ut intestinorum dolorem lenirent: 5, ut fluxum adstringerent: 6, ut ulcera demum extergerent. Quæ tamen universa solis propemodum absorbentibus, æque ac diluentibus consequi posse, nos rati; nil aliud pene, quam ea, ut dysenteria recte curetur, adhibere existimavimus. Abluatur proinde sæpesæpius in die clysteribus alvus, quos quo simpliciores, eo meliores ducimus fore. Parentur iccirco aqua simplici nuceriana, hordeacea, avenacea, chalybeata &c. Non absimiles potiones abunde, ac frequenter propinen-

nentur. Præ cæteris, aut aqua prædicta nuceriana, aut jusculum insulsum, aut aqua chalybeata, hisque similia, in quibus bolus, qui non procul a nucerino fonte educitur, solutus antea fuerit, valde conferunt. Torminibus, quæ infestant, leniendis, sedandisque, optimæ sunt decoctiones emollientes, emulsiones oleaceæ; quinimmo & oleum quoque recens, & sin. ign. expressum, tum ex amygd. dulcibus, tum ex semin. melonum &c., apprime conducit. Conferunt item opiata, blande diaphoretica, necnon etiam diuretica. Utplurimum autem, quo juxta illud Hippocratis, *fluxum fluxu curemus*, alvum adhuc solvere juvat. Id autem blande, ac leniter præstare oportet; quamobrem hisce in casibus plurimum commendamus serum præparatum infusione tamarindorum, myrobalanorum, rhabarbari, & præcipue torrefacti, hisque similia; quæ, ut ante innuimus, materiam peccantem postquam egesserint, alvum blande adstringunt. Id efficit quoque usus aquæ tetutianæ, villensis &c. tum epotæ, tum clysteribus inditæ. De aqua tetutiana satis, superque in capitibus præcedentibus verba fecimus, non secus ac de radice Ipecacuanha, aliisque similibus non fortioribus emeticis, quæ vomitum blande ciendo, universa alvi profluvia sistunt. Quum adsit febris, eaque vehementior exardeat, dummodo vires consistant, ne intestina inflammentur, sanguinem ducere oportet. De diæta, quum eadem ferme esse debeat, quam pro diarrhœa curanda ante jam proposuimus, non est cur hic plura adjiciamus.

Historia VII.

Quæ. quid, dysenteriæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

CHarinus perquam nobilis adolescens, octavum & decimum, qui nondum exegerat ætatis annum, sanguine scatens, optime temperatus, ac in omnibus bene valens, feriantibus litterarum studiis, quibus ab ineunte ætate non ingratis semper vacaverat; mense Septembri, relaxandi animi causa, in suburbium secessit; ubi varios postquam fructus recentes, eosque & immaturos ingurgitasset, modo gelidam, modo merum, iterum atque iterum superbibit. Die quodam, quum per amœna spatiaretur, ac ludendo excalefactus, sub umbra platani juxta profluentem quum recumberet, Cœlo subnubilo, tonitruum fragore, ac fulgorum splendore ex improviso roboare, & coruscare longe, lateque cœpit aer. Is valde pertimuit, & effugium iccirco meditatus, ab ea ingenti tum aquarum, tum grandinis vi, quæ imminebat, sese ut opportune eriperet, festinat incessus, properat, ac plurimum insudans, specum tandem, quæ in proximo aderat, multa infectam uligine, celeriter ingreditur. Frigefit, & sudore compresso, ac pedibus madefactis, ibi torminibus invaditur, quibus atrocissime diu vexatur. Hinc domum reversus febricitat, ac alvo soluta, sitis accedit intensissima cum maxima præcordiorum anxietate. Supprimuntur urinæ, ac alvi profluvio invalescente, biduo post, una cum fœcibus solutis & sanguinem immixtum frequentissime dejicit; hac tamen lege, ut dejectionibus creberrimis tormina aliquantulum anteirent; quæ epigastrium prius pervagabantur, & inde per hypogastrium

strium delata, flatibus erumpentibus, evanescebant. Morbus interim augetur in dies, magis magisque infirmantur vires, sitis exasperatur, major adhuc evadit nausea, dies, noctesque transigit irrequietus, ac de molesta quadam viscerum angustia conqueritur, qua intus se quandoque dilaniari, adstantibus indicat. Dies erat morbi septima, & opera medica nihil adhuc processerat, quum, nec clysteres, neque potiones tum diluentes, tum emollientes, nec oleum amygdalarum dulcium, quod ter ad uncias tres sumpserat, aliquid profecerat; quinimmo & adeo invaluerat febris, ut, plurimum æstuans æger, interdum deliraret. Pulsus durus erat. Genæ, & oculi impense rubebant. Lingua, & fauces erant exhaustæ. Intumuerant hypochondria, & alvi fluxus aliquantulum restiterat. Quamobrem, vena in brachio soluta, ad uncias octo circiter sanguinis copiam imminuimus, ut aquam interim nucerianam frigidiusculam, ad sitim explendam, quamsæpissime perbiberet, potestatem facientes. Clystere emolliente prius injecto, ac fotibus postea emollientibus cum spongia anterius abdomini ubique admotis, id conditum A balsaminum, & soporiferum, postridie sumendum ei confecimus. Nocte, quæ insequuta est, quæ fuit diei nonæ, placide obdormivit, plurimum insudavit, ingentem urinæ quantitatem egessit, ac melius semper subinde se habere cœpit; febris enim sub finem ejusdem diei nonæ propemodum evanuerat, torminibus longe minus infestabatur, atque alvi profluvium valde restiterat, neque fœcibus excretis cruor, ut antea, abunde infundebatur; qui propterea levi quadam quasi tinctura, in superficie tantum, vix unquam ad diem usque decimamquartam deinceps infecit. Mox, & ad vires instaurandas, & ad tabem, quæ jam inceperat, amovendam, & ad succorum labem contractam omnino vel eximendam, vel corrigendam, lac asininum ea, qua insequitur, ratione B paratum, per dies triginta præbuimus; quo, & morbi reliquias prorsus sustulimus, & optimam, firmamque valetudinem ei tandem comparavimus.

A ℞. *Sperm. cet. drach. i., camph. gr. iij., syrup. de pom. unc. i., aq. cinnam. & flor. aurant. ana. unc. ſs., laudan. nepent. liquid. gut. viij. M., f. condit. sumend. in jure insulso, ut m.*

B ℞. *Juleb. radic. opt. chin. unc. i., margarit. præparat. drach. ii., lact. asin. recent. unc. viij. M., & cap. quotidie in A., ut m.*

Charius dives erat. Hinc margaritas ei præscripsimus. Cæterum reliqua viliora absorbentia, uti sunt terra nuceriana, terra sigillata alba, pulveres testaceorum, coralia præparata, hisque similia, de quibus, & in superioribus verba fecimus, & in sequentibus facturi sumus, eumdem propemodum effectum præstare, ni fallor, potuissent.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

NUM in dysenteria ulcus affecerit tenuia, num crassa intestina, id in primis dignoscitur: a situ, & intensione doloris, qui in torminibus excitatur; quique superius utplurimum, interiusque lacessire, atque acrius mordere deprehenditur tum, quum laeduntur intestina tenuia: a qualitate sanguinis excreti, qui quum pro-

Quomodo in dysenteria dignoscitur, num crassa, num tenuia laedantur intestina.

profluit ob læsionem intestinorum tenujum, diutius intus in eorum anfractibus commoratur, ac stagnando magis concrescit, & fœcibus intime infunditur: a temporis intervallo, quod a torminibus, quæ sanguinis dejectionem præcesserint, ad dejectionem cruentam, quæ tormina insequitur, intercedere solet; longe minus enim temporis spatium intercedere solet, quum vitium crassis insederit; & eo minus, quo intestinorum vitium propius ad anum accesserit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit fluxus hepaticus.

FIT quandoque, ut cruoris loco, sanguinem quemdam tenuem, loturæ carnis adinstar dilutum, profluentemque, una cum fœcibus solutis immixtum, is qui dysenteria laborat, dejiciat. Quo in casu id dysenteriæ genus a Veteribus dicebatur *fluxus hepaticus*, sibi suadentibus, alvi profluvium tum fieri hepatis vitio, ex defectu præcipue caloris innati; qui utpote admodum imbecillis, chylum coquere, ac in sanguinem perfectum vertere, nequiverit. In hoc morbo fœces, uti diximus, dejectæ, quæ plurimum solutæ profluunt, cruentæ quoque excernuntur, ob serum præfatum cruentum; quod tamen nequaquam, nec æque ut sanguis concrescit, nec frequenter adeo, & abunde, ut in vera dysenteria, profluit, nec adeo est acris; qui propterea parietes intestinorum interiores irritando, haud dolorem, sed sensum quemdam ventris, lumborumque pergravantem potius infert. Fluxum hepaticum non aliunde exoriri credimus, nisi a lymphæ, seri, sive pituitæ copia, quæ redundat in corpore affecto; quæque proinde una cum sanguine in cavo intestinorum effusa, sanguinem diluit, fluidumque facit; ejusque acrimoniam vel temperat, vel saltem enervat. Enim vero fluxibus, hujusmodi *serosis*, sive potius *ichorosis* obnoxios, plerumque vidimus cacheticos, in quibus ex coctionibus pravis aquosa, cruda, ac pituitosa cumulatur colluvies; quapropter iis, qui id generis profluvium patiuntur, palpebras inflari, crura tumefieri, hydropem, ac tabem adventare, observavimus. Præterea fluxus hepaticus tametsi raro admodum in Praxi medica occurrat, successisse tamen quandoque deprehenditur sub finem magnæ alicujus, ac pervicacis ægritudinis; quæ partes fluidas, æque ac solidas pene universas pridem infecerit, coctiones omnes infirmaverit, depravaverit, ac plane subverterit. Hinc fluxus hepaticus qualemcumque invaserit, eoquod nullam propemodum curationem admittat, propediem interimit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit rhexis, anastomosis, & diapedesis.

IN fluxibus hujusmodi per alvum sanguinolentis intestina lædi possunt duplici ex causa: interiori videlicet, & exteriori. Interior est, quum aut sanguis, aut serum, aut lympha, aut alius quivis humor, qui per tubulos intestinorum dirimitur, vel acris factus, tubulorum parietes exedat; vel exuberans, membranas continentes difrumpat, aut osculla laxet, aut meatus minimos, sive spiracula explicet, ex quibus in cavum intestinorum aut defluat, aut instillet, aut exudet. Exterior est, quum sive alimenta ingesta, sive succi, aut fer-

fermenta digestionis, ob labem quamdam contractam, parietes intestinorum interiores afficiunt, ibique ulcus inducunt. In quo autem id præcipue adnotandum, causam hanc utramque, quoniam viscera præcipua lædit, pari semper cum periculo, si modo in iisdem agat circumstantiis, œconomiæ corporis humani vitam habentis officere; siquidem ex utraque, febris, intestinorum inflammatio, gangræna, convulsio lethalis, exuberans sanguinis defluxus, ac tandem interitus facile contingere potest. Utraque fluxum, tum cruentum, tum hepaticum æque producere posse, videtur; eo tamen discrimine, ut exterior tubulos sanguiferos aperire, nonnisi scindendo, aut erodendo, possit. At interior, si Anatomicis plerisque fides habenda est, hæmorrhagiam facere valet, aut vasorum membranas recidendo, aut oscula dilatando, aut meatus minimos, sive parietes continentes impellendo, explicandoque, sive, ut melius dicam, rarefaciendo. Ex quo factum esse, videtur, ut effusio sanguinis, fieri modo dicatur per *rhexin*, modo per *anastomosin*, modo per *diapedesin*. Rhexis est, ubi parietes vasorum recisi, excesi, discissi, aut alio quovis pacto laceri, rimas faciunt, & sanguinem contentum egerunt; tametsi revera, ubi excesi sunt, *diabrosis* dicatur. Anastomosis est, ubi tubulorum oscula, quibus venæ potissimum, & arteriæ in extremis uniuntur, ac plane injunguntur, dehiscunt, ac humorem contentum emittunt. Diapedesis est, ubi, membranarum spiraculis minimis amplioribus factis, explicatisque, humor contentus exudat. Hic tamen, ne res medicas confundamus, plurimum animadvertere refert, anastomosin tum a Veteribus, tum a Recentioribus, inter quos Hippocrates præcipue, Galenus, Hoffmannus, Bartholinus, Blancardus, aliique complures, in contraria significatione frequentissime usurpatam fuisse; accepta est enim pro mutua vasorum extremorum, sive ejusdem, sive diversi generis, unione, appositione, &, ut melius dicam, conjunctione; de quo tamen Lexicographos consulito.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit tenesmus.

SÆpenumero in alvi fluxibus contingere quoque solet, ut reliquis universis intestinis plane illæsis, humor quidam peccans, acris, & mordicans exudet ex glandulis interioribus intestini recti, aut stagnando, intus inter plicas tantam sibi contraxerit labem, ut membranas pungendo, eas permoleste afficiat, ac nisus proinde irritos egerendi, & permolestos, sive *tenesmum* producat. Tenesmus nihil aliud est, *quam assidua ex alvo egerendi cupiditas, aut nisus, cum dolore, sive cum sensu quodam molesto, quo, vel nihil propemodum, vel mucorem quemdam perpaucum excernimus*. Affectionem hanc excitare possunt etiam vermiculi quidam, *aschaeides* nuncupati, qui in cavo ejusdem intestini recti, inter easdem plicas delitescentes, ejus substantiam mordicant, ac fibras irritant; quæ propterea contractæ, contrahunt intestinum, ac conatus infestos, æque ac prope irritos dejiciendi, excitant. *Prope irritos*, inquam; quoniam, uti diximus, mucor quidam exiguus, & non raro item cruentus, tenesmo non semel excernitur. Ejusmo-

modi affectio in pueris frequens est ex prædictis ascharidibus; atque eo in casu facile curatur, si, quæ vermes enecant, injiciantur. Difficilius, in adultis præsertim, ut & in senibus, si ab humoribus pravis, qui ex glandulis insudant. Deploratam propemodum eam dixerim, quæ ulcus insequitur; uti contigisse olim in Tito Pomponio Attico accepimus a Cornelio Nepote, qui viri illius vitam, æque ac mortem graphice digestam Posteris tradidit. *Tali modo, quum septem, & septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia, fortunaque crevisset (multas enim hæreditates nulla alia re, quam bonitate, est consequutus) tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut annos triginta Medicina non indiguisset; nactus est morbum, quem initio & ipse, & Medici contempserunt, nam putarunt esse tenesmon: cui remedia celeria, faciliaque proponebantur. In hoc, quum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc prius, quam ei accideret, postquam in dies dolores accresceret, febresque accessisse sensit, Agrippam Generum ad se accersiri jussit &c.* Cornelius Nepos (a).

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Error Clinicorum qui ad sistendam dysente-

INter artis præsidia, quæ alvi fluxibus curandis, sistendisque in Clinice proponuntur, lac præ cæteris, adeps fusus, decoctiones, atque emulsiones obversantur glutinosæ, crassæque, quæ plurimo scateant mucore, hisque similia, quæ clysteribus indita, ad humorum acrimoniam coercendam, ulcerumque internorum pravitatem leniendam, plurimum conducere videntur. Ea nos quamquam improbare nolimus omnino, Tyrones tamen admonere placet, ut in rebus ejusmodi præscribendis, adhibendisque, cauti plurimum, pluribus sane ex causis, incedant; nam primum, si quid lactis vel minimum intus humoribus pravis immixtum, intestinis inhærens, aliquantulum commoretur, labem facile contrahit, corrumpitur, acescit, & tormina exasperat. Lac præterea, item & reliqua fluida tenacia, glutinosa, per annum ad intestina submissa, lentorem faciunt, sordes alvi augent, atque ulcera, si adsunt in recessu intestinorum, magis magisque fœdant, coinquinant, &, ne cicatricem opportune inducant, valde resistunt. Efficiunt postremo, ut, alvi profluvio interdum compresso, ventris colluvies magis adhuc perinde cumulata, intus quandoque effervescat, hypochondriacos æstus procreet, & colicam, vel etiam affectionem iliacam quandoque suscitet. Satius itaque hisce in casibus, ex nostra erit sententia, clysteres parare aut aqua simplici, & præsertim bolosa, aut chalybeata, aut hordeacea, aut avenacea, utpote quæ humores peccantes diluat, salia intus concreta solvat, intestinorum parietes eluat, ulcera refrigeret, detergat &c. At, quum id in dysenteria potissimum ex ulcere non omnino profecerit, nos maximo cum successu, ex aliorum auctoritate, usi sumus aqua villensi, tetutiana, aliis-

riam res crassas, glutinosasque per clysteres non opportune submittunt.

(a) *In lib. 2. de Tito Pomponio Attico.*

aliisque similibus, quæ mundificandi vim impensius exercent. In quem finem commendavimus alias, & iterum commendamus decoctiones etiam, atque infusiones balsaminas, sive terebinthinatas, sive ex corticibus juniperinis paratas, sive per extinctionem camphoræ ardentis camphoratas &c. In tenesmo pervicacissimo, qui virum perquam nobilem civem Romanum, qui nobis ab ineunte ætate se tractandum commisit, diu olim tentaverat, reliquis omnibus Artis auxiliis incassum antea adhibitis, multum sane profecisse vidimus, decoctionem furfuris in aqua hordeacea cum sevo hircino, ac vitellis ovorum per clysterem suppositam. Id, ni fallor, tum contigisse reor, quia intestinorum mucorem, præter naturam prius ab humoribus pravis derasum, ea decoctio intus injecta opportune restituit.

CAPUT XV.

De Cholera.

Definitiones. AFfectio sane lethalis, ac peracuta, quæ nos interdum atrocissime torquet, & quamocissime non semel effert, ea est, in qua torminibus, item & nausea, sive potius vomendi nisu adeo vexamur, ut tum, quum alvus sordes solutas prætermodum egesserit, & quicquid in ventriculum, sive per os ingestum, sive aliunde confluxerit, cum impetu ex ore emittatur. Id morbi genus *cholera* dicitur, quæ, si nominis etymologiam spectes, quasi *biliarem* sonat; ideo tale nomen nactum, quoniam quicquid in ea ægritudine evomitur bilem quodammodo sapit, amaricans videlicet utplurimum est. Duplicis generis vel penes Hippocratem cholera olim fuit: *humida* nimirum, aut *vera*, vel *legitima*: *sicca*, vel *notha*, sive *spuria*, aut *illegitima*. Humidam describendo, affirmare consueverunt Majores, *assiduam esse, atque exuberantem humoris pravi per superiora, æque ac per inferiora ejectionem, cum visceruum perturbatione vehementi, ob facultatem expultricem valde lacessitam*. Siccam dixerunt, *spiritus, sive flatus tum per superiora, tum per inferiora excretionem, cum inflatione, ac ventris strepitu, necnon etiam lumborum, laterumque dolore*. Verum enim vero, ut luculentius loquamur, choleram definiendo, dividendoque, dicendum potius ducimus, *egestionem esse quamdam, qua tum superne, tum inferne quicquid intus intestinis, & stomacho continetur, ejicimus cum torminibus, ac permolesto vomendi nisu, ob varias abdominis spasmodicas contractiones*. Si quæ egeruntur adeo crassa sint, ut sub forma recrementorum emittantur, tum cholera dicitur *humida*. Si flatus adinstar erumpant, atque evanescant, nunc cupatur *sicca*. Ex quibus signa itidem habemus diagnostica quum præsens est.

Diagnosis. Adnotandum tamen superest, choleram comites utplurimum habere, aut etiam prævios ventris atrocissimos cruciatus, cardialgiam, sitim ardentissimam, animique creberrima quandoque deliquia &c. Pulsus in cholera præterea esse solet celer, concitatus, & plurimum varius, frigefiunt extrema &c. In sicca alvus insuper fere semper intumescit, obmurmurat, obstrepit. Ad hæc regiones lumbares, item & latera in cholera affectis hinc, at-

atque illinc, dolores varii, tum acres, tum obtusi, & quasi distrahentes, pervagantur.

Causa. Ad choleram excitandam causa sunt potissimum humores acres, sive acidi, aut alio quovis pacto mordicantes, qui ventriculum, una & intestina irritando, aut musculos, vel membranas abdominis interiores variæ lædendo, motus convulsivos excitant, & varias viscerum imi ventris contractiones, sive compressiones inducunt; quibus quicquid intus continetur superne, æque ac inferne, tum vomitu, tum dejectione, egeritur. Hinc alvi profluvium, una & nisus vomendi, choleram faciunt. Si, aut cavum ventriculi, aut intestinorum anfractus multam recrementorum copiam intus contineant, vel si eo ingens confluat bilis, succique pancreatici, aut laticis lymphatici ex glandulis finitimis colluvies, materia, quæ tum excernitur, choleram humidam procreat. Sin autem præfatæ capacitates, vel aerem tantum excipiant, vel materia quædam tenuissima, quæ sub aspectum minime cadat, ibi insudet, tum ea in flatus extenuata, per superiora, & per inferiora erumpit. Hinc choleram siccam, sive ventosam producit.

Prognosis. Non modo acutus, verum & peracutus morbus habenda est cholera, quæ citissime, & spatio quidem paucarum horarum, ægrotantem interdum extinguere potuit. Sicca, quam humida, quoque pejor. Pessima autem tum sicca, tum humida, quum nulla patens, quæ eam procreaverit, præcesserit causa. Cæterum pessimum in utraque omen facere consueverunt semper pulsus debilis, aut intermittens, urina, quæ, aut livescentem, aut nigricantem sese perhibuit; multoque magis, quum sudor per universum corpus sese sudit frigidum, vel quum partes extremæ, cæteris incalescentibus, alserint, tum maxime, quum, aut supervenerint singultus, aut cordis creberrimæ palpitationes, aut tum, quum quæ egeruntur alvi, & ventriculi sordes, a statu naturali longe recesserint. At enim vero, aliquibus saltem in casibus, eam, declinante febre, per modum criseos saluberrimæ subsequutam fuisse, nobis etiam innotuit.

Curatio. Id potissimum pro choleræ curatione adnotare juvabit, utrum ex symptomatibus præcipuis magis urgeat: num urgeat videlicet magis vomendi nisus, quam dejiciendi stimulus. Si vomendi nisus, ad ea quæ vomitum sistunt confugiendum: ad ea nimirum, quæ ad nauseam evincendam, ante præscripsimus. Contra, si dejiciendi stimulus, ea adhibenda sunt, quæ ad alvi profluvium curandum proposuimus. In genere tamen conveniunt potiones copiosæ, emollientes, diluentesque, item & clysteres, qui non absimili polleant facultate. Conveniunt item oleosa: ea nempe, quæ blande solvunt, leniuntque, ut pravos humores solvendo leniter eluant, atque eorum acrimoniam leniendo cicurent, contractiones laxent, tormina, æque ac, si adsint, dolores cardialgiacos solvant, & discutiant; in quem finem, nec improbamus opiata, theriacalia, confectiones anodynas, hisque similia; ea potissimum, quæ vim habent alexipharmacam. Persæpe contigit quoque, ut choleram vehementissimam, quæ rebus aut tepentibus, aut igne excalefactis, exacerbabatur; contigit, inquam, ut potiones gelidæ illi-

Digitized by Google

lico vel sustulerint, vel saltem compresserint. Si cholera sicca sit ad eam eximendam conducunt præterea fotus, balnea, semicupia, inunctiones etiam externæ, cataplasmata imo ventri apposita &c. Quum febris succendatur, quod non semel evenisse constat, & quum ea ardens sit, ac viscerum inflammationem imminentem fore simul ut indicaverit, sanguinem educere expediet.

Historia VIII.

Quicquid, cholerae medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

SAserna rusticus quinquagenarius, in frigidam, siccamque corporis sui constitutionem potius, quam in aliam inclinans, cæterum fortis, lacertosus, ac bene valens, agrestibus tamen exercitationibus, quibus semper vacaverat, plurimum defatigatus, mense Octobri simul ut permultos fungos sylvestres, quos carbonibus pridem assaverat, avide comederit, sensum quemdam prope gingivas acerbum, qui dentes præcipue molares stupefecerat, percipere cœpit. Vertiginibus subinde correptus, visum ad breve tempus amisit. Mox, borborygmis varie supervenientibus, doloribus cardialgiacis, torminibus, sudoribusque frigidis, animo deliquit. Ac postremo aliquantulum recreatus, vomere, una & ex alvo dejicere cœpit materiam quamdam flavam, amaricantem, ac glutinosam; qua egesta, symptomata quodammodo leniri videbantur. At nihilominus paulo post recrudescebant, quousque non absimilis colluvies, tum inferne, tum superne iterum excerneretur, quod crebro succedebat. Pulsus interim languens erat, valde inæqualis, ac pene quandoque intermittens, fauces erant exhaustæ, & siti laborabat ægrotans ardentissima. Conquerebatur insuper de intensissimo viscerum ardore, quo renes, & vesicam imprimis sibi aduri ajebat. His omnibus incommodis accesserat etiam præcordiorum ingens angustia, ac maximus spirandi labor. Quæ res effecit, ut de virulenta ex fungis ingestis labe contracta suspicatus oleum commune recens, ac dulce, quantum fieri potuit, ad libram semis, nulla interposita mora, in Nosocomio, quo delatus jam recumbebat, ei propinaverim. Id vomitum statim compressit, una & alvum longe magis concitavit. Quamobrem, ut alvi fordes adhuc magis eluerentur, juris insulsi, & aquæ frigidæ, quia plurimum sitiebat, alternis bibendi copiam fecimus; quo & alvum detersimus, & morbi vires non parum imminuimus; siquidem rediit in pulsu vigor, cessavit sudor ille morbosus, facilior evasit respiratio, atque intus, longe melius se habere in omnibus ratus æger, bolis hisce A, ad leniendos dolores, restaurandasque vires, prius deglutitis, nonnihil conquievit. Expergefactus, tum nauseam, tum alvi fluxum, tametsi longe minus, quam antea, adhuc tamen patiebatur. Hinc id conditum B soporiferum, una & alexipharmacum statim sumendum ei confecimus; ac enemate ex oleo simplici communi indito, eoque cum fordibus abunde emisso, iterum inclinato die, placidissime ad multas horas obdormivit, plurimum insudavit, maximam urinæ copiam egessit, atque in melius subinde semper pro-

processit; languens tamen prætermodum, sitiens, ac cibos plane fastidiens; cui propterea, ne languore deficeret, quoniam triduo cum ea tam pervicaci ægritudine jam colluctatus esset, meri optimi malvatici cyathum propinavimus; quo refectus, paulatim ac sensim, omnino tandem convaluit.

A ℞. *Confect. hyacinth.*, *al-Kerm.*, *theriac. ana. drach. j. M.*, *reform. bol. S. A.*, *& cap. ut m.*

B ℞. *Confect. hyacinth.*, *al-Kerm.*, *radic. contrayerv.*, *in pollinem redact. ana. drach. j.*, *syrup. de cortic. citr. unc. j.*, *aq. cinnam.*, *& flor. aurant. ana. unc. ß. M. f. condit.*, *cui adde laud. nepent. liquid. gut. viii. cap. cochleatum identidem repartitis vicibus*, *sub vesperam*, *media nocte*, *& antelucanis horis*.

CAPUT XVI.

De Affectione Iliaca.

Definitiones.

HActenus de affectionibus, quæ alimentorum digestiones, chylique consuetas distributiones, eorumque officinas, eoquod laxa nimis fuerit alvus, lædere consueverunt, egimus. Ad alias igitur pergamus oportet, quæ, quoniam adstricta nimis est, iisdem functionibus, iisdemque visceribus officiunt. Inter has ea primo occurrit, quæ *iliaca* nuncupatur ab ileo, quod inter intestina præ cæteris in tali morbo affici passim creditur. Affectio iliaca nihil est aliud profecto, quam *alvi suppressio adeo contumax*, *ut vel nihil*, *vel propemodum nihil*, *excerni queat*, *cum dolore alvi atrocissimo*, *ventris inflatione*, *ac vomitu adeo violento*, *ut vel alvi sordes ex ore quandoque egerantur*. Dicitur quoque *volvulus* a volvendo, sibi suadente imperitorum vulgo, ut funes intricatissimos per id morbi præter naturam circumvolvi, ac implicari intestina. Dicitur *chordapsus*, quoniam intestinorum est morbus, quæ a Græcis *chordæ* dicta sunt. Dicitur insuper ab atrocitate symptomatum, quæ inferre solet, *miserere mei*: enim vero affectionem hanc describendo, ita plane loquuti sunt Majores. *Affectio iliaca dolor est intestinorum perquam acerbus*, *ob continui solutionem violentam*, *cum tumore ventris imi*, *tantaque alvi obstructione*, *ut nihil per intestina descendat*; *quæ chordæ adinstar implicita*, *quicquid continent*, *ad superiora rejiciunt*, *& vomitum concitant*.

Affectionis iliacæ, quæ præsens est, indicia ex iis, quæ in definitione tradidimus, sunt manifesta; imminentem autem prædicere solent alvus diu compressa, tormina perquam acuta: quæ intestina præsertim tenuia pervagantur: nausea, quam vomitus paulo post insequi solet &c. Diagnosis.

Causa.

Ut volvulus suscitetur, efficere plura possunt; at imprimis, aut intestinorum sordes tantam pravitatem, aut succi tantam acrimoniam interdum sibi comparare possunt, ut tunicas eorumdem interiores pungendo, eas convellant, ac motum intestinorum peristalticum invertant. Hinc, alvo omnino compressa, dolores, tormina, spasmus, ventris inflatio, viscerum contractiones, vomitus, & reliqua, quæ affectionem iliacam præcedere, comitari, & designare solent. Quicquid de sordibus, succisque pravis, intestinorum cavo conten-

tentis, ratione causarum volvulum producentium, paucis mox innuimus, dictum quoque volumus & de vermibus, aut lumbricis, & de ulceribus, sinibusque intestinorum fistulosis, necnon etiam de humoribus, qui in tubulis stagnando, eorumdem intestinorum tunicas inflammare, easque in tumorem attollere, recidere, lacerare, aut alio quovis pacto lædere intime possunt.

Prognosis. De tali affectione, quæ inter morbos lethales, & peracutos jure recensenda est, plura ex Hippocrate habemus. *Quibus*, inquit Senex, *ex stillicidio urinæ*, a stranguria videlicet, *ileos supervenerit, septem diebus pereunt; nisi, febre superveniente, satis urina fluxerit* (a). *Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, & convulsio malum* (b). Quinimmo singultus, apud Ettmullerum, suturæ mortis in ileo prænuncium certum est. *A dejectione sincera*, chyli nempe, *intestinorum difficultas malum* (c). *Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit lethalis* (d). *Morte terminari ileum, quum aut febris, aut alvi solutio supervenerit* (e). Mors in proximo versatur, ex Galeno, quum fæces per os excernantur. Idem quoque, experientia teste, expectare debemus, si contingat in ileo, ut vomitu vermes emittantur; vel, si recrementa aut superne, aut inferne egesta, & plurimum fætent, & a statu naturali longe recedant.

Curatio. Indicationes, quibus iliacæ affectionis curationem aggredi, eamque prosequi debemus, in eo potissimum sitas esse, existimamus; primum, ut materia peccans, quæ intestina proxime lædit, quamprimum discutiatur; mox, ut alvi sordes per loca consueta leniter egerantur. Hinc optima sunt emollientia, oleosa, & diluentia, quæ tum per os ingesta, tum clysteribus intus immissa, humoris peccantis acrimoniam infringunt, obruunt, sive retundunt, eluuntque, fæces concretas solvunt, easque dejiciunt. At, quum non satis id fuerit, propinanda sunt præterea camphorata, opiata, theriacalia, hisque similia, de quibus in præcedentibus, utpote quæ convulsiones eximant, æque ac intestinorum dolores spasmodicos cohibeant, eosque sedent. In quem finem nec improbamus fotus exteriores, inunctiones, semicupia, balnea, & præsertim emollientia, quæ ileum pervicacissimum non semel discusserunt. Affectionem hanc fumo nicotianæ, vulgo *tabaci*, per fistulam in anum indito, quamocissime se discussisse, in exercitationibus practicis circa medendi methodum, enarrat Federicus Dekkers. Si adsit febris, si viscerum inflammationis indicia, tametsi imminentis, vena statim solvenda, in partibus potius infernis, quam supernis. Hinc, hirudines intestino recto præcipue admotas, mirum in modum prosuisse ad ileum sedandum, hactenus pene semper observavimus; quum sanguis, qui ex vasis hæmorrhoidalibus profluit, partem affectam proxime exoneret.

(a) *Sect. 6. aphor. 44.*
(b) *Sect. 7. aphor. 10.*
(c) *Sect. 7. aphor. 24.*
(d) *Sect. 4. aphor. 24.*
(e) *lib. 3. de morb.*

Historia IX.

Quicquid, Iliacæ passioni medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

CHrysis mulier quædam annorum triginta circiter; habitu pingui, temperamento sanguineo prædita, modicæ staturæ, fortis, ac bene valens; mense Februario, flante borea, ac fontibus in Urbe gelu ubique concretis, quum Bacchanaliorum ludos personata publice celebraret, varia tempestatis illius frigidissimæ passa est incommoda. Ex theatro tandem in atrium domesticum sese transtulit; ubi ad multam noctem choreas vicissim festive ducens, ac ad animi usque deliquium postremo defatigata, merum primum, ut vires reficeret, chocolatam subinde, ac varias postmodum potiones gelidas, subacidas, saccharatasque, identidem sorbuit. Mox tandem recubuit, ac placide obdormivit. Postridie diluculo expergefacta, nausea quadam plurimum sibi infesta tentatur. Alvus ei obmurmurare, & flatibus intumescere cœpit. Flatus eructans crebro cum sonitu emittit. At non multum post torminibus lacessita, ac alvo omnino compressa, pituitam primo glutinosam, insipidamque, mox perquamacidam, frequenter evomit. Prosequitur vomitus, & loco pituitæ, bilem valde amaricantem egerit. Adeo interim adstringitur alvus, ut nec flatus excernere quidem possit. Accedit insuper cardialgia, sitis ardentissima, viscerum ardor, anxietas, urinæ stillicidium permolestum, & reliqua, quibus promiscue nostra Chrysis angebatur. Nihilosecius haud febriebat, pulsus constans erat, tametsi durus, contractusque; lingua humida, urina cruda, ac perexigua, quæ, uti diximus, guttatim instillabat. Prope meridiem ægrotantem invisimus, cui enemate emollienti submisso, quod neutiquam excrevit, oleum amygdalarum dulcium recens, ita ut in A paratum, illico propinavimus; quod confestim vomendo rejecit. Et quoniam symptomata magis adhuc invalescebant, & ut alvus, quæ prætermodum dura erat, aliquatenus emolliretur, fotus emollientes cum spongiis, ut moris est, imo ventri adhibuimus. At enim vero, ne inflammatio, quæ ex pluribus indiciis imminens videbatur, superveniret, saphena soluta, libram circiter sanguinis extraximus, & bolos hosce B statim sumendos ei confecimus, qui aliquantulum in ventriculo commorati, omnia symptomata quodammodo pacaverunt. Attamen, nec vomitus omnino cessabat, nec vel quid minimum alvus excernebat. Quamobrem, enemate ex oleo simplici communi sub vesperam iterum indito, ut per horam in semicupio ex hydrelæo submersa commoraretur, decrevimus. Semicupii beneficio soluta est alvus, ex qua, quicquid per clysteres antea immissum fuit non modo, verum etiam plurima pravæ indolis sordium copia, maxima cum utilitate profluxit. Hinc, præter cibi fastidium, fractasque vires, quæ tamquam morbi quædam reliquiæ perstiterant, nil aliud plane ex resoluta ægritudine supererat. Ut igitur viscera adhuc magis eluerentur, & morbi radices funditus avellerentur, potionem hanc C solventem antelucanis horis hauriendam ei præscripsimus, cui permultam aquam simplicem frigidam, ut eam, qua intus vehementer ardebat, restingueret sitim, ex intervallo superbibit; qua

qua tum ex alvo, tum in urinam celerrime subinde egesta, placidissime conquievit, ac optime convaluit.

A ℞. *Sperm. cet. drach. j., olei amygd. dulc. rec., & fin. ign. extr. unc. iv., aq. cinnam. unc. j. M, & cap. in sure, ut m.*

B ℞. *Conject. hyacinth. alb. f. o., theriac. ana. drach. j., camph. gr. iii. M., refor. bol., quos cap., ut m. superbibat aq. theriacal., tot. citr., ac menth. ana. unc. j.*

C ℞. *Fol. sen. orient. sine stipitibus unc. ss., crem. tart. drach. ii., cinnam. opt. scrup. i., aq. commun. q. s. M., f. inf. S. A. colet., & adde semin. melon. unc. ii., f. emuls. solv. S. A., & adde mell. hispan. unc. ij. Cap. frigidam, ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Discrimen inter affectionem iliacam, colicam, & nephriticam.

ILiacam affectionem tum Veteres concitari opinabantur, quum intestina tenuja afficerentur. Quum autem crassa, & colon præcipue, tum colicam exoriri rati, veluti ex una, eademque affectione duplicem effecerunt. Colica igitur, & ileus, affectiones nimirum, quæ nonnisi secundum magis, & minus distant, ratione partis affectæ Priscis discrepare visæ sunt. Quamobrem, ut ileus ab ileo intestino, ita & colica ab intestino colo nomen sortita esse videtur; quam propterea describendo, *eam esse*, olim tradiderunt Majores, *dolorem intestini coli, a rebus continuum solventibus elicitum*. Nobis tamen dicendum potius arrisit, nihil aliud esse colicam, *præterquam affectionem iliacam in gradu leniori; in quo videlicet intestinorum dolores, vel tormina, item & reliqua symptomata, longe minus torquent, quam in ileo perfecto*: idque, quoniam aut humor peccans, aut alia quævis causa ægritudinem inducens, lenior est; nec adeo vehementer agit, intestinorum plexus lædendo. Enim vero in colica nec acriter adeo afficimur, nec alvus est adeo adstricta, nec vomitus adeo vehemens, ut per os vel fæces egerantur. Hinc est, quod colica persæpe cum nephritide, cum renum nimirum ex calculo potissimum affectione, confunditur; quum eosdem propemodum effectus inferre utraque soleat. Differunt tamen utplurimum ratione: tum urinæ, quæ excernitur: tum loci, qui dolore afficitur: tum intensione, & qualitate ipsius doloris, qui partem afficit. Urina in nephritide esse solet, aut arenulis referta, aut perexigua, aut defœcatissima, & limpida. In colica potius exuberans, cænosa, & crassior. In nephritide tametsi, vel ad inguina, vel ad regionem pubis interdum prolatetur dolor, peracutus tamen, ac lumbis infixus plerumque insidet, ad inferiora quodammodo declinans. Femora, item & crura quamsæpissime convellit; aut eorum saltem stuporem, pluribus ex causis infra exponendis, inducit. In colica, neque acris, neque pungens adeo esse, neque adeo obnixe, atque atrociter lumbos tentare solet; quinimmo regionem præcipue abdominis anteriorem hinc inde sine lege pervagatur. Non est tamen, quod illorum opinionem plane improbemus, qui sibi suadent, tum in colica, tum etiam in ileo, colum frequentius lædi, quam reliqua intestina. Colon enim, & ob maximam longitudinem, & ob cellulas, atque anfractus creberrimos, sordes facilius sistit, continetque; quæ diutius proinde ibi commoran-

rantur, immutantur, corrumpuntur, acriores fiunt; & nonnisi mature excernantur, pravitatem quamdam sibi nactæ, affectiones præfatas facile ingenerant. Mesenterium, ejusque plexus in utraque affectione, neque injuria, culpare consuevit Willisius; fieri quippe potest, ut mesenterio affecto, ob viciniam, ut ita dicam, & ipsa lædantur intestina; quæ propterea ex consortio læsa, aut ileum, aut colicam provocent. Colica affectio, minus quamvis habeat periculi, quam iliaca, in iliacam tamen facile transit: quo in casu lethalis. Lethalis item, si vulneribus intestinorum, si cum febre acuta, quæ viscera inflammari indicet si viribus prætermodum solutis, supervenerit. In paralysin, epilepsiam, apoplexiam, cæterasque capitis affectiones, in arctum præcipue soporem, necnon etiam in arthritidem cessisse, & nos interdum observavimus. Verum quum talem colica fecerit metastasin, eam potius spirituum animalium vitio, aut cerebro, nervisque affectis extitisse opinamur: ortum nimirum duxisse, tum existimamus, a convulsione quadam viscerum interiori, quam spiritus præfati cum impetu a cerebro per nervos in plexus propulsi abdominis induxerint. Ut discutiatur colica, quæ ab ileo nonnisi gradibus, ut antea jam diximus, differt, eadem propemodum, quæ ileo curando proposuimus, medica expostulat auxilia.

Historia X.

Quicquid, colicæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

A Marillis decem, & octo ab illinc annos nata, agrestis puella, corpore sano, habitu gracili, ac bilioso, quod videlicet calidum, & siccum vulgo dixissent, temperamento donata; mense Majo anni proxime elapsi, atrocissimam Tusculi ex vario rerum abusu, ea prope, ut insequitur, ratione, sibi peperit colicam. Dies erat Veneri a Majoribus dicata, quum, zephyro flante, in hortis tusculanis subdio, aere tranquillo, simul ut lac plurimum cum fragis ac saccharo conditum, geluque concretum, jejunis faucibus ingessisset, spatiaretur; & una cum aliis puellis luderet prætermodum delassata, ac sudans, discalceata nudis pedibus, secus confluentem, ripas herbidas, florentesque, ac rore madidas, saltando, jocose pessundaret, iisque alacriter insultans. Dum hilaris inquam, cum cæteris ita ludit, ac pene debacchatur, sitiens, merum, quod ei propinatur, perbibit. Dolore quodam acerrimo circa pubem subinde vexatur, quo factum fuit, ut in proximo secedens recumberet. At adeo increbuit dolor, ut die inclinato domum reversa Medicum efflagitaret. In viciniis, relaxandi animi causa, versabamur & ipsi; qui propterea fama commoti, eam invisimus. Languens erat, squalens, irrequieta. Pulsum debilem, contractumque, ac propemodum febrientem percepimus. Eructabat, flatus etiam deorsum cum sonitu emittebat. Obmurmurabat alvus, & nonnihil intumerat. Conquerebatur Amarillis, intorquebatur, sibique metipsi plurimum infesta, hinc, atque illinc variis in modis exagitabatur; ob tormina præsertim, quæ per regionem intestini coli, necnon etiam umbilicalem, ab inguine sursum ad epigastrium evagabantur. Adstricta erat alvus. Urinas tamen copiose, easque non coctas, crassas licet, ege-

egerebat. Quibus mature expensis, quoniam tum, quum viscera intus æstuabant, ei impense pedes algebant, ut spongiis aqua tepente persusis diu foverentur effecimus, & clystere ex hydrelæo mellito, qui alvum commode civit, indito, ut ea sanguinis, quem ex mensibus pridem suppressis jam redundare cognovimus, quantitas imminueretur, libram circiter, saphena secta, extraximus. Mox oleum commune optimum in jure vitulino modice salito ad uncias quatuor illico sumendum præscripsimus; cui tamen bolum ex theriaca, tryphera magna cum castoreo, ea, quæ insequitur norma A, confectum, præcedere fecimus. Alvus interim decoctionibus emollientibus fovebatur, cui omentum vervecinum cum oleo communi, & camphorato ita, ut indicat B, digestum, quamsæpissime adhibuimus. Dum hæc perficiuntur, blando capta sopore, placidissime obdormivit, & colica penitus evanuit. At enim vero, ut sitim, quæ adhuc supererat, expleret, aquæ limpidissimæ, frigidiusculæ ita, ut ex fonte, qui in proximo aderat, prosilierat, copiam fecimus; quæ iterum, atque iterum, utut ei libuerit, abunde epota, alvum tandem concitavit, atque a sordibus intus ingestis extersit.

A ℞. *Theriac.*, *trypher. magn. ana. drach. j.*, *castor. gr. iij. M.*, *ref. bol. sumend.*, *ut m.*

B ℞. *Ol. com. libr. j.*, *camph. scrup. j. M. in vase*, *cui infunde omentum vervecinum. Calefiat in B. M. pro unctione*, *ut m. sive omen. aq. tep. cal. ol. infund.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quare potiones frigidæ colicam, ileum, & choleram quandoque sistant.

COlicam, ileum, & choleram, quum reliqua omnia tum intus, tum foris medica adhibita auxilia respuerint, potui aquæ gelidæ, necnon etiam gelu visceribus extrinsecus admoto, confestim cessisse, & a Majoribus nostris, vel ab ipso Hippocrate, accepimus, & ipsimet interdum vidimus. Ex quo inferre debemus, potiones frigidas, æque ac frigus ipsum extrinsecus adveniens, iis potissimum, quibus pedes extremi prætermodum alserint, ut eas affectiones procreare, ita & quandoque discutere potuisse. Eas, ut opinor, procrearunt, ubi, cute stipata, effluvia intus coercita in tubulis sistuntur, & effervescunt, membranas impellunt, easque incendunt, ac nervos intestinorum lacessunt. Discusserunt autem, quum vim maximam humoris æstuantis, qui tunicas intestinorum divexabat, compresserint.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare æstate præsertim, & autumno, quibus intempestive refrixerint pedes, plurimæ supervenient affectiones.

QUibus, æstate præsertim, & autumno, ubi reliquæ humani corporis partes vitam habentes, aut jam extrinsecus incaluerint, aut saltem tepuerint, intempestive refrixerint pedes, frequens est, ut alvus nisi sponte, ut ita dicam, sua solvatur: frequens est, inquam, ut vel cardialgia, vel colica, vel tenesmus, aut vertigo, aut gravedo, aut vomitus, aut consimiles suscitentur affectiones; quæ

quæ maximum præ cæteris inter pedes, stomachum, intestina, & cerebrum inesse consortium commonstrant. Id nihilominus hyeme, item & vere frigido, ubi reliquum corpus actu friget, tametsi gelu pedes alserint, non adeo frequenter occurrit. Istius eventus originem quisquis, quæ mox proferam, mature perpendat, facile attingere poterit. Ex sudoribus, aliisque sordibus, quæ aut ex pedibus indefinenter profluunt, aut cumulatæ pedibus extrinsecus inhærent, nemo non videt, quanta sit recrementorum copia, quæ aut a sanguine, aut ab aliis circumeuntibus humoribus per effluvia, sive glandularum, sive minimorum meatuum ope, in pedibus secernuntur. Talia recrementorum effluvia tum quum, frigoribus, cutis in pedibus constipetur, intus aut per venas, aut per alios tubulos retrocedunt, & remeant, fluida universa coinquinant, eaque labefaciunt; quæ, nisi labem ita contractam subinde deponant, excernant, ac in visceribus abdominis, pene dicam, despument, ad cerebrum provecta, nervorum principium turbant, membranas inficiunt, spirituum animalium motum pervertunt, & aut vertiginem concitant, aut gravedinem pariunt. At in visceribus abdominis præfata labes excreta, nisi aut una cum bile, succoque pancreatico, aut cum latice ventriculi, sive intestinorum in cavum aut ventriculi, aut intestinorum, aut per renes in urinam provehatur, & quamprimum eximatur, cardialgiam, vomitum, tormina, imi ventris tensiones, tenesmum, dolores nephriticos, & reliqua progenerat. Id autem ideo, ni fallor, non adeo frequens hyeme, & vere evenire solet, quoniam hyeme, & vere pedes minus expirant, & viscerum facultates ob calorem pluribus ex causis intus adauctum validiores sunt, & iccirco pravis humoribus excutiendis aptiores. Calorem autem in visceribus hyeme potissimum, & vere longe magis vigere vel ab ipso Hippocrate habemus. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi; quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tum calor innatus plurimus est, unde pluribus egent alimentis* (a). Quare tum vigeat calor interior, id fieri potissimum existimamus, eo quod validior est fermentatio; quæ in visceribus eo validior elicitur, quo cutis minus exspirat, & quo major est quantitas ætheris illius, sive nitri, ut ita dicam, aerei, quod frigoribus nivosis præcipue una cum aere inspirato pulmones ingreditur, in pulmonibus venas subit pneumonicas, ac per venas pneumonicas in sinus cordis insertur, ut inde per aortam quaquaversum effundatur. Nitrum quippe illud perquam tenue, quo, uti plures indicant sensuum observationes, iis præ cæteris tempestatibus scatere solet aer exterior, ut aquam exteriorem figit, & gelat, ita quoque in recessibus corporis humani viventis cum reliquis fluidorum æstuantibus particulis immixtum, fermentationem, & calorem promovet; non secus ac fieri quotidie constat in pulvere nitrato, ob nitrum, quod cum sulphure, & carbone in eo accensum, plurimum vigoris erumpentibus flammis impertitur;

(a) *Aphor.* 15. *Sect.* 1.

titur; quæ proinde in bellicis tormentis, aut in cavis conclusæ, nitri potissimum causa, evenit, ut rarefiant, & prolatentur. Quinimmo & a nitro sibi partas explicant vires, reboant, obices concutiunt, repagula prosternunt, & quasi superbientes in sublime, recenti, ut ita dicam, spiritu, evectæ, in densissimam glomerantur nubem, usque dum, eo senescente, ac pene destitutæ, proprio cedant ponderi, languentes subsideant, ac penitus evanescant.

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Nonnulla de Mesenterio affecto, tum causæ, tum curationis proponuntur.

MEsenterium inter organa, atque officinas digestionis non immerito recensetur; chylus, enim, qui in intestinis ab alimentis incoctis, subactis, digestisque, fermentationis ope elicitur, venas lacteas, ut ante jam innuimus, subit: subit videlicet mesenterium, atque in mesenterio glandulas, sive potius receptacula subit communia, minima prius, inde majora, ac postremo maximum, chyli nempe cysternam. Unde per ductum thoracicum venam subclaviam sinistram ingreditur, ac per venam subclaviam truncum venæ cavæ, a qua immittitur in cordis sinus, ut tandem per arterias una cum reliquo sanguine ad universa corporis humani viventis organa dirimatur, in quibus partes omnes tum fluidas, tum solidas nutrit, & fovet. Pone igitur, ut mesenterio infarcto, oppletoque, infarciantur, oppleantur, aut alio quovis pacto occludantur, obstruanturque ductus chyli præfati; tum ex denegato in sanguinem alimoniæ influxu, fieri haud potest, quominus corpus contabescat. Quamobrem pessimum habendum est inter humani corporis viventis affectiones mesenterium obstructum. Et quoniam in cavo abdominis inter intestina conditur mesenterium, ac pene delitescit, ideo perquam difficile fuit semper ejus obstructiones tactu percipere; tum maxime, quum ea, qua scatet pinguedine, sensum, qui alioquin ob nervorum plexus creberrimos acris esse debuisset, sibi valde retundit. Quapropter num infarctum sit mesenterium, conjectari oportet: ex sordibus alvo egestis, quæ tum chylosæ occurrunt: ex macie universa, quæ ex præcluso succi partibus alendis idonei aditu, propediem subsequatur, necesse est: ex molesto quodam gravitatis sensu, quem in recessibus ventris imi, non procul ab epigastrio, percipiunt ægri, & qui exiguo post cibum ingestum invalescit. Quinimmo eo in casu, quoniam ventriculus, qui explicari amplius commode nequit, proximas comprimit regiones, efficit, ut omnia recrudescant incommoda; arteriæ quippe, in dorso præsertim, vehementius pulsant; & diaphragma, quod sursum in thoracem propellitur, impedimento est, ne libere pulmones explicentur. Hinc spirandi difficultas fit major. Id generis obstructionibus, non secus ac reliquis omnibus discutiendis, evincendisque, ut infra dicendum, apprime conducunt rhabarbarata, chalybeata, amaricantia, blande volatilia, aromatisata, acidula, item & diluentia, tum foris, tum intus, quæ humores concretos solvunt, salia fundunt, eaque fusa eluunt; de quibus omnibus suo loco, ubi de viscerum obstructionibus in genere

nere verba facturis, fuse dicendum. Adnotemus interim perfunctorie hic saltem oportet, mesenterii non modo, verum etiam cæterorum viscerum obstructionibus universis reserandis, nil magis idoneum nos hactenus adhibuisse, præterquam eam concussionis speciem, quam visceribus infarctis comparavimus per altum defluxum aquæ, modo tepentis, modo etiam frigidæ, modo simplicis, modo salmacidæ, modo naturalis, modo artificialis, prout obstructionis exegerit natura. Per altum, inquam, aquæ defluxum ex tubo plurimum elato ita irruat, sive potius excidat in regionem partis affectæ, tubo commode subjectam, ut eam proinde pulsans, ac concutiens, humores in tubulis concretos, atque stagnantes solvat, promoveatque. Id præsidii genus vernaculo apud Tuscos idiomate, fieri dicitur *a maniera di doccia*, *o di embrocazione*, *o di embrocca*; quod, & in doloribus articulorum pervicacissimis, & in ischiade laborantibus plurimum profuisse item cognovimus.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quomodo affectiones mesenterii dignosci possunt.

MEsenterium obstructum tabem non modo lethalem quandoque molitur; verum etiam inflammationes, abscessus, & ulcus intus in cavo procreat abdominis; humor quippe in tubulis infarctis stagnans, partibus oleosis, volatilioribus, quæ nimium reliquarum comprimunt æstum, absumptis, vaporatisque, præter naturam effervescit, fermentatur, atque immutatur adeo, ut in pus conversus, vel abscessus, vel ulcus mesenterii producat. Tum inflammationes, tum abscessus, tum ulcus, quod mesenterio insidet, ob nervorum plexus, qui in mesenterio, affecti, reliqua quoque ex consortio afficiunt viscera, non ex facili dignosces. Hinc admodum varia, admodum incerta, & valde ambigua in affectibus mesenterii concitantur symptomata. At enimvero ex mesenterio inflammato febris succenditur utplurimum lenta, & quasi semitertiana, cui præterea lumborum accedunt dolores ob nexum, quo lumbis firmiter mesenterium inhæret. Supprimitur quandoque alvus, aut dejectiones chylosas egerit; quas ichor non raro subsequitur tenuis, modo purus, modo fœcibus infusus, seu coinquinatus. Mesenterii abscessus, æque ac ulcera nonnisi post obitum, cadavere secto, ea quamvis acrimentis indagine, ex indiciis antea prosequuti, attingere possumus. De iis tamen & priusquam decesserit æger, suspicari quodammodo datum erit, si præter enarrata symptomata, dolores pulsantes, atque ardores fuscitentur; qui veluti in abdomine interiori, modo remissi, modo intensi, viscera ex intervallo divexent, ac prope inurant. Ex prædictis affectionibus, omnes licet plurimum sint lethales, lenior inflammatio habetur; quam quandoque discutiunt opportuna sanguinis missio, sperma ceti, camphora, & laudanum oleo amygdalarum dulcium recenti solutum, tum per os propinatum, tum enemate inditum, tum extrinsecus, vel inunctione, vel fotu, vel emplastro admotum, decoctiones; & infusiones anodynæ, discutientesque ex floribus papaveris rhœados, sambuci, violarum,

rum, & reliqua, de quibus universis, ubi de viscerum inflammatione, palmonum præcipue, dicere opus erit. Nisi cedat, suppurat, aut in ulcus sordidum convertitur, vel ad annos etiam perducitur. Quinimmo cessans vicissim, & recurrens, febriculam erraticam, ac colicam intermittentem procreat. Ulcus mesenterii, eoque magis abscessum tamquam insanabilem ipse prorsus haberem, nisi a pluribus qui de eo scripserunt, accepissem, sanatum non semel fuisse, sanie sponte per alvum una cum fœcibus excreta. Affectionibus ejusmodi occurrendum est balsaminis, therebinthinatis, lenioribus tamen, chalybeatis, vulnerariis, atque eluentibus; de quibus, & ante jam dictum, & infra, ubi de phthisi ex ulcere præsertim interiori dicendum.

LIBRI

LIBRI SECUNDI

SECTIO TERTIA.

De Pulmonibus, cæterisque respirationis organis, deque iis, quæ ratione partium istarum in corpore humano vitam habente tum secundum, tum præter naturam exoriri possunt.

CAPUT I.

De Pulmonibus.

Describuntur pulmones. Vid. Tab. V. Fig. II. & III.

PULMO est viscus thoracis organicum, dissimilare, membranaceum, molle, spongiosum, respirando inserviens. Molem habet maximam; universum quippe occupat thoracis cavum. Figuram habet bifidam, ungulæ bubulinæ non absimilem. Pulmones bipartitur mediastinum in binas sectiones laterales, sive in in duos lobos maximos, qui cor laxe complectuntur. Lobus dexter in tres alios lobos distinguitur minores. Sinister in duos tantum. Sterno anterius, ope mediastini, alligatur. Posterius vertebris dorsalibus. A lateribus pleuræ nexibus fibrosis perquam tenuibus. Superne faucibus suspenditur tracheæ beneficio.

Describitur Trachea.

Trachea, sive aspera arteria, est fistula quædam partim membranacea, partim cartilaginea, quæ aerem inspiratum ab ore immittit ad pulmones, æque ac expiratum, una cum vaporibus, fuliginibus, aliisque pituitosis recrementis emittit a pulmonibus per os. Initium ducit a faucibus prope pharyngem. Anterius tamen, ubi caput extuberat tracheæ cartilagineum, ibi nempe, ubi *larynx* nuncupatur, *Adæ pomum* efficit in maribus. Exinde per faciem gulæ anteriorem œsophago semper adhærens, recta fere descendit ad pulmones, quos ingreditur pluribus distractis propaginibus, quæ *bronchia* dicuntur. Prope quartam circiter thoracis vertebram finditur, duos efficiens ramos, sive duos admodum insignes truncos, quorum singuli ingrediuntur lobum sui lateris; ubi & in alios minores iterum, atque iterum deinceps semper minores dispertiuntur; eousque dum in minimas tandem abeant propagines capillares, quæ subeunt vesiculas componentes substantiam pneumonicam.

Describuntur cartilagines tracheam componentes.

Tracheæ ductus superne, anterius ne concidat, cartilagineus. Posterius, ut oesophago cedat, quum per cibos ingestos explicatur, membranaceus. Quocirca extra pulmones pluribus compingitur veluti annulis semilunaribus cartilagineis, quorum superiores majores sunt; minores subinde a larynge versus pulmones; atque ab invicem nonnihil recedunt. Inferne, hoc est post quam ingressa est trachea substantiam pneumonicam, omnino evadit carti-

la-

Digitized by Google

laginea. Iccirco anuli cartilaginei, qui in ductu tracheæ superiori semilunares deprehenduntur, orbem in bronchiis complent, atque anulus inferior minor, superiorem majorem, ambitu suo, nonnihil ingreditur. Quo fit, ut anuli superiores majores mutuo colligentur ligamentis carneis peculiaribus. Inferius minimi solis membranis tracheam vestientibus.

Describuntur tracheæ membranæ.

Duplici membrana vestitur trachea. Exterior tenuis producitur a pleura, tracheam, æque ac bronchia quaquaversum obvolvens, necnon etiam substantiam ipsam pneumonicam exteriorem. Firmiter adhæret ligamentis anulorum carneis. Interior crassior, & validior, prope fauces præsertim, ubi producitur a tunicis palatum, faucesque vestientibus. Mox paullatim, & sensim extenuatur adeo, ut tenuissima tandem evadat ad bronchia extrema. Tunicam interiorem iterum distinguere consueverunt nostri temporis Sectores in tres alias membranas; quarum prima, ea nimirum, quæ arctissime tangit tracheæ parietes, & bronchiorum interiores, a fibris quibus implicatur carneis, dicitur *muscularis*. Media, quæ minimis ubique disseminatur glandulis, nuncupatur *glandosa*. Interior, eoquod fibris nerveis ubique confletur, vocatur *nervea*. Tunica hæc interior humore quodam irroratur tenuissimo, oleaceo, qui ut rationi consonum videtur, a glandulis exudat minimis tunicæ intermediæ, quarum vascula excretoria tunicam perforant tracheæ interiorem. Humor præfatus plurimum conducit ad vocis claritatem; qua de re, per ardorem febrilem interdum absumpto, extenuatoque, trachea proinde interior penitus arefacta vocem edit clangosam.

Describuntur vasa tracheæ.

Per membranas tracheæ tum interiores, tum exteriores dirimuntur tubuli arteriosi, item & venosi. Proveniunt arteriæ a carotidibus exterioribus, æque ac bronchialibus. Venæ a jugularibus exterioribus, item & a bronchialibus. Nervorum habent quoque propagines parietes tracheæ, præcipuas tamen a recurrentibus, quæ per tunicas hasce distribuuntur uberrimæ. Hinc sensus earum est perquam acris.

Tracheæ usus.

Trachea non modo respirant pulmones, verum etiam vocem procreant; quæ tamen, ut modulata concinne inflectatur, & consonet, tracheæ caput, larynx videlicet, miro sane opificio instructum videtur. Pluribus enim compingitur cartilaginibus, pluribusque musculis donatur; quorum beneficio exagitantur cartilagines, distrahuntur vicissim, contrahunturque. Numero quinque sunt cartilagines. A figura dicuntur; *Thyroides*, vel scutiformis: *Cricoides*, vel anularis: *Arytænoides*, *sive gutturnalis*, quæ duplex est. *Epiglottis*, idest lingua minor, sive lingua parva ad linguæ basin quodammodo insurgens. Orificium superius laryngis, improprie quamvis, *glotten* inter Sectores quispiam appellavit.

Describitur Scutiformis.

Scutiformis, sive thyroides, veluti scutum, quo belli dimicando utebantur Majores, quadratum, aptatur faciei laryngis anteriori. Anterius gibba, maribus præcipue, quibus propterea *Adæ pomum* construit. Posterius cava, suoque cavo cricoidem, sive anularem excipit. In angulis producitur, ac quatuor propterea emittit processus; binos longiores superne, quibus ad linguæ ba-

basin immittitur ossi hyoidi: binos tenujores inferne, quibus incumbit proximæ cartilagini laryngis.

Describitur Cricoides.

Anularis, sive cricoides, veluti anulus cartilagineus universam complectitur laryngem. Anularis a parte postica nonnihil consurgit in duas eminentias cartilagineas, quæ *arytænoides* vocantur. Ita consurgunt arytænoides, ut rimulam quamdam inter se relinquant, qua gutturnii speciem æmulari solent. Per rimulam hanc aer pulmonibus inspiratus, ac expiratus, alternis ingreditur, atque egreditur.

Describitur Epiglottis.

Epiglottis figuram habet triangularem. Basis producitur a parte superna cartilaginis scutiformis, cui inhæret, & quasi continua est. Exinde prosequitur per universum ambitum laryngis versus pharyngem; ideoque laryngem apposite claudit. Quinimmo & resistit, ne alimenta in cavum irruant tracheæ. Enim vero, quum deglutimus, cibum, & potum a labiis summis, per faciem linguæ superiorem compellimus versus fauces; qui propterea ita compulsi ad linguæ basin epiglottidem offendentes, eam valde deprimunt, & laryngem claudunt. Epiglottis contra levi de causa attollitur, & laryngis orificium pandit. Hinc pituitam, crassiorem licet, a pulmone per tracheam tussiendo excernimus; & Epiglottis, respectu laryngis, valvulæ munere fungitur.

Describuntur musculi Laryngis communes.

Cartilagines præfatæ, musculorum ope, identidem commotæ ad vocis tonum apprime conducunt. Quapropter musculos tredecim habent, quorum quatuor dicuntur *communes*, novem *proprii*. Ex communibus dicuntur alii *sternothyroydæi*, alii *hyothyroidæi*. Sternothyroydæi bini sunt. Consurgunt a parte superna ossis sterni; exinde per faciem tracheæ anteriorem conscendunt basin scutiformis. Hinc agendo scutiformem deprimunt. Hyothyroidæi bini sunt quoque. A basi ossis hyoidis descendunt utrinque ad basin scutiformis; atque adeo agendo scutiformem attollunt.

Describuntur proprii.

Ex propriis bini dicuntur *cricothyroidæi anteriores*. Bini *cricothyroidæi* posteriores. Bini *cricoarytænoidæi laterales*. Bini *thyroarytænoidæi*. Nonus musculus *arytenoidæus* vocatur. Cricothyroidæi anteriores a lateribus cartilaginis anularis excurrunt utrinque ad latera scutiformis, sed anterius. Eumdem propemodum situm, eamdem originem, eosdemque terminos habent quoque cricotyroidæi posteriores; attamen posterius occurrunt. Cricoarytænoidæi laterales a lateribus anularis ex utroque tendunt latere in cartilagines arytænoides. Thyroarytænoidæi a lateribus scutiformis pergunt utrinque in easdem cartilagines arytænoides. Musculus arytenoidæus consurgit a parte posteriori anularis, ubique sese explicans per faciem interiorem cartilaginum arytænoidum. Per musculos hosce cartilagines laryngis modo contrahuntur, modo distrahuntur, modo vibrant celeriter, modo lente, utut requirit munus, cui, tum vocis, tum respirationis, larynx adhibetur.

Quid sit substantia pneumonica.

A trachea ad pulmones demum reversi, dicimus, eorum substantiam spongiosam pluribus compingi membranulis productis a truncis exterioribus, atque interioribus tracheæ; quæ per substantiam pneumonicam ita conveniunt, ut sibi invicem aptatæ, innumeras ubique conficiant vesiculas minimas adeo cum bronchiis, & sibi invicem communicant-

cantes, ut a bronchiis in vesiculas, a vesiculis ex una in alteram patens deinceps sit aditus; quocirca aere per tracheam immisso illico pulmones universi inflantur. Leves iccirco evadunt, pallentesque dumtaxat respiratione peracta. Etenim in fœtu, qui nondum respiraverit, rubicundissimi sunt, & adeo compacti, ut in aquam dejecti, plurimum gravitantes, statim submergantur; quod contingere tamen haud potest, si vel semel aerem ingressum pulmones exceperint. Vesiculæ pneumonicæ mutuo colligari solent, vasculis non modo intercedentibus, verum etiam retis cujusdam interventu perquam tenuis, quod microscopio substantiæ pneumonicæ apposito perbelle sese perbibet aspectui per faciem universam vesicularum exteriorem undique coextensum. Rete id, ranarum pulmone inflato, atque exiccato, nudis oculis valde conspicuum obversatur.

Describuntur vasa pulmonum.

Ingens vasorum numerus distribuitur per substantiam pneumonicam: arteriæ nimirum, & venæ duplicis generis, nervi, ac minima lymphatica. Arteriæ, & venæ proveniunt aliæ a truncis pneumonicis, aliæ a truncis bronchialibus. Nervi apud Willis, uberrimi contra aliorum opinionem dirimuntur ad pulmones prope cordis regionem a pari vago. Minima lymphatica radicibus pluribus capillaribus ab eadem substantia pneumonica enascuntur. Hinc in paucos ramusculos majores lympham vehunt collectam in ductum thoracicum. Arteriæ, venæ, nervi, lymphæque ductus pene omnes ingrediuntur pulmones una cum trachea. Quinimmo & non secus ac trachea in ramulos statim effunduntur, quibus bronchia ubique comitantur ad vesiculas usque pneumonicas; in quas tamen nequaquam uti bronchia osculis propatulis dehiscunt. Per arterias pneumonicas sanguis a ventriculo cordis dextero pulmones quaquaversum irrigat, ut in vesiculis pneumonicis vapores effœtos, fuliginem, pituitamque glutinosam, & crassam, aliasque pertenues, siquæ adsint, sordes exoneret; quæ sive expirando, sive tussiendo egestæ per tracheam excernuntur. Sanguis præterea ab aere inspirato in vesiculis pneumonicis particulas nonnullas æthereas, sive nitro-aereas suscipit, quibus saturatus refluit per venas pneumonicas in auriculam cordis sinistram, ut validius fermentetur, atque effervescat.

Quid sint vasa bronchialia.

Arteriæ bronchiales, quæ minimæ sunt, sanguinem ab aorta descendente in substantiam pneumonicam pro ejus nutritione deferunt. Quapropter reliquus a nutritione sanguis necesse est, ut per venas bronchiales a pulmonibus progrediatur in venam cavam descendentem. De nervis pneumonicis id maxime observamus, eos extremis suis nonnihil propatulis, aliqua saltem ex parte vesicularum parietes confecisse.

Usus pulmonum.

Pulmones una cum trachea, respirationi præsertim inserviunt. Per respirationem sanguinis motum adjuvant, ejusque fermentationem, spirituum animalium, item & vitalium vim excitant, voces edunt &c.

Quomodo fiat respiratio.

Respiratio fit *inspiratione*, atque *expiratione*, quæ alternis jugiter sibi respondent. Inspirando aerem intus per tracheam immittimus ad pulmones; quem postmodum emittimus a pulmonibus per tracheam expirando. Inspiramus thoracem undique dila-

latando. In dilatatione quippe, musculis thoracis universis contractis, ad claviculas attolluntur costæ; & uno, eodemque tempore, fibris contractis, complanatur diaphragma; quod fieri minime potest, quin amplius evadat thoracis cavum; adeo ut aer exterior circumpulsus a parietibus thoracis exterioribus, nec non etiam proprio pondere per os tracheam subeat, ac per tracheam vesiculas pneumonicas; quæ iccirco explicantur, atque intumescunt. Hinc inspiratio; quæ ut facilius succedat, pulmonum tunica exterior quandoque alligatur nexibus quibusdam fibrosis parietibus thoracis interioribus; qui propterea ab invicem recedentes pulmones adjuvant, ut aerem facilius intus excipiant; in quo imperitorum vulgus decipitur, adhæsionem præfatam, naturalem licet, morbosam semper existimans.

Quid proprie præstant pulmones in respiratione.

Expirando, aerem ex pulmonibus per tracheam foras emittimus. Expiramus thoracem contrahendo. In contractione quippe thoracis, musculis abdominis contractis, deprimuntur costæ, una & comprimuntur viscera imi ventris subjecta; quæ compressa, quum deorsum produci nequeant, necesse est, ut sursum attollantur. Hinc in sublime provecta, substantiam diaphragmatis attollunt, eamque in thoracis capacitatem impellunt, atque una cum costis depressis pulmones comprimunt interceptos; a quibus aerem non ita pridem inspiratum exprimunt, & foras per tracheam in fauces excludunt: idest expirationem faciunt. Ex quibus patet in respiratione nequaquam agere pulmones, sed pati potius; quemadmodum non agit, sed patitur spongia; quæ inter manus comprehensa, utut manus alternis abducamus, & diducamus, intumescit vicissim, & detumescit.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quare sanguis pulmones ingressus immutetur.

UT sanguis, qui ex trunco venæ cavæ reducitur in auriculam cordis dexteram, crassior, sane, obscurior, minusque fluens observatur, quam is, qui ex cordis ventriculo sinistro arteriam aortam ingreditur; ita sanguis, qui a dextero cordis ventriculo, ut per pulmones dirimatur, arteriam pneumonicam subit, crassior, item & obscurior, minusque fluens deprehenditur quam is, qui a pulmonibus per venam pneumonicam in auriculam cordis sinistram provehitur. Id præ cæteris in canibus, aliisque quadrupedibus; quos olim adhuc viventes insecuimus, nobis luculenter percipere non semel licuit. Indicium evidens, sanguinem in pulmonibus plurimum immutari; quod ansam Recentioribus fecit, ut eumdem sanguinem in pulmonibus ab aere inspirato particulas saltem nonnullas aut æthereas, aut nitro-aereas, ut ante jam innuimus, aut alterius cujuscumque indolis, jugiter sibi abripere existimarent; quo saturatus per venam pneumonicam refluat ad cor; in quo proinde ebullit, effervescit, subigitur, extenuatur, atque ita subactus per aortam quaquaversum distribuitur.

CA-

CAPUT II.

De *Pleuritide*, & *Peripneumonia*.

Pleuritidis, & peripneumoniæ definitiones.

INter morbos, quorum causa ægre respiramus, passim occurrunt Pleuritis, & Peripneumonia; affectiones nimirum, quæ a partibus, quas afficiunt, nomen sibi nactæ, effecerunt, ut firma, & constans inter Clinicos invaluerit opinio, pleuram, item & pulmones seorsim inflammari posse, quamvis revera substantia pneumonica nihil aliud sit, si bronchia eximas, præterquam pleura producta complicata, ac in cellulas, sive in vesiculas minimas extenuata, ac varie coaptata; quæ quum inflammatur, perquam difficile videtur, ut inflammatio quodammodo & ad substantiam pneumonicam non extendatur. Nihilominus pleuritidem Majores *pleuræ, & musculorum adiacentium inflammationem esse* tradidere, *cum dolore lateris punctorio, tussi, respiratione difficili, febre acuta, pulsu duro, inæquali, frequentique*. Peripneumoniam *inflammationem esse pulmonum cum pectoris angustia, spirandi difficultate, febre acuta, & tussi*. Nos autem, qui quoties pleuritide, & peripneumonia interfectos secare secimus, toties promiscue, modo tamen magis, modo minus, pleuram, una & pulmones æque inflammatos vidimus; & qui propterea, ut ante diximus, valde ambigui in re tam incerta versamur, num videlicet ob maximum, quod inter partes præfatas intercedit consortium, inflammari unquam possit pleura, quin pulmones etiam inflammentur, & contra, affectionem hanc utramque paucis indiscrete describendam ita potius existimavimus: *pleuritis, & peripneumonia* nihil aliud esse videntur, præterquam *inflammatio, quæ vel a pleura ad pulmones prolatatur, vel a pulmonibus ad pleuram; unde febris ardens acuta, dolor, tussis, pectoris angustia, spirandi labor, & reliqua*.

Diagnosis.

Ex dictis igitur patet pleuritidem, item & peripneumoniam manifestam fieri a febre acuta, a difficultate spirandi cum tussi, a dolore partis affectæ, qui quandoque acris est, & pungens, quandoque gravis cum ardore, qui præsertim inspirando exacerbatur in regione thoracis: modo ad dorsum, ad scapulas, necnon etiam ad claviculas ascendens: modo ad hypochondria descendens. Ex quo factum fuisse videtur, ut anteactis non minus, quam nostris sane temporibus tum pleuritis, tum peripneumonia distinguatur in ascendentem, & descendentem. Ascendentem eam dicunt, in qua dolor, quum sit sublimis, partes thoracis supernas affici declarat. Descendentem eam vocant, quæ ex dolore, qui deorsum inclinat, partes thoracis infernas læsas esse, & ipsum diaphragma inflammari designat. Tussis præterea, quoniam modo sicca, modo humida, nonraro cruenta, & quidem saniosa, pleuritidem, & peripneumoniam comitatur, in causa fuit, ut pleuritidem, & peripneumoniam in siccam, humidam, cruentam, & saniosam quispiam distinxerit. Pulsus tum in pleuritide, tum in peripneumonia durus esse solet, & admodum varius. Genæ rubore quodam quandoque suffunduntur. Rubere solent urinæ, & reliqua supervenire symptomata, quæ, die præsertim inclinato, exasperantur. Contingit persæpe, ut præter dolorem, qui aut nullus, aut perquam obtusus in thorace percipitur, reliqua adsint, & quoque graviora; idque, ut opinor, quo-

quoniam tum soli pulmones, quorum substantia prope indolens est, inflammati, aut nullam, aut fere nullam, ratione sensus molestiam moliantur; quo in casu pleuritis, quamvis vulgo dicatur *occulta*, vera peripneumonia potius dicenda foret. Non raro evenit item, ut in parietibus thoracis extimis, si vel tactu explorentur, dolor occurrat, atque augeatur, quod musculos intercostales tum inflammatos esse denotat. Hinc, nisi ulterius, & ad partes interiores proficiscatur inflammatio, pleuritis eo in casu *spuria* nuncupatur, quam talem fore cæterorum symptomatum lenitas palam facere debet.

Causa. Quicquid in tubulis stagnando effervescit, eorum parietes extendit, rarefacit, pungit, ac pene inurit, id omne inflammationem parit: efficit nempe, ut pars affecta intumescat, ac ruborem sibi nacta, dolorem, sive potius ardorem, aut sensum veluti quemdam inustionis, necnon etiam æstus inferat febriles: idest ea omnia suscitat, quæ partes humani corporis viventis actu inflammari commonstrant.

Prognosis. Inflammationes hujusmodi, ratione præsertim affectæ partis, una cum ingenti acutie plurimum habent periculi, & quum vel ante diem quintam ægrotos non semel interficiant, acutorum non modo, verum etiam & peracutorum annumerandæ veniunt generi. Sin autem ulterius producantur, & diem decimam quartam, quin plane solvantur, evaserint, plerumque suppurant; inde abscessus pulmonum, item & empyema. Senibus fere semper lethales; item & iis, quos ter, aut quater pridem invaserint. Tussis sicca, qua videlicet aut nihil, aut prope nihil excernit æger, reliquis una cum febre recrudescentibus symptomatibus, malum. Pessimum vero, quum & febris, & reliqua invalescant symptomata, si dolor omnino sedetur, aut potius stupefiat; id siquidem membranas inflammatas gangrænam subiisse indicat. Pessimum item, si cruentum omnino expuimus, vel ubi quæ expuimus flavescant, & multo magis si nigra sint. Pulsus parvus, crebrior, durus, & præsertim serratus, ex mente Hippocratis, item & Galeni mortem proximam indicant. Cum febre maligna aut numquam, aut fere numquam ex hujusmodi inflammationibus evadunt ægri. Quo dolor, exterior, tametsi acutus sit, percipitur, cæteris paribus, eo melius; quum id aut solos musculos intercostales, aut solam pleuram superficietenus, pulmonibus interioribus illæsis affectam esse significat.

Curatio. Humoribus in tubulis concretis, atque stagnantibus, qui sive pleuritidem, sive peripneumoniam fecerint, foventque, apposite discutiendis, præter optimam in rebus omnibus, quæ ad diætam pertinent, vivendi normam constitutam, quæ profecto ab ea, quam febribus ardentibus extenuandis in superioribus proposuimus, distare neutiquam debet, reliqua omnia tum exteriora, tum interiora, quæ blande movent, quæ diluunt, quæque resolvunt, humectantque in ordinem caute digesta, opportune adhibenda sunt; hæc quippe æstus fluidorum nimios placide cohibent, hæc refrigerant, hæc denique morbosam colluviem eluunt. Hinc alvo enemate prius, si opus fuerit, perquam leniter extersa, nisi tamen materiam cruentam, aut saniosam expuat æger, vena in proximo soluta, sanguis iterum, iterum-

rumque, quum semel non suffecerit, educendus. Fotus subinde emollientes, inunctiones anodynæ, & reliqua e regione doloris sunt adhibenda. Universa interim cuti desricata, eam ventosis postmodum apprehendito, ac in diversas partes, ut fluidorum motus per glandulas minimas, atque effluvia ex spiramentis promoveantur, distrahito. Potiones uberrimas hordeaceas, avenaceas, necnon etiam emulsiones emollientes ex seminibus melonum, papaveris albi, insusiones florum rhœados, violarum, borraginis, hisque similia, tepentia potius, ex nostra sententia, quam frigida potanda frequenter præbeto. Tussim, & præcipue siccam, oleum recens amygdalarum dulcium, seminum melonum, ut & syrupi violarum, altheæ, capillorum veneris, & reliqua cochleatim lambendo deglutita mulcent, una & excreatum movent. Caveto tamen, ne talia prætermodum ingesta alvum laxent, & diarrhœam faciant, quæ plurimam sane in inflammationibus universis noxam moliri pene semper consuevit. At si quid de iis dicendum supersit, id in sequentibus fuse exponam.

Historia I.

Quicquid, pleuritidi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

LUcius adolescens, inter germanos fratres nobilis cujusdam familiæ natu major, annum ætatis vigesimum circiter primum agebat, tum quum mense Martio aere sudo, nivosoque solo, varios in palæstra ludos exercens plurimum sese defatigasset, insudans, æstuans, ac sitiens gelidam inde perbibit. Mox in palæstram iterum profectus easdem laboriosas non ita pridem intermissas exercitationes alacrius aggreditur. Declinat dies, & Lucius noster ex palæstra in atrium quoddam Urbis publicum sese transtulit; ubi varias cum psaltriis ad multam noctem choreas festive ducens, in sudorem uberrimum solvitur, ac viribus destitutus, mente, æque ac animo tandem deliquit. Resipiscens inde, & revalescens in ædes proprias revertitur. Recumbit, ac placide conquiescens, optime se habere, expergefactus postridie, jactitabat. At levi quodam per articulos prævio frigore sub vesperam comprehensus, ardentissima febre postmodum invaditur. Febri, quæ ad diem usque nonam sese produxit, accedunt lateris sinistri dolor acerrimus, permolestus spirandi labor, ac tussis quædam aspera, qua nihil omnino excernebatur. Acriter interim sitiens, vinum impense appetit. Fauces exhaustæ, & lingua plane aresacta maximum in visceribus suscitatum esse incendium indicabant. Pulsum durum, contractumque habet. Urinas perexiguas, ac rubicundas emittit. Ægre recumbit. Intumuerunt præterea genæ, atque ruborem a confluente sanguine impensum sibi nactæ, fluidorum motum in præcordiis retardari abunde declarabant. Hinc alvo enemate ex aqua simplici hordeacea paullulum mellita leniter prius extersa, ac sanguine ad libram circiter ex brachio postmodum antelucanis horis educto, emulsionem hanc A ita, ut insequitur paratam, tepentem large per vices quotidie hauriendam, confecimus. Sub vesperam ægrotantem invisimus, & quoniam morbus magis adhuc invaluerat, alteram sanguinis libram ex brachio lateris adversi procul ab omni cunctatione extraximus. Ad leniendum præterea dolorem, fotus emollientes, atque inunctiones,

nes, quas exposuimus in B, lateri affecto adhibuimus. Sequenti mane, quod diei fuerat morbi tertiæ, ægrotantem nocte præterita placide obdormivisse rescivimus, plurimum insudasse, ac materiam cruentam tussiendo expuisse. Pulsum interea temporis explorantes, molliorem fieri, magisque explicatum adinvenimus. Uberiores, crassioresque, neque adeo inflammatas emiserat urinas. Liberius respirabat; nec dolor ita, uti pridem, acerbe febrientis latus divexabat. Quamobrem, quum res in melius æque omnes processissent, nihil aliud omnino præstitimus, quam ut eisdem emulsionibus, eisdemque fotibus, & inunctionibus, ut eatenus consueverat, uteretur æger. Hac propemodum methodo ad diem usque nonam semper melius se habuit, donec penitus vanescente febre, una cum febre extenuata, reliqua omnia ante diem decimamquartam omnino evanuerunt symptomata.

A ℞. *Sem. melon. unc. ii., pap. alb. unc. ss., aq. hord. lib. ii., m. f. emulf. S. A., & adde mell. bispan. unc. ii., bib. ut m.*

B ℞. *Fol. malv. viol., flor. pap. rhœad. ana. q. s., aq. com. q. s., m. f. decoct. emolliens pro fotu tepenti cum spongiis regioni doloris applicando ut m.*

Item ℞. *Ol. amygd. dulc. lib. j., sperm. cet. drach. ij., camph. scrup. ss., m. pro unctione lateri affecto cum omento vervecino post fotum adhibenda ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid judicandum sit de variis

INter ægritudines, quibus vexamur in terris, nihil est, quod frequentius, quodque vehementius & cum ingenti vitæ periculo in nostris saltem hisce Regionibus nos invadere consuevit, quam ejusmodi inflammationes, quæ visceribus thoracis insidentes aut pleuritidem, aut peripneumoniam faciunt. At enim vero nihil plane nobis adhuc occurrere potuit, quod facilius discutiatur, in corporibus tamen vegetis, bene in reliquis valentibus, neque ad ultimum senium provectis, quam ægritudines præfatæ, quum præter largam, atque opportunam sanguinis missionem morbi principio, uberrimasque potiones processu propinatas, nihil propemodum aliud ad eas resolvendas tentaverimus. Sanguis autem opportune emissus, morbi videlicet principio, & priusquam aut sputus cruentus, aut sanies excreta apparuerit, quemadmodum plurimum semper profuisse nobis hactenus innotuit, ita processu, postquam materiam præfatam excreare cœperit æger, eductus necem quamsæpissime intulit. Cæterum ubi vena bis, ter, & quater soluta haud profecerit, tum antipleuritica intus, & foris adhibere necesse est. Inter hæc præ cæteris magni facere consueverunt Veteres lucii piscis mandibulas, dentes apri, elephantis, cornu cervi, ustum præsertim, & philosophicum, & reliqua hujusmodi, quæ in pollinem redacta, pulveres antipleuritici nuncupantur. Pluris pendunt hodie Recentiores sanguinem leporinum, hircinum, spermaceti, camphoram, olea varia tum ex amygdalis dulcibus, tum ex variis seminibus recens extracta, emulsiones, & decoctiones anodynas, & reliqua omnia opiata. De absorbentibus, sive rebus alkalicis præparatis, atque ad pleuritidem discutiendam propinatis, utpote quæ officere nequeant, non modo æquo finimus animo ut propinentur, verum & ipsi

præsidiis, quæ antipleuritica vocantur.

ipsi libenter quandoque propinavimus; idemque ferme, ratione sanguinis hircini, & leporini, præstamus. De oleis tamen, non secus ac de lambentibus, sive saccharatis, sive mellitis, quemadmodum credimus ea, fauces, musculos, cartilagines, æque ac membranas laryngis, tametsi tracheam neutiquam subirent, emolliendo, tussim lenire, atque excreatum movere ita plurimum quidem vereamur oportet, ne ad intestina delapsa alvi profluvium moveant, & inflammationes adhuc magis exasperent. De opiatis, camphoratis, necnon etiam de spermate ceti ex longævo rerum usu in Praxi medica edoctis, diversa prorsus sentire nobis occurrit; qui inficias ire nequimus, ejusmodi specifica intus ingesta inflammationibus universis tum internis, tum etiam externis, discutiendis, extenuandisqae utplurimum prosuisse; quin, nisi dosis non cohæreat, vel minimum unquam offecerint.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Unde Romæ provenerit inter clinicos in inflammationibus pectoris alvum solvendi abusus.

ANno, ni fallor, reparationis nostræ 1704, mense Martio sub equinotiis, aquilonibus quotidie flantibus, ac frigoribus invalescentibus, quum gelu per aquas præsertim stagnantes longe lateque concresceret, ob labem quamdam ex cuti fortasse stipata contractam, pleuritidis pessimæ specie, nescio an inflammatio, an alia potius morbosa viscerum occulta colluvies, per Urbem grassabatur. Quos ea invasit, sanguis tum ex brachio, tum ex alia qualibet regione eductus confestim aut interficiebat, aut plurimam saltem noxam iis moliebatur. Quibus contra sua, ut ita dicam, sponte alvus solvebatur, ii, multa præsertim bile dejecta, quamsæpissime evadere plane consueverunt. Quod ansam fecit, ut neglecta prorsus eo tempore sanguinis missione, tales affectiones inde alvum solventibus tractandas plures aggressi, eas felicissime extenuarent. Id & alii, & ipsi deinceps cum successu ea tempestate fecimus. Ex eo tempore factum fuisse opinor, ut abusus Clinicorum quorumdam perniciosissimus imposterum invaluerit tum pleuritidi, tum peripneumoniæ catharticis occurrendi; in id tametsi ratio, non minus quam usus, Priscorum, æque ac Recentiorum, passim reclamitet auctoritas. Nos equidem non latet illud, quod inter pleuritidem ascendentem, & descendentem speciosum proferunt discrimen; & nihilosecius eorum haud pudet esse sententiæ, penes quos plurimum hisce in casibus suspectum semper fuit, alvum vel minimum laxare; nam si quandoque ex purgationibus in pleuritide curanda non improspere cesserit, id ex eo unice contigisse arbitramur, quod sordes pravæ cujusdam qualitatis in cavo intestinorum congestæ præter naturam effervescendo, talia progenuerint symptomata, quibus pectoris inflammationes æmulari, mentirique potuerint.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Vesicantium usus in pleuritide non semper damnandus.

VEsicantium, nescio an dicam usus, an potius abusus, ut in reliquis viscerum inflammationibus, ita & in pleuritide improbandus omnino videtur; quem & ipsi

ipsi plane improbamus. Attamen in nos reclamitaret experientia, ubi inficias ire audacter velimus, ea in extremis, & tum maxime, quum excreatu prorsus compresso, aut delirium, aut veternus, aut coma vigil, aut dolor capitis acerrimus superveniens, metastasin ex pulmonibus ad cerebrum factum iri minitetur: ea, inquam, femoribus, cruribusque admota, sudore uberrimo fuso, æque ac urina copiose egesta affectionem quamsæpissime, ad punctum quasi temporis discussisse. Id Romæ potissimum in Nosocomiis tum Sancti Jacobi Incurabilium, tum Hispanorum Urbis, tum Mariæ semper Virginis ejusdem Nationis Montis Serrati, passim evenisse vidimus. Partibus infernis potius quam supernis vesicantia hisce in casibus apponi finimus, ut ea, qua valent, ratione a partibus supernis ad infernas humores peccantes facilius avocent.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit empyema, ejusque Diagnosis, Causa, Prognosis, & Curatio.

NON semel evenisse liquet, ut humor peccans, qui in tubulis stagnando aut pleuritidem, aut peripneumoniam fecerat, in pus conversus, abscessum subinde fecerit; quo disrupto, in cavum thoracis si profluat sanies, ibique congeratur, atque insedeat, tum ea ægritudinis species oritur, quæ proprie *empyema* nuncupatur. *Proprie* dicimus, quum vox ea triplicem apud Medicos passim sibi nacta significatum, quamlibet modo suppurationem, sive quemlibet in abscessum purulentum transitum denotet, quod tum *diapyema*, *diapyesis*, & *diapyon* vocatur; modo pus in ipsa substantia pneumonica collectum, ibique conclusum designet, quod tum *vomica* nuncupatur, modo autem stricte pus effusum in ipso thoracis cavo significet, quod ea infert symptomata, quæ pectoris affectionem procreant, quam hic cum pluribus aliis & nos *empyema* dicendam ducimus. Empyema igitur, penes nos, nihil aliud est, præterquam *pectoris angustia, sive spirandi labor a pure in cavo thoracis effuso, ibique collecto, atque stagnante proveniens*. Empyematis indicia sunt respiratio difficilis, sensus quidam gravitatis molestus, qui diaphragmati quodammodo insidet, febris utplurimum lenta, materia fluctuans in cavo thoracis, genarum rubor, qui hora tertia, vel quarta post pastum præsertim intendi solet &c; in quibus tamen id potissimum animadvertamus oportet, empyema ex præcedentibus maxime dignosci; siquidem pleuritidem, utplurimum, peripneumoniam, anginam, & thoracis vulnera, ictusque validiores, vel contusiones insequitur. Unde extet empyema ex dictis abunde patet. In prognosi hæc in primis adnotanda. Spirandi labor quo major, eo pejor. Si pulsibus languentibus, compressis, ac celerrimis sudores accedant frigidi, aut diarrhœa colliquans, si crebro delinquat animus, necem in proximo versari id semper præcinit; ut quum & incaventur oculi, & livescant, & rubore impense suffundantur genæ, incurventur ungues, & pedes intumescant. Pus, quod fecerit empyema, nonnisi thoracis parietes perforando, *paracentesi* videlicet, educi potest; quod plurimum sane pluribus ex causis habet periculi, & nonnisi vires satis constent, tentandum. In celeberrimo Sancti Jacobi Incurabilium Urbis Nosocomio, cui nos olim tamquam Medicum primarium

marium, O. M. F. R. annuente Pontif. CLEMENTE XI., perquam nobilis ejus loci Antistitum cœtus humanissime præsecerat, bis, empyematicos extrema macie prope confectos, paracentesi ab inclyto Professore Victorio Masini felicissime peracta, curatos vidimus. Alter ad annos plures superstes exinde vixit, & adhuc fortasse vivit. Alterum autem ob varia, quæ Romæ postmodum intentaverat facinora, trireme mulctatum, & munere suo strenue, non minus quam alii remiges diu functum, febre tandem maligna correptum, Centumcellis non ita pridem supremum obiisse diem accepimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit vomica, ejusque diagnosis, Causa, prognosis, & Curatio.

VOmica, in genere licet abscessum significet, ad denotandum tamen unice pulmonum, aut finitimarum partium abscessum passim usurpatur. Qua de re vomicam nobis hic describentibus, dicere non alienum visum est, *pectoris esse angustiam, spirandique laborem, qui a sanie inter membranas aut pulmonum, aut partium finitimarum collecta procedit*. Signa, quorum ope ab aliis affectionibus vomica distinguitur, ab iis, quæ superius pro dignoscendo empyemate proposuimus, non multum differunt. In vomica tamen nec pus fluctuare in cavo percipitur thoracis, nec ponderis quasi diaphragmati incumbentis, ut in empyemate sensus vomicæ inesse solet. Pus in vomica congestum, nisi tussiendo egeratur, aut ægrotum suffocat, aut tabem infert, aut in cavum thoracis delapsum in verum convertitur empyema. Sunt qui per vasa remeare posse id puris in sanguinem opinantur, ac per urinam felicissime postmodum excerni; quod tametsi nobis plane negare haud arrideat, perquam difficile nihilominus id fieri posse arbitramur, quin pus fluida universa prius coinquinet, & œconomiam animalem funditus evertat. Non raro contigisse edocuit usus, vomicam diu in substantia pulmonum delitescentem, mortem tandem repentinam intulisse, quin ullam vel levem ei, quem extinxit, molestiam unquam antea fecerit. Tum empyemati, tum vomicæ tractandæ eadem ferme, quæ de pleuritide non ita pridem innuimus, præter sanguinis missionem, quæ nil aliud, quam extremam perniciem, ex nostra saltem sententia, moliri poterit, conducere videntur. Accidit itidem, ut de Antipatro Medico narrat Galenus (a), ut tuberculo quodam pulmones affecti adhuc crudo, nullum, præterquam quod enormiter arteriæ micent, nullum, inquam, aliud incommodum principio intulerint. Attamen temporis processu vel suppurati, vel majorem in dies sibi nacti labem, aut veram phthisin, aut veram vomicam, aut necem tandem moliuntur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare humores, qui in partibus inflammatis stagnant, facile suppurant.

HUmores, qui in tubulis stagnando consistunt, & inflammationem, sive erysipelas aut intus, aut foris faciunt, nisi mature discutiantur, effervescunt, corrumpuntur, ac omnino immutati pus, aut saniem procreant, quæ abscessus, vel apostemata in-

(a) *Lib. 4. de locis affectis cap. 8.*

generat. Ideo humores, qui diu in tubulis humani corporis vitam habentis stagnant, sanguis præcipue, ideo, inquam, processu temporis æstuant, quia, quum variis non absimilibus congregentur particulis, avolatis, absumptisque tenujoribus, aut oleosis, aut lymphaticis, quæ nimiam, uti superius iterum innuimus, blande compescunt fermentationem, reliquæ, quæ supersunt, acidæ videlicet, & alkalicæ, quum solæ tum propemodum sint, libere coeunt, & fermentando effervescunt. Ex quo fit, ut effervescendo rarefiant, tubulorum parietes extendant, dolorem & febrem exasperent, eo usque dum prorsus immutatæ saniem conficiant. Hinc illud Hippocratis (a) *dum pus conficitur dolor, & febris*. Non aliunde febris exoritur, nisi quod portio quædam puris illius, tenuissima quamvis, tum quum in parte affecta conficitur, a præterlabente sanguine absorpta, sanguinem universum inficit, & febriles æstus succendit.

CAPUT III.

De Hemoptysi.

Definitio. HÆmoptysin dicere, æque est prope, ac *sputum sanguinis* si diceres. Attamen temporibus nostris ea vox ad sanguinis egestionem, quam ex ore citra pectoris inflammationem tussiendo excernimus, denotandam a Clinicis proprie usurpatur. Ex quo fit, ut non alienum videatur, hæmoptysin hic describendo *sanguinis ex ore cum tussi egestionem esse*, proferre *quin viscera thoracis inflammata febrem acutam foveant*; quin viscera, diximus, inflammata febrem acutam foveant, ut per id, quo pleuritis, aut peripneumonia cruenta a vera distet hæmoptysi, designemus.

Diagnosis. Aliis indiciis, præterquam quæ antecedens definitio præsefert, ut prænoscatur hæmoptysis, quæ præsens est, non indigemus; quum res per se oculis, ut ita dicam, obversetur; nam non aliunde, quam ex pulmonibus sanguinem tussiendo emittimus; qui propterea in spumam utplurimum rarefactus, atque vanescens quodammodo educitur. Hæmoptysin autem proximam fore, calor acris, in præcordiis præcipue, sitis insueta, saliva sale plurimo veluti conspersa, quæ fauces titillet, cutis quum prurit universa, & id generis alia prædicere consueverunt.

Causa. Hæmoptysis ex nostra sententia fieri plerumque debet ab humoribus crassis, qui stagnando in tubulis pulmonum ibi concrescunt, acriores fiunt, atque erodentes; quique proinde vasorum parietes exedendo, nil mirum si tussim moveant, ac per tussim si sanguis egeratur, spumans utplurimum ob aerem exspiratum, cum quo excernitur, sibi immixtum. Quinimmo, & sanguis acrior licet non evadat, satis tamen est ad hæmoptysin interdum inducendam, ut meatibus aut infarctis, aut compressis per eos fluere libere nequeat. Tum enim a tergo propulsus, & undequaque exundans, augetur, impetum facit, membranas continentes extendit, prolatat, & oscula vasorum minima aut laxat, aut disrumpit; quod, raro licet, exoriri tamen nonnumquam quoque potest ab eodem sanguine ob nimiam excandescentiam in fermentationibus rarefacto; siquidem æstuans nimis, atque ebulliens fieri potest, ut non semel adeo

(a) *Sect. 2. aphor. 47.*

adeo intumescat, ut vel orificiis tubulorum prolatatis, vel tubulis fractis foras tandem erumpat.

Prognosis. *Sanguis quidem supra qualiscumque fuerit, semper malum.* Hippocrates (a) *Adolescentibus autem sanguinis expuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, aliique, sed præcipue antedicti.* Hippocrates (b). Hinc adolescentibus frequentior esse solet hæmoptysis. Quo major in hæmoptysi erumpit sanguinis copia, eo pejus. Si a mensibus extiterit compressis, in gravidis maxime, citra periculum fere semper esse solet. Criticam nonnumquam hæmoptysin se observasse Clinici, atque atrocissimas per hanc, inveteratasque solutas ægritudines affirmant. Quamsæpissime tamen læthalis est, & nisi repente suffocet, ulcus facit, & phthisin inducit.

Curatio. Ut recte curetur hæmoptysis præter ea, quæ humores concretos blande solvunt, salia eluunt erodentia, sanguinis fervorem nimium cohibent, quæ omnia ita ut in febre hectica eradicanda proposuimus, propinare hic convenit, vena iterum iterumque, plethoricis præsertim, aliisque, quibus cruentæ excretiones consuetæ suppressæ hæmoptysin intulerint, solvenda est. Victus humidus sit, tenuis, non tenuissimus, inedia quippe hæmoptysin sola quandoque moliri potuit. Num autem sanguis, qui ex pulmonibus expuitur, adstringentibus comprimi possit, & num conveniat, id infra exponere aggrediar.

Historia II.

Quicquid, hæmoptysi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

Quicquid, hæmoptysi meden- POmpilius sexaginta circiter ab illinc annos natus, Jurisconsultus, temperamentum calidum, & siccum, biliosum videlicet præferens, modicæ staturæ, habitus gracilis, permulti postquam in omnibus, ratione valetudinis, errores ab ineunte ætate præcesserant, podagra, febre, ophtalmia, aliisque variis perincommodis affectibus tum animi, tum corporis vicissim tentatus, mense Decembri Anni proximi devoluti noctu febri corripitur, anxius evadit, & multum sanguinis tussiendo expuere cœpit. Sanguis erat purus, floridus, ac spumans. Facile tamen exinde respirabat, nec ullum vel levem intus in thorace dolorem percipiebat; &, febre brevi penitus extincta, pulsus nec male quidem se habebat. Sanguinem statim ex pede ad libram educi jussimus; & quoniam podagra, quæ eatenus ad id temporis recurrere consueverat, nondum tum redierat, ut ea, qua ratione id fieri potuisset, revocaretur, sotus ad pedes frequentissime, licet incassum, admoti sunt. At eoquod sanguis adhuc, ut antea expuebatur, & tussis invaluerat, enemate simplici prius indito, ut altera sanguinis libra, ano hirudinibus admotis, profluaret, effecimus, quo hæmoptysin illico compressimus. Victum interim idoneum ei præscripsimus; vinique usu plane interdicto, nil aliud præter aquam aut nucerinam frigidiusculam, aut hordeaceam, sive avenaceam, aut ita ut legitur in A, paratam hauriebat. Jusculum insuper B alteratum in Aurora quotidie sumendum ei confecimus, atque ad usum lactis asinini subinde, ita ut legitur in C, confugimus. At enim vero, quia die inclinato, faucibus exhaustis, plurimum sitire consueverat, & tussis exasperabatur, ideo emulsionem hanc D sub vesperam identidem potabat. Ab usu lactis præfati asinini diebus

(a) *Sect.4. aph.25.*

(b) *Sect.3. aph.29.*

bus quindecim vix exactis, alvum quippe laxaverat, prorsus destitit; & pro lacte decoctionem E vulnerariam, antiscorbuticam, ad labem quoque celticam, quam ab ineunte ætate contraxerat, eluendam ei præbuimus. Res semper in melius ad mensem usque Junium processerat. Verum quum, uti prius excretio inde cruenta rediisset, sanguine iterum imminuto, usum lactis denuo, ut antea proposuimus. Sanguis eductus hæmoptysin illico cohibuit. Et lac post dies decem circiter alvum iterum laxavit. Quamobrem decoctionem hanc B denuo ut supra præscripsimus, ac tandem, ut tempore opportuno aquam nucerinam tum intus large haustam, tum foris in balneis prope fontem ipsum sibi adhibuisset, hortati, futurum ut omnino convalesceret, senex licet, non desperavimus.

A ℞. *Rad. chin. drach. ii., glycirrhyz. drach. j., cinnam. opt. scrup. j., hord. mund., & elix. unc. j., aq. nuc. libr. iv., m. f. inf. cin. calid. per hor. xii. circit., bull. levit. col. pro potu quotidian. ut m.*

B ℞. *Rad. chin. drach. i., guam., altea ana pug. i. aqu. nucer. q. s., m. f. inf. sec. Art. cin. col., & adde cancrum fluviat. cont. bull., & adde folior. beder. terrest., pimpinel., flor. borrag., viol. ana pug. j. decoq. S. A., col. & cap. in Aur. ut m. per dies xv. circiter.*

C ℞. *Rad. chin. drach. ii. aq. nuc. libr. ss., m. f. infus., & macer. S. A. bull. lento igne carbonum ad consumptionem aquæ unciar. iv., col. & f. expres., & adde lact. asin. recent. un. viii. margar. præp. drach. ii. cap. in A. ut m.*

D ℞. *Sem. melon. unc. i., pap. alb. drach. ii., aq. nucer. q. s., m. f. emuls. S. A., & adde terr. nucer. in poll. redactæ drach. j. syr. de ros. siccis unc. j., cap. sub. vesperam ut m.*

E ℞. *Rad. chin. drach. i. glycirrhyz. drach. ss., cinnam. opt. scrup. ss., aq. nucer. q. s., m. f. inf., & macer. S. A., bull., & adde fol. cochleariæ, pimpinell., nasturt. aquat. beder. terrest. ana pug. i., decoq. S. A., colet., & adde sarsaparill. opt. in pollin. S. A. redact., ocul. cancror. præp. ana drach. j., cap. ut monit.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Exponuntur indicia, quibus, unde profluat, qui ex ore excernitur sanguis, dignoscatur.

SAnguinem tussiendo nonnisi per tracheam ex bronchiis excernimus. Ex ventriculo per œsophagum eumdem sanguinem nonnisi evomendo ejicimus. Quum a faucibus, partibusque proximis extillat, tum excreando sine tussi, ac sine vomitu emittitur. Si a partibus supernis in oris cavum profluat, aut proprio ex eodem ore inclinato defluit pondere, & sine tussi, & sine vomitu blande expuitur. Attamen deglutitus quandoque, in stomacho cum alimentis solvitur, ac per alvum, una cum fæcibus dejicitur, aut in in eodem stomacho cumulatus is quoque vomitum provocat, atque eructatur. Contingere itidem potest, raro quamvis, ut cum aere inspirato ad guttas aliquot in tracheam fortuito illapsus, tussim moveat, & una cum tussi tum extrudatur. Ea omnia animadvertere, ac sedulo perquirere opus est, ut probe ex quanam parte profluat sanguis, qui ex ore excernitur dignoscamus, quum id Tyronibus præsertim quamsæpissime imponat.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Hæmorrhagia nequaquam ab humoribus tenuibus, sed a crassis potius fit.

VEtus opinio fuit, quæ, penes saltem imperitos, imposterum invaluit, cruentas profusiones non modo in hæmoptysi, verum & in reliquis sanguinis excretionibus universis, quæ sponte, ut ita dicam, sua, præter naturam erumpunt, a nimia fluidorum tenuitate, qua tubulos minimos facile subeunt, exoriri; id pluribus licet ex causis erroris redargui possit, quum humores, qui tenues sunt, & qui per organa libere proinde fluunt, refluuntque, nec talem, & tantam unquam sibi comparare poterunt acrimoniam, ut vasorum membranas exedant; nec tali, ac tanto impetu ad latera exundaret, ut tubulorum parietibus fractis effundantur. Acrimoniam haudquaquam comparare sibi poterunt; experientia quippe abunde hactenus docuit, eos stagnando solum in corpore humano vivente acriores fieri. Neque ad latera vasorum impetum facere iis datum erit, nisi meatibus aut obstructis, aut compressis, motus eorum progressionis præcludatur. Nonne sensibus id quotidie percipimus in artefactis aquæ ductibus, qui tum solum fatiscentes rimas faciunt, quum sordes limosæ in meatibus congestæ assurgunt, ac profluentibus aquis obices nectunt? Præterea hæmorrhagiæ, sive ex supernis, sive ex infernis partibus profluat sanguis, frequentius obnoxii sunt ii, quibus viscera manifeste obstructa sanguinem libere non admittunt; qui propterea retrocedens impetum facit, & valvulis renitentibus, aut varices, aut aneurysmata, aut sanguiferorum apertiones inducit. Perperam igitur sibi consulere videtur, qui ut sanguinis sputum, quo laborat, sibi coerceat, & ut morbi causam subripiat, rebus crassis, & glutinosis vescitur, quibus viscera magis magisque infarcit, & morbum potius exasperat, confirmatque.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTYCEN SPECTANTES.

Lac ingestum humores humani corporis viventis tenuiores facit.

QUoniam lactis usus maciem in tabidis extenuat, & quoniam qui prius aut phthisi, aut hæmoptysi contabescebat, victu lacteo probe, ac diu ingesto, carnem, æque ac adipem mirifice sibi non semel induxit; ex hoc factum fuisse videtur, ut ea insurrexerit vulgata opinio, qua plerique sibi suadent, lac hisce in casibus ideo propinari, quia humoribus subtilioribus, qui tabem ex eorum sententia faciunt, crassitudinem quamdam impertitur. Hinc profecto incrassandi, impinguandique facultatem lacti adscribere perperam consueverunt. Quod, reperto sanguinis, aliorumque fluidorum per organa corporis motu, quantum sapiat ridiculi, quæso advertite. Ideo chylus, sive alius quivis succus alendo inserviens, in alimoniam partium alendarum apponitur, & cedit, quoniam una cum eodem sanguine, aliisque humoribus per eas in gyrum libere convertitur, earum minima ingreditur vascula, tubulorum parietes blande impellit, membranarum, sive potius fibrarum perquam exilia explicat stamina, minimas distrahit intercapedines, ea demum sese movendo sibi cudit interstitia,

tia, sive spatiola, quibus coaptatus intus inhæret, & concretus, atque infixus in substantiam solidam sensim cedit. Id igitur eo melius perficitur, quo facilius humores per tubulos transeunt, & per minima partium spiramenta sese ingerunt. Quo posito id operis absolvi perquam difficile fore quis non videt, nisi tenues sint, & adeo mobiles humores, qui per vasa fluunt, & refluunt, ut dirimi, effundi, & quaquaversum pervagari, extricarique possint? Ex quo inferre debemus, lac ingestum id neutiquam consequi posse, nisi, tenuiores potius, quam crassiores humores, cum quibus in vasis corporis humani viventis immiscetur, faceret. Enim vero lac profecto quid aliud est, & præsertim aut asininum, aut caprillum, aut ovillum, aut bovillum, quibus præ cæteris in clinice utimur? Quid aliud est profecto, nisi succus quidam perquam tenuis, defœcatissimus, qui ab alimentis, utplurimum herbidis, in visceribus animalium educitur, extenuatur, subigitur, depuratur, atque in mammis secernitur? Qui propterea nonnisi infantibus, ac pueris tenellis, qui tenuissima tum egent alimonia, in refectionem unice propinatur. Si lacti acidum immisceas, lac utique concrescet. Lippis, & tonsoribus notum est; nec rem tam notam & ipsi ignoramus. Id autem in corpore humano vivente raro admodum evenit, & ubi evenerit, universam œconomiam animalem evertendo, morbos inveteratos evincere minime potuit; quin & novos, item & maximos tamquam venenum propinatum procreare valuit. Quamobrem Ettmullerus (a): *uti lac rite digestum optimum nutrimentum, & subinde suavissimum medicamentum solet existere; sic hoc ipsum in stomacho quoquo modo corruptum pessimi veneni naturam assumit*, & alibi (b): *lac corrumpitur facile coagulando &c.*

De usu lactis Animadversiones nonnullæ practicæ.

Quia lac rerum, quibus vescitur animal, in quo conficitur, naturam, atque indolem plurimum sapit, ideo eo melius in usum medicum censendum, quo salubriora sunt alimenta, quibus utitur idem animal, unde educitur. Ea res item effecit, ut morbis nonnullis magis idoneum videatur asininum, nonnullis aliis caprinum, quibusdam ovillum, aliis bovillum, nec non & muliebre, de quibus si quis plura desideret, ante alios Morellum, item & Ettmullerum adeat. Lacte ingesto, ne dormiant ægrotantes, suadet Morellus, neve corpus validius exerceant. Quod ad secundam attinet partem, præceptum Auctoris improbandum minime censemus; quod autem ad primam æquo animo sinimus, ut ad horam saltem placide dormiant, quo lac in visceribus digestionem commodius inchoare queat, & subactum ductus chyliferos facilius inde subeat.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid credendum sit de arcanis, quæ hæmoptysin vulgo sistere creduntur.

INter ea, quæ tamquam arcana, & specifica præsidia medica, sanguini in hæmoptysi sistendo perquam idonea prædicant Clinici, non infimum sane temporibus nostris in Italia præsertim, sibi vindicat locum fungus, qui ex insula Melitensi ad nos transf-

(a) *Coll. Pharm. in Schrod. Zool. Class. prima de animal.*

(b) *In Hygien. de san. confero. capite unico.*

transvectus, in pollinem redactus, aut infusus, aut confectus, aut aliter paratus, hæmoptoicis quotidie præbetur. Fungus is, qui ex Regione, unde provenit *melitensis* dicitur, saporem subsalsum, & nonnihil austerum gustui præsefert; aquam marinam plurimum porro sapit. Ad drachmam unam, & ultra in substantia citra noxam, quantum hactenus nobis innotuit, saltem manifestam ingeritur. Num autem sanguinem ex pulmonibus profluentem cohibere valeat, nec ne, rem perquam arduam fore, cuique qui id decernere aggreditur, existimamus. Id tamen certo scimus, perquam difficile semper fuisse, iis, qui anatomen callent, rem hanc persuadere. At si, ut fungus præfatus in hæmoptysi præbeatur quandoque, sinimus, id est profecto, quoniam nullam, vel levem noxam ab eo percipi autumamus. Reliquum, ubi effectum, quem ei adscribere solent, præstaret: videlicet ubi sanguinem revera in tubulis pneumonicis coerceret, perniciem porro plurimam, ex nostra sententia, intus moliri posset; sanguis quippe ita concretus, atque in tubulis stagnans, aut inflammationem, aut Vomicam, aut ulcus induceret. Quod multo magis metuendum esse censemus ex usu specifici Helvetii, cujus formula legitur in A, aliarumque rerum, quæ, utpote vel austeræ, vel acidæ sunt, vim adstringendi plurimum sane exercent. De reliquis, de iis maxime, quæ sympathice, ut vulgo creditur, agunt, quæque inter anilia figmenta jamdudum recensuimus, nihil est, quod plura dicamus, mulierculis interim, ut de nugis hujusmodi serio fabulentur, copiam lubenti animo facientes.

A ℞. *Alum. rupei purificat. unc. i. In pulver. redigatur. Fundatur in vase argenteo. Addatur sang. draconis in pulv. redact. unc. ss., misce omnia ad ignem lenem carbonum. Exinde ab igne amoveatur, & exagitetur usque dum concrescat ita, ut reformari possit in pillulas.*

CAPUT IV.

De Phthisi.

Phthisis, nominis vim unice intuentibus, nihil aliud, quam tabem sonat. Eam describentes, *febrem lentam cum tussi, sputo cruento, purulentoque ab humore acri, atque erodenti, a sanie nimirum productam, & fotam, quæ in ulcere sit pulmonum*, protulerunt Veteres; *quæque proinde membra corporis universa absumit, extenuatque*; quo a Recentioribus discrepare minime videntur; qui *tabem esse* affirmant, *sive maciem corporis humani vitam habentis universam; quæ producitur a sanie in ulcere pulmonum collecta, atque ab humoribus in gyrum præterlabentibus absorpta cum febre lenta, tussi, ac sputo sive cruento, purulentove*. Quoniam autem ea simptomata, nisi omnia, pleraque saltem, exoriri quoque possunt a pure, quod in aliis tum foris, tum intus ulcere afflictis conficitur partibus, atque educatur, varia, pulmonibus ulcere intactis, extant phthisis genera; quæ propterea phthisis imperfectæ, aut spuriæ, aut nothæ vocare alienum non erit. Definitio.

Phthisis veræ indicia potissima sunt macies, febris hectica, tussis, excretio per os cruenta, item & purulenta, respiratio ut plurimum non facilis, genarum rubor, & reliqua, quæ febrem he- Diagnosis.

hecticam comitari solent, de quibus propterea sermonem jam ante habuimus. In phthisi notha præter cruentas, & purulentas excretiones, quæ desunt, & præter tussim, quæ tamen interdum vel in eo phthisis genere ob acrem fluidorum indolem excitatur, alia, quæ in vera phthisi occurrunt, obversari solent symptomata.

Causa. Quum phthisin fieri ob labem, quam ab ulcere sordido purulentam contraxit sanguis, ante jam diximus; certum est, febrem hecticam, quæ phthisin comitatur, tussim, excreatus cruore, & sanie luridos, ac sœdos, maciem universam, & reliqua in phthisi, per id puris produci, quod ulceri inhæret, atque absorptum universos coinquinat humores.

Prognosis. Ratione prognosis, ut febris hectica, ita & phthisis inter affectiones chronicas pervicacissimas, æque ac lethales connumerari jure meretur, & ut vel in exordio quamdifficile solvitur, ita processu temporis prorsus insanabilis evadit, tum maxime, quum vera sit: procedens nimirum ab ulcere, quod pulmonibus, quorum substantia mollis, ac rara est, insideat. Pulmones insuper quippe qui aerem indefinenter respirando immittunt, emittuntque & qui propterea vicissim intumescunt, & detumescunt, idest contrahuntur, & explicantur, ulcere semel exesi, perquam difficile cicatricem subinde inducunt. Cæterum nausea, hypochondriis intumescentibus, in phthisi mala. Pessimum est delirium, sudores liquantes, urina crassa, oleosa, aut pinguis, alvi profluvium, animi frequens deliquium, convulsiones, aut motus spasmodici certissima proximæ mortis perhibent indicia; non secus ac rancedo, crines, qui defluunt, pedes tumidi, & squalens facies, quæ dicitur *hipocratica*; quæ omnia phthisi contabescentibus necem imminentem portendunt. Phthisis, quæ ab Avis in posteros effunditur, quæ propterea *hæreditaria*, vel *avita* nuncupatur, curationem omnem respuit, item & quæ altas jam egerit radices. Quum puris per os egestio in vera phthisi supprimitur, id mortem propediem accersit.

Curatio. Ea propemodum omnia, quæ ad febrem hecticam eradicandam in superioribus proposuimus, pro curatione phthisis convenire videntur. Ulceribus interioribus curandis conducunt præ cæteris terebinthinata, & reliqua omnia, quæ balsamo, sive uligine quadam pingui, ac volatiliori pollent; quæ tamen leniora sint necesse est, ne febrem exasperent, & ægrotum citius interimant. Quamobrem tutiores ducimus decoctiones vulnerarias ex foliis hederæ terrestris, pimpinellæ, hyperici, primulæveris, infusiones ex radicibus chinæ, cannarum montanarum, tragopogonos, item & expressiones hisque similibus, de quibus omnibus in historia, item & in animadversionibus, quæ insequuntur, fuse dicendum.

Historia III.

Quicquid, phthisi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

HErophilus nobilis adolescens Pedemontanus, postquam oblectandi animi causa varia in plagas longinquas suscepta confecerit itinera, Romæ diu commoratus ad litterarum studia perdite, prope dicam, convertitur, Temperamentum illius ad calidum, & humidum vergebat, ac plurimo scatens sanguine, venustus, florens, hilaris, affabilis,

lis, pacatus, & cuique gratus tum in conviviis, tum in negotiis, tum in reliquis sese præstabat. Lacertosus erat, optime constitutus, ac bene valens. Mense Januario, tum quum, aquilonibus flantibus, rigore propemodum extremo hyems maxime algebat, hæmoptysi per noctem tentatur. Cruor ad libram circiter per vices egestus, spumeus fuit, qui vena in pede soluta tandem restitit. Exinde de dolore quodam obtuso, qui ex imo pectore per universum thoracem, ut dictitabat, effundebatur, conqueri cœpit. Exiguo post leniter febriens, acriter tussit. Tussis sicca est principio. Mox materiam perexiguam pituitosam, sanguine leviter tinctam, tussiendo excernit. Res postmodum ita ingravescunt, ut diebus quindecim exactis, Clinico non inexperto sese tractandum commisit; omnia quippe præter sanguinis missionem prorsus æger antea neglexerat. Trigesimum ætatis nondum compleverat annum. Opipare vesci quotidie solitus fuerat. Vino numquam, præsertim itinerando, pepercit. In aliis temperans, moderatus, ac continens eatenus vixerat. Professor, qui Herophilum, ingravescente morbo, ut ante jam diximus, curandum suscepit, sanguinem adhuc redundare conjiciens, vena iterum, atque iterum soluta, ut is vicissim imminueretur, effecit; & vini usu omnino interdicto, aquam nucerianam pro potu in usum quotidianum substituit; curans interim, ut victu congruo opportune medicato uteretur. At nihilosecius, rebus in pejus semper cedentibus, tussis prætermodum exasperatur, & cruenta cum sanie immixta per tussim quotidie demum excernit. In eo rerum statu, mense Aprili ejusdem anni, accersiti, phthisin in Herophilo jam multum processisse cognovimus; calor enim febrilis post pastum intendebatur; genæ impensius rubebant, & difficilius respirabat. Urinæ tamen, sudores, alvique sordes ad id temporis numquam præter naturam egesserat. Quia autem noctes irrequietas utplurimum traduxerat, potionem hanc blande soporiferam, una & vulnerariam, atque expectorantem per destillationem in B. M., ut exponitur in A, elicitam ei quotidie sumendam procul ab omni cunctatione præscripsimus; qua postquam ad dies 40. circiter, ea pariter, ut legitur in A, ratione usus fuit, multo melius se habere sensit; febris enim longe mitior inde fuit, minor respirandi labor, atque excretiones tum cruore, tum sanie multo minus quam antea sordebant. Victus, quo, permittentibus nobis, bis in die vescebatur, tenuis erat, humectans, concoctuque facilis, haud plane insulsus, ex ferculis ut plurimum panis optimi triticei in jure simplici vitulino, cum cancris fluviatilibus elixati. Pro potu, nihil aliud bibebat, quam aut aquam nucerianam, aut mulsam, ita, ut præscribitur in B. Quoniam igitur tali methodo res optime hucusque processerant, ut eadem prorsus methodo ad alios dies 40. prosequeretur æger, effecimus; quo & febrem hecticam, & sputum purulentum, cruentumque, & pectoris angustias tandem evicimus. Quicquid mali adhuc supererat, ingens erat virium languor, macies universa, ac tussicula quædam sicca, quæ præsertim decedente die, ad horam circiter, & ultra ei perquam molesta suscitabatur: indicium evi-

evidens, humoribus plurimam acrimoniam etiam inesse; quam postremo extenuavimus balneis aquæ dulcis, aqua nucerina large epota, ac lactis usu caprini cum melle hispano, & decoctione radicis chinæ ita, ut legitur in C, parati, quod ad mensem integrum Octobris in montanis agrestibus, aere puro, ventilatoque, salubriori videlicet, ad reserandas viscerum, quæ supererant non minimæ obstructiones, propinavimus; potestatem interim facientes, ut a lacte sumpto hora circiter elapsa; chocolatam quotidie sorberet.

A ℞. *Flor. rhœad., fol. heder. terrest., viol., pimpin., rad. gramin. ana libr. j., m., contund., f f. expres. S. A., & adde ser. capr. lib. viii., cancr. fluviat. contus. num. x., destil. per B. M. S. ℞.*

Item ℞. Rad. opt. chin. drach ii., glycirrhiz. drac. ss. cinnam. opt. scrup. ss., aq. commun. unc. iv., m., f. inf., & macer. cin. calid. per hor. xii. circit., f. for. express. & adde prædicti destillati libr. ss., cap. quotid. hor. med.

B ℞. *Rad. opt. chin. drac. ii. cinnnam. opt. scrup. ss., hord. mundat., & elixat. unc. ii. aq. nucer. lib. iv., m., f. inf., & macer. S. A. per noctem cin. calid., bull. levit., & adde mell. hispan. q. s. ad gr. sap., despum. S. A., colet. pro potu quotid. ut m.*

C ℞. *Rad. opt. chin. drac. j. aq. commun. unc. iii, m., f. inf., & mac. S. A., bull. ad consumpt. aquæ unciæ unius, f. f. express. & adde lact. cap. rec. libr. ss., & mell. hispan. opt. unc. i. cap. quotid. in Aur. ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Victus crassus in phthisi, atque hæmoptysi curandis prorsus damnatur.

TEstudines, limaces, ranæ, & id generis reliqua, quibus incrassandi facultas vulgo adscribitur; quæque profecto ingesta, ejusmodi facultatem exercent, viscerum obstructiones faciunt, atque adeo tum phthisin, tum hæmoptysin, uti ex ante jam dictis patet, fovere potius deberent, quam resolvere. Hinc talis victus, affectionibus præfatis extirpandis, non injuria nobis impar plane videtur, quem omnino hisce in casibus improbandum proinde ducimus. Idem ferme de gelatinis, quæ in eumdem propinantur finem rati, eas prorsus hic damnamus. Verum si ad fauces leniendas, quum earum asperitas raucedinem potissimum induxerit, gelatina cornu cervi nos quoque interdum utimur, id utique præstamus, quia cor. cervi, volatilioribus, quas habet, particulis, gelatinæ ex eo confectæ uliginem quamdam volatilem impertitur, qua humectat, resolvit, blande movet &c. At enim vero ubi cum aliis rebus ante memorata glutinosa edulia distillentur, quicquid distillando ex iis elicitur, ideo, ut propinetur quandoque non repugnamus, quia humor ille perquam tenuis per distillationem eo in casu eductus, alios ex nostra sententia ab iis, quos præstare possunt res ipsæ, unde educitur, valde dissimiles præstat effectus; siquidem gluten illud visceribus noxium, extenuatum jam, desœcatum, ac per distillationem prorsus immutatum demiserit. Quæ, respectu phthisis, & hæmoptysis, de victu glutinoso hactenus innuimus, & de aere crassiori dicendum ducimus; siquidem aer montanus, perquam tenuis, impiger, exagitatus, & purus, ejusmodi affectiones etiamsi pervicacissimas, funditus non semel substulisse vidimus. Jacobo Sini-

Sinibaldo eruditissimo viro, ac inter Urbis Consiliarios Archiatros Collega nostri amantissimo, quem jam senescentem non ita pridem apoplexia intersecit, ter contigit, ut vigente ætate hæmoptisi iterum iterumque tentatus, ac prope deploratus, in aerem Montis Lionissæ sublimiorem profectus, præter omnium spem optime semper convaluerit. Inficiari tamen nequaquam aggredimur, aerem marinum, hyeme præsertim, phthisicis plurimum contulisse; utpote qui vaporibus quibusdam salinis balsaminis saturatus, atque inspirando crebro per tracheam immissus, & ulcera pulmonum extergere, & labem fluidorum intus contractam expungere valuit. Idem sane tum aer Tiburtinus, tum reliqui etiam longe inferiores, non quoniam crassi, cœnosique sunt, verum ob balsamum quoddam, quo scatent sulphurato, præstare potuerunt.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid judicandum sit de radicibus cannarum montanarum, & tragopogonos, ratione radicis chinæ.

RAdicis chinæ succedaneas fore cannarum montanarum radices olim existimabant. Radices tragopogonos, vulgo barbæ hirci, hodie Clinicorum nonnulli, nostris saltem Regionibus, existimant. Num id revera sit nec ne, tametsi constare luculenter nobis hactenus numquam potuerit; attamen quoniam ex longævo stirpium istarum usu, eas sine noxa saltem manifesta propinari posse percepimus, ut pro radice ejusdem chinæ, tum præcipue, quum radix chinæ notas perfectionis optimas non præseferat, cannarum prædictarum, item & tragopogonos radices in Praxi medica passim usurpentur, damus, concedimusque libenter. Enim vero ex radicibus prædictis, & præcipue tragopogonos, nescio quid uliginis lacteæ, balsaminæque exprimitur; quod visceribus nostris cum fluidis insusum, immixtumque, eorum acrimoniæ leniendæ, infringendæque apprime conducit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quicquid judicandum sit de usu chocolatæ, caffe, & the.

HEcticæ in exordio præsertim radicitus evellendæ optimæ chocolatæ usum perquam idoneum fuisse, Romæ potissimum, non semel experti sumus; quod ut hic perpauca de chocolatæ conditionibus, ac facultatibus, ratione Praxis medicæ, proferamus ansam fecit. Res, quibus chocolata conflatur, lippis, & tonsoribus hodie notum est, *cacao* nimirum, *vainiglia*, *cinnamomum*, ac *saccharum* esse, ea tamen lege, ac dosi paratas, atque immixtas, ut ex iis tertium quid consurgat, quod si aqua fervente solutum exagites, spumat, atque ita spumans si sorbillando, jejunis potissimum faucibus, deglutiatur, gustum non insuaviter titillat, vires recreat, ac viscera roborat. De tali condito, sive mixto, qui non ita pridem scripserunt, tametsi ratione effectus, quos in nobis præstare valet, aliter alii, atque alii senserint, nostra tamen opinio est, a qua, longævo usu ducti, decedere nequaquam possumus; nostra, inquam, opinio est, chocolatam, modo perfecta sit, ac recte parata, rem esse balsaminam, balsamo sanguinis valdè homogeneam; quæ proinde sobrie, nec im-

importune hausta nimiam fluidorum temperet acrimoniam, eorumque nutriendi facultatem eliciat, augeatque. Quocirca optimo semper cum successu eam in morbis chronicis potissimum, qui aut maciem summam moliti fuerint, aut vires perfregerint, aut ulcera intus pepererint, propinare passim consuevimus; modo tamen ab ægroto appetatur, neque is valde febrire percipiatur. In febribus enim ardentibus calefacit, & ubi eam æger fastidiverit, noxam utplurimum intulit. Cæterum balsamum illud, sive sulphur volatile, sive butyrum, quo pollet optima chocolata, longe melius, ex nostra sententia, ad labem morbosam in phthisicis delendam conducit, quam balsamum quodvis aut peruvianum, aut copoive, aut terebinthum, & reliqua, quæ hisce in casibus adhibentur. Cum lacte plurimum cohæret. Abstemiis admodum confert. Oenopotis contra, atque iis, qui opipare vescuntur, frequentissime nocet; ut & aliis, qui dapibus aromaticis, aliisque calidioribus vescuntur eduliis. Hæc propemodum sunt, quæ de usu, atque abusu chocolatæ, observationibus practicis innixi paucis hactenus expedire valuimus. At quoniam de sorbitionibus ejusmodi, quæ quasi serventes sorbilantur, & quarum penes nos equidem Italos non ita pridem invaluit usus, incidit oratio; quid de facultatibus *the*, necnon etiam *caffe* ipse sentiam, perfunctorie saltem proferre abs re non omnino videtur. Decoctio caffe æstuans de more epota, sub vesperam potissimum procul a pastu, mihi, qui raro admodum ei indulgeo, & tum utplurimum tantum indulgeo, quum caput pergravatum moleste fero, eam gravedinem illico discutit, alacritatem quamdam in rebus agendis jucundam fovet, urinam provocat, & propensionem, si adsit, in somnum adimit. Idem propemodum a decoctione the, tametsi non æque grata, percipere soleo. Attamen diutinæ experientiæ manifeste contradicerem, si decoctionem caffe prætermodum epotam, utpote quæ paralysin, tremores spasmodicos, permolestum temporum, æque ac cervicis contractionis sensum, adustis præsertim, ac biliosis quamsæpissime pepererit, nervis infensam fore, inficias ire contenderem. Hoc de usu the plane affirmare nondum mihi datum est, quem proinde nervoso generi non adeo inimicum hucusque existimo.

CAPUT V.

De Asthmate.

Definitio.

ASthma idem est, pene quam si anhelationem, si crebrum, ac permolestum anhelitum dixeris. Id morbi genus accuratius describendo, *respirandi laborem esse* proferre possumus, *sive respirationem difficilem, frequentem, gravem, cum sibilo, vel sonitu, necnon etiam quandoque cum tussi ob pectoris, sive, ut melius dicam, ob bronchiorum angustiam.* Quoniam autem in asthmate respirandi labor modo major, modo minor percipitur, modo anhelitus major, modo minor in asthmate emergit, ex hoc factum fuisse videtur, ut asthmatis apud Clinicos triplex extiterit genus: *dyspnœa* nimirum, *asthma*, *orthopnœa*. Tum quum anhelitus adeo remisse in asthmate educitur, ut sensibus vix excipiatur, dicitur dyspnœa. Tum quum sonitum val-

valde manifestum sibilando pulmones edunt, asthma vocatur. Ubi spirandi labor adeo ingravescat, ut nonnisi erecta cervice spiritum ducere queat asthmaticus, tum ejusmodi asthmatis speciem orthopnœam nuncupare clinici consueverunt. Ex quibus liquet, talia asthmatis genera, sive species gradibus tantum, idest secundum magis, & minus dumtaxat differre.

Diagnosis. Indicia, quæ asthmaticis paroxysmos imminere portendunt, sunt pectoris gravitas, spirandi labor, qui major fieri solet incedendo, & tum præcipue, quum per acclivia properet æger incessus, raucedo, & tussis repente superveniens, item & flatus, qui per hypochondria vagantur; hæc quippe omnia in assuetis asthmaticas accessiones anteire solent. At quum invaserit, quæ in definitione, & divisione mox innuimus, indicare abunde poterunt.

Causa. Causæ, quæ asthma procreare valent, plures occurrunt, & variis in locis agere possunt: lædere quippe proxime possunt pulmones, eosque lædere remote; lædendo nimirum tum in pulmonibus, tum extra, partes adjacentes, & musculos maxime respirando inservientes. Proxime lædunt pulmones, si pituita ex. gr. crassa, glutinosaque substantiam pneumonicam infarciat, aut bronchia; si serum, aut lympha exuberans, aut sanguis ipse redundans, pulmonum tubulos nimis extendat, atque adeo vesiculas pneumonicas angustiores faciat &c.. Pulmones remote lædunt, ubi humor peccans musculos thoracis afficit, quos aut convellit, aut specie quadam paralysis stupefacit. Non raro ex mala thoracis conformatione veluti organicum consurgit asthma. Interdum abdominis viscera obstructa, vel ob molem prætermodum adauctam, quæ, diaphragmate proinde sublevato, thoracis cavum occupant; vel ob adauctam gravitatem, deorsum nimis eodem diaphragmate adducto, thoracis capacitatem constringendo, asthma producunt. Præterea item fieri quandoque potuit, ut lympha ex tubulis in proximo effusis in idem thoracis cavum exudans, ibique collecta speciem quamdam asthmatis procreaverit, quod *pectoris hydrops* nuncupatur, & de quo ex professo inferius. Tussis, quæ asthma comitari utplurimum solet, ob causas varias, quibus excitatur, varios quoque producit effectus. Modo enim fit cum excreatu, modo, quin aliquid vel minimum excernatur, pulmones concutit; quod tum maxime contingit, quum ea tussis ab humore quodam perquam tenui procedat, qui nervos irritando pectoris creberrimas convulsiones excitat: pulmones nimirum, aut thoracis parietes convellendo identidem contrahit. Unde asthmatis alia exorta est distinctio, qua asthma *humidum* differt a *sicco*. Humidum dicitur, ubi asthmaticus aliquam materiam tussiendo egerit. Ubi vero aut non tussit, aut tussiendo, vel nihil omnino, vel nihil propemodum excernit, asthma dicitur siccum; quod autem quum utplurimum evenire soleat tum, quum asthma a contractione quadam convulsiva procedat, hinc fit, ut id asthmatis genus passim *convulsivum* vocitetur.

Prognosis. Asthma, prout ipsa nos semper docuit experientia, est affectio pervicax, chronica videlicet; quæ periodice etiam recurrit,

rit, ac per varios Lunæ motus, ac per varia anni tempora, plurimum variare, & recrudescere solet. Sub æquinoctiis, item & solstitiis potissimum aut revertitur, aut recrudescit. Non est tamen, quod solito vehementius aliquando haud ægrotos insultet, & morbus evadat perquam acutus. Quoniam, respiratione læsa, metus suffocationis imminet, numquam citra periculum asthma impense invadit. In senibus pene semper insolubile. In aliis non ita. In omnibus tamen, quum altas egerit radices, difficile solvitur. Apoplexiam, phthisin, cachexiam, aliasque pessimas affectiones non semel accersivit. Si cum syncope, pulsu languenti, qui crebro intermittat, & procul ab omni lege intermicet, paroxysmus ingruat, ægrotantem actutum effert.

Curatio. Prout variæ extent causæ, quæ asthma producunt, varia quoque eligenda sunt præsidia, quibus eas vel amovere, vel destruere, vel saltem lenire, studere debemus. Hinc si a materia crassa, glutinosaque, quæ obstructiones fecerit, extet asthma, deobstruentibus ei occurrendum videtur. Quo in casu mirifice conferunt rhabarbarata, terebinthinata, martialia, amaricantia, & reliqua, de quibus inferius, ubi de obstructionibus ex professo sermonem habebimus. Si aut convulsivum sit, aut cum tussi sicca, tum emollientia, oleosa, eaque omnia, quæ pleuritidi resolvendæ jam ante proposuimus, mirum in modum prosunt. Si sanguis in asthmaticis redundet, tum diæta, & victu præsertim perquam tenui, humidoque, tum vena secta, imminuendus. Si serum, aut lympha tenuis exuberet, diureticis potius, quam diaphoreticis leniter egerenda. Si aut non congrue respondeat alvus, aut si sordes plurimæ, vel ex nimia repletione, vel ex prava ingestorum qualitate, vel ex mala eorum coctione, stomachum, & intestina, intus cumulatæ, pergravaverint, blande solvenda aut clysteribus, aut etiam lenioribus catharticis; quæ hisce præsertim in casibus parare convenit ex oleo tum communi recenti, ac optimo, tum amygdalarum dulcium, tum seminum melonum &c. de quibus fuse in præcedentibus verba jam fecimus. Ex ulcere vetusto in cruribus præcipue intempestive exiccato asthma extitisse pervicacissimum quam sæpissime vidimus. Quo in casu vesicantia, & fonticulos, quos in partibus præcipue infernis præscripsimus, ad id generis asthma discutiendum mirifice conduxisse fere semper observavimus. Idem ferme experti sumus, quum humor, qui podagram procreare consuevit, asthma fecerit. Asthma, quod vere convulsivum diutinum licet fuerit extenuatum omnino in sexagenario nuper vidimus usu aquæ nuceriæ, quam ab ipso fonte non procul, & abunde diu quotidie hausit, atque in balneis alternis sibi adhibuit.

Historia IV.

Quicquid, asthmati medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

CLelia virgo nobilis decem, & quinque annos nata, optime constituta, plurimo, ut ex roseo, quo antea florebat, conjici poterat faciei colore, scatens sanguine, staturæ proceræ, venusta, elegans, nonnihil pinguis, atque in omnibus non ita pridem optime valens; postquam ex improviso, quin vel levis ulla interfuerit manifesta occasio, mensium consuetæ purga-

gationes ei defecerint, decolor fit, ac lente, raro admodum licet, identidem tamen procul ab omni periodo febrire cœpit. Ad oblata, ratione victus, non ægre se habet, non sitit, nec ullam aliam, præter enarratas, adhuc persenserat molestiam. Paulo post virium supervenit languor, & levis quidam spirandi labor; qui sensim in dies subinde semper adeo increbuit, ut intra mensem in asthma manifestum cesserit. Asthma principio simplex videtur dyspnœa, mox in orthophnœam convertitur; etenim non modo sibilando spiritum ducebat, verum etiam, utut recumberet, nonnisi elata cervice respirare deinceps haud amplius poterat, quin ipsa sibi penitus suffocari videretur. Mensis erat Novembris, quum eam nobis sese tractandam commisit. Pulsus tum languens erat. Tussis aderat perquammolesta, qua noctu potissimum vexabatur, quæque, plurima glutinosa mane summo pituita egesta, demum evanescebat. Urinas perexiguas, easque tenues, & subalbidas a morbi exordio ad id tempus semper emiserat. At alvus adstricta tertia quaque die, tametsi non parce vesceretur, vix respondebat. Quapropter, eam laxare blande prius aggressi, id solvens A ex oleo, & melle hispano statim sumendum ei confecimus. Quod quatuor horis circiter exactis ventrem leniter concitavit. Ut vero intestinorum sordes magis adhuc eluerentur, quum primum concitaverit alvum, jusculum insulsum chalybeatum, mellitum, ac modice tartarisatum, ad libras prope quatuor in plures vices distractas ei propinavimus. Hoc in urinam omnino quasi egestum effecit, ut urinas Clelia copiosiores, crebrioresque subinde semper emitteret. Pro diebus insequentibus serum caprillum chalybeatum, & ita, uti legitur in B, medicatum quotidie in Aurora potandum præscripsimus; & vena interim in brachio prius, mox in pede secta, libram circiter sanguinis ex utraque parte, plurium dierum intercedente spatio, extraximus; quæ omnia multum sane licet profuissent, radicitus tamen morbum haudquaquam eatenus subduxerant. Hinc ad decoctionem hanc C ex corticibus resinosis ligni juniperini confectam, atque ad usum the diebus singulis epotam confugimus. Decoctionem hanc, postquam ad dies quindecim circiter jejunis faucibus ingesserit, mensibus de more redeuntibus ab asthmate protinus evasit.

A ℞. *Ol. amyg. dulc. rec.*, *℥ ſ. ign. extract. unc. iv.*, *mell. hiſpan. opt. unc. ij.*, *aq. cinnam. unciam unam m.*, *℥ cap. in jure ut m.*

B ℞. *Flor. viol.*, *malv.*, *rad. althe. contuſ.*, *fol. pimpinel.*, *matric. ana pug. j.*, *ſer. cap. lib. j.*, *m.*, *℥ in eo extingue ter*, *aut quater ferrum candens S. A. Colet.*, *℥ adde cryſtal. mont. præp. drach. j.*, *mell. hiſpan. unc. j.*, *cap. quot. in A. per dies xxx. circiter.*

C ℞. *Cortic. reſinoſar. ligni junip. drach. j.*, *aq. chalyb. q. ſ.*, *m.*, *f. inf.*, *℥ macer. cin. calid. S. A. Bull. levit.*, *colet.*, *℥ adde mell. hiſpan. unc. j. cap. quot. in A calidam ad uſum the.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Improbatur abusus in diureticis, emeticis, ac alvum laxantibus fortioribus ad asthma extenuandum, propinandis.

UT asthma, quod humidum est, discutiatur, tum maxime, quum seri copia in corpore affecto redundet, urinam blande provocare juvat. *Blande* dicimus, ad improbandam eorum praxin, qui fortioribus eam movere contendunt diureticis, spiritum ex. gr. salis, sulphuris, vitrioli, salis armoniaci, pulveres mille pedum, & reliqua ejusmodi passim propinantes; quæ fundendo, irritando, contrahendo, & violenter exprimendo, haudquaquam humores crassos, atque effætos, qui asthma movent, verum lympham tenuem, quæ eos solvit, per urinam egerunt. Quo fit, ut visceribus universis iccirco lacessitis, atque humoribus magis magisque intus proinde concrescentibus, spirandi labor in asthmate, tussis, & reliqua exasperentur. Qua de re hisce in casibus urinæ ciendæ tutiores, ac leniores existimamus, quibus propterea frequentissime utimur, decoctiones emollientes, oleosa, mellita, & ante alias decoctionem ex corticibus juniperinis resinosis in usum the, sive caffe propinatam, cui vice sacchari mel hispanum injicimus. Id urinas, item & sudores leniter movet, pectoris excretiones adjuvat, alvique sordes emollit, & discutit; tum præcipue, quum flores aut malvarum, aut violarum, aut borraginis sub finem ebullitionis addideris. Terebinthinam quoque, nisi adsit febris, aut capitis dolor, in formam syrupi cum ovorum vitello redactam in eumdem finem commendamus. *Nisi febris, & dolor capitis*, diximus, *adsit*; in utroque quippe casu terebinthinata universa, ut edocuit usus, plurimum nocent. Quicquid diximus de diureticis fortioribus, multo magis tum de emeticis, tum de laxantibus alvum, dicendum ducimus, quæ aut nequaquam propinanda sunt, aut ubi necessitas id exigat, leniora sint necesse est. Quinimmo & eadem manna, utpote quæ præfatam lympham tenuissimam prætermodum subducat, nobis suspecta est. Ceterum asthma, & præsertim siccum, lactis usu tum asinini, tum ovilli, tum caprilli, tum etiam vaccini non semel delevimus. Tum siccum, tum humidum, ubi factum fuisse conjecimus in podagra affectis ex podagra aut retropulsa, aut ad partes infernas non delapsa, quod quamsæpissime contigit, sonticulus iisdem partibus infernis incussus extenuavit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit tussis, ejusque differentia, prognosis, & curatio.

QUoniam in hoc tractatu, de tussi quamsæpissime mentionem fecimus, & quoniam tussis tamquam symptoma perquam molestum plerasque alias affectiones humani corporis vitam habentis comitari solet, quid sit tussis, cur excitetur, quid inferat mali, & quomodo medicis præsidiis ei occurrendum sit, exponere tum rationi, tum inceptæ methodi legibus consonum videtur. Quicquid tussim describendo protulerint alii, paucis *tussim* esse dicendum existimavimus, *crebriorem, & vehementiorem expirationem, quæ cum sonitu erumpit, a partibus respirando inservientibus irritatis exoritur*.

At

At quia aer, qui a pulmonibus tussiendo per tracheam extruditur, materiam quandoque valde conspicuam secum abripit, atque excernit, quandoque nihil prorsus, quod sensus saltem attingat, inde factum est, ut duplicem tussis speciem habeamus, quarum altera *sicca*, altera autem *humida* est. Humida dicitur, quum materia, quam tussis excernit, sensibus deprehenditur; sicca autem nuncupatur, quum præter aerem vehementer, & præter naturam expiratum, nihil aliud, quod sensus nostros moveat, egerit. Quicquid acre aut fibras, aut membranas, aut nervos, sive substantiæ pneumonicæ, sive bronchiorum, sive tracheæ musculorum, aliarumque partium adjacentium mordicare, irritare, aut alio quovis pacto stimulare valet, id omne tussi concitandæ perquam idoneum censendum est. Quoniam tum vehementer aut contracti, aut compressi pulmones aerem jam ante inspiratum valide impellentes violenter exprimunt, extruduntque, inde tussis: intercisa nimirum expiratio, thoracis concussio, & sonitus. Ex quo liquet, tussim quamsæpissime ex aliarum partium consortio etiam extare, in quibus nervorum propagines affectæ, contractiones, sive potius concussiones thoracis, æque ac pulmonum spasmodicas, aut convulsivas, symphatice, ut ita dicam, progenerant. Hinc tussis tamquam symptoma aliis passim adjicitur affectionibus, ulceribus præsertim interioribus, aliisque læsionibus organicis, de quibus fuse diximus, &, Superis adjuvantibus, fusius quoque dicturi sumus. Tussis, quæ contumax fuerit, altasque radices egerit, minime contemnenda; pulmones quippe, sive sympathice, sive idiopathice tussi diu concussi labefactantur, & labefactati, aut inflammantur, aut exulcerantur, aut saltem obstructi asthma faciunt, aliasque ægritudines, quæ universam quandoque œconomiam evertunt animalem: hæmoptysin videlicet, phthisin, vomicas, empyema, pectoris hydropem &c. Sicca plerumque pejor, quam humida, nisi tamen excreatus, aut cruentus, aut purulentus adsit, qui plurimum semper habet periculi. Quum ex humida in siccam convertitur, tum profecto pessima, ex eo præcipue si pectoris gravitas subinde succedat, quum id, materiam peccantem in pulmonibus restitisse, ibique cumulatam fore, abunde indicet. Præter siccam, humidamque, de qua hactenus recensuimus, tussim, alia occurrit species, quæ ab immanitate, qua corpus universum concutit, *ferina* nuncupatur. At enim vero, quum pueris lactantibus, ac fœminis hysterica affectione laborantibus frequens ea sit, de hac Deo dante in sequentibus, ubi de Mulierum, atque Infantum morbis ex professo agendum erit, dicendum ducimus. Ad tussim, cujuscumque sit generis, extenuandam, ea omnia apprime conducere videntur, quæ diluunt, humectant, emolliunt, de quibus universis verba jam ante fecimus. Id tantum adnotandum superest, tussim, cute inter sudandum refrigescente, atque expirationibus per eam compressis, pervicacissimam quamsæpissime concitari, quam proinde defricationes exteriores, ventosæ extrinsecus admotæ, balnea modice tepentia, fotus, & alia hujusmodi, quæ cutem emolliunt, distrahunt, subigunt,

detergunt, atque expirationes præfatas adjuvant, tuto, cito, ac blande solvunt.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Nonnulla exponuntur, quæ ad tussim sistendam mirifice conducunt.

UT tussis radicitus eximatur, potiones calidæ idoneæ quamvis videantur, inficiari tamen non auderem, frigidissimas quoque, & gelu prope concretas, eam interdum substulisse; quod potissimum in convulsiva, hysterica, ferina, & hypochondriaca, tum maxime, quum ardente Sirio per calores æstivos concitetur, contigisse observavimus. Observavimus insuper, tussim pervicacissimam crapula tandem subactam penitus cessisse; in quibus tamen id imprimis adnotandum, ne id auxilii genus tussi laborantibus temere adhibeatur; quippe quum, vel adsit febris, aut immineat inflammatio, aut pectoris hydrops, aut ab ulcere pulmones excedente, aut a vomica fiat &c. gelida non minus, quam crapula tussim exasperare, & tussientem citius interimere valet. De gelidis, quo pacto convulsiones cohibeant, aliasque nonnullas affectiones evincant, nostram in superioribus sententiam exposuimus. De crapula vero, quæ tussim vel humidam maturare quandoque valet, vel siccam eluere, ex dicendis educitur. Victus in crapula festive ingestus, tum quantitate, tum qualitate, alacritatem plerumque suscitat, qua organa universa blande concitata vigent, ac mirifice agunt. Hinc ea sane in conviviis parta, quæ animos erigit, argutias provocat, & sales inter convivas acuit, hilaritas. Hinc jucunditas, hinc lenitas, hinc celeritas, promptitudo, loquendique ardor & reliqua, quæ vel citra ebrietatem, epulando, experimur. Istud idem, quod tum intus omnia commovet, coctiones item adjuvat, secretiones promovet, fermentationes excitat, viscerum facultates recreat universas, humores peccantes excutit, irritationes sistit, ac tussim tollit.

CAPUT VI.

De Angina.

Definitio.

INter morbos, quibus respiratio læditur, non injuria is quoque considerandus venit, qui *anginæ* nomen sibi nactus, voce ipsa morbi naturam luculenter indicat. Angina dicitur ab *angendo* affectus ille, qui frigoribus præsertim hyemalibus, Regionibus saltem nostris, solemnis, spirandi laborem molitur, deglutiendique, ob inflammationem faucibus inhærentem; quæ proinde intumescentes maximas faciunt angustias. Quapropter anginam dicere possumus *spirandi*, *deglutiendique*, *faucibus inflammatis*, *atque intumescentibus*, *cum febre utplurimum acuta*, *perquam molestum esse laborem*. *Cum febre*, diximus, *acuta*, fit quippe non semel, ut angina citra febrem angamur. Hinc duplex extat penes Practicos anginæ species. Altera est cum febre acuta, & dicitur *vera*, sive *legitima*. Altera aut sine febre, aut levissima cum febre, & nuncupatur *notha*, *spuria*, sive *illegitima*. Sunt qui post Hippocratem, varia nomina a musculis, membranisque affectis expiscati, anginam distinxerunt in *synanchen*, *parasynanchen*: *cynanchen*, *paracynanchen*. Quas tamen voces, ne Tyronum mentem incassum de-

defatigemus, fusius hic exponere omisimus, quum, si quis plura de iis adhuc desideret. Lexicographos quæso adeat. Anginæ signa diagnostica ex ipsa definitione satis emergunt. Ratione causæ; quæ pleuritidem, & peripneumoniam suscitant, ea sane anginam producere valent, dummodo humor peccans membranis, musculis, ac faucium glandulis inhærendo efficiat, ut vel alterutra, vel singulæ ex partibus præfatis inflammatæ intumescant.

Diagnosis.

Causa.

Ratione prognosis; *quicumque ab angina liberantur, his ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt; si vero has effugerint, suppurantur* ex Hipocrate (a). Angina est morbus acutus, & peracutus, qui quamcitissime, & ante diem quartam utplurimum jugulat: in exordio nimirum, & horis 24. nondum exactis. Vera longe pejor, quam notha, quæ plerumque sine periculo. Attamen, si saliva per os in spumam evanescat, in notha quidem, ob maximam faucium angustiam, suffocationis quandoque imminet periculum. Iccirco in angina ubi talis spuma ex ore in bullas distracta intumuerit, indicium semper fuit lethale. Tumor faucium ex angina non raro suppurat; hinc abscessus, qui si rumpatur inferne, ea, quæ deorsum delabitur sanies, laryngem ingressa, repente non semel suffocavit. Cæterum angina, nisi aut solvatur, aut cito interimat, in pleuritidem, peripneumoniam, vomicam, necnon etiam in empyema facessit. Sanguinis fluxus sponte vel ex naribus, vel ex hæmorrhoidibus in maribus, vel ex pudendis in fœminis emanans anginam quamsæpissime discussit. Enim vero inter cæteros ex Foresto (b), mensibus erumpentibus anginam felicissime solutam habemus.

Prognosis.

Nil inter ea, quæ anginam solvunt, præsentaneum magis occurrit, quam sanguinis prompta, larga, atque opportuna emissio; quem bis, ter, & quater uno, eodemque die, quum id necessitas exegerit, educito. Ex brachio primum, mox ex cervice, & scapulis alte scarificatis, ex vasis inde sublingualibus; postremo, ubi faucium angustia invaluerit, & ex partibus infernis. Sanguine prius educto, gargarismata, humectantia, emollientia, & blande resolventia conveniunt. Conveniunt item & ejusdem generis cataplasmata ex cassia præsertim, melle, ac oleo faucibus extrinsecus apponenda. Fotus quoque emollientes, parti affectæ etiamsi foris admoti, faucium inflammationem evincunt. At nihilosecius si invalescat affectio, & ad suppurationem inclinet, cum suffocationis metu, tum quamocissime aptiori, quam fieri possit, ut commode pus educatur, loco, tumorem secabis. Victum, quum vera angina perquam acutus sit morbus, perquam tenuem propinare oportet. Sorbitiones, quum id fieri datum sit, uberrimæ ingerantur, eæque tepentes, earum haud absimiles, quas pro curanda pleuritide consecimus.

Curatio.

Historia V.

JUnius quidam Cajus Eques Romanus insignis, qui tertium, & trigesimum nondum exegerat ætatis annum, temperamento calido, siccoque præditus, bile plurima videlicet scatens; macilentus licet, venustus, alacris, & vegetus; mense Januario, postquam armis in palestra plurimum lusisset insu-

Quicquid, anginæ medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

(a) *Sect. 5. aph. 10.* (b) *libr. 15.*

insudans, austro flante per sudum noctu profectus, ad multum temporis subdio incedens, ac varia passus incommoda, tabernam subinde una cum sociis ingreditur. Laute cœnat, vino, aliisque sorbitionibus tum gelidis, tum calidis enormiter indulgens. Postridie, rigoribus per ambitum corporis universum hinc, atque illinc præeuntibus, febrire cœpit. Febris intenditur, anxius fit, atque acriter sitiens, potiones, quas vehementer appetit, deglutire vix potest. Tumesiunt intus fauces inflammatæ; & adeo intumescunt, ut respirationem quasi præcludant. Pulsus durus est. Intumescunt quoque, & rubore suffunduntur genæ. Splendent oculi, ac dolore quodam peracuto identidem torquentur tempora. Rudis, & aspera præ nimia siccitate evadit lingua. Urinæ, quas egerit parce, sunt rubicundæ, & ita incalescunt, ut inter mingendum meatum prope adurant. Nos igitur, qui in ejusmodi circumstantiis Junium tractandum suscepimus, enemate ex aqua simplici hordeacea salita prius indito, ac vena in brachio soluta, sanguinem ad libram circiter statim imminuimus. Sanguis, qui cum impetu profluxit, crassus erat, glutinosus, sine sero, atque atro plurimum saturatus colore. Sanguine educto potionem hanc A, humoribus in faucibus concretis discutiendis, tepentem sumendam præscripsimus. Præfata potione hausta, decoctionem B pro gargarismate, necnon etiam cataplasma C faucibus extrinsecus apponendum consecimus. Potestatem interim facientes, ut & aquam tum nucerianam, tum hordeaceam, tum avenaceam, tum cornu cervi, tum glycirrhyzæ, tum florum rhœados, non frigidam tamen, ad sitim explendam pro lubitu, modo potuisset, hauriret. At quoniam morbus adhuc invaluerat, sub vesperam altera sanguinis libra ex brachio adverso extracta, & cucurbitulis cervici, scapulisque scarificatis prius infixis, mox venis sublingualibus sectis, sanguinem iterum, atque iterum imminuimus. Ad hæc, ut pedes, qui eatenus frigerant, spongiis aqua tepente madidis jugiter foverentur, curavimus. Hisce peractis facilius spiritum ducere cœpit Junius, & commodius deglutire. Hinc jusculo simplici, in quo cum ovorum vitello recenti, margaritæ præparatæ ad drachmas duas solutæ fuerant, in refectionem ingesto, placide consopitus uberrime insudavit, urinæ copiam excrevit, atque angina penitus evanuit.

A ℞. *Sperm. cet. sang. hircin. præp. ana drach. j., camph. gr. iij., ol. amyg. dulc. rec., & s. ign. extract. unc. ij., syr. violat. violac. unc. j., aq. cinnam. unc. ss., jur. insuls. q. s. M. f. p. statim sumenda tepens ut m.*

B ℞. *Mell. hispan. unc. iv., spir. vin. rectif. unc. ii., aq. hord. lib. ii. M. pro gargaris. tepent. ut m.*

C ℞. *Cass. rec. extract. unc. j., mell. hisp. unc. ss., sperm. cet. drach. ij., camph. scrup. j., ol. amygd. dulc. q. s. M. pro cataplasm. faucibus extrinsecus apponendo ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid fuit penes Majores Angina pituitosa.

ANgina, quæ, quoniam sine febre corripit, notha, uti diximus, vocitatur, admodum rara est, atque ab humore quodam lymphatico, qui glutinis ad instar in glandulis faucium concrescens, eas, quin inflammet, tumefacit, utplurimum fit. Hinc non modo citra febrem, verum etiam

etiam citra veram inflammationem invadit. Id anginæ genus Majores exponentes, a pituita quadam ob cerebri frigidam intemperiem, in sublimioribus capitis regionibus collecta, atque ad fauces inde elapsa exoriri tradiderunt. Talis angina, tametsi longe minus habeat periculi, pervicacior tamen esse solet, & ad dies plures produci; quam quandoque, sanguinem educendo, potius exasperavimus. Eam contra alvum blande solvendo, cutim universam defricando, sudorem, æque ac urinam leniter ciendo, necnon etiam, quum adhuc restiterit, pediluvia, ac sinapismata adhibendo, felicissime discussimus. Et nihilosecius si ne cesserit quidem, decoctionem, quæ insequitur A, optimo cum successu pro gargarismate sæpesæpius in die tepenti adhibendo, ad eam postremo evincendam præscripsimus.

℞. Sars. parill. opt. S. A. incis., glycirrhyz. ana unc. ss., rad. pireth. drach. ii., sal. tart. drach. j., aq. comm. libr. iii. M., f. inf. & macera S. A. Levit. bull., & adde mel. hispan. unc. ij, spir. vin. rectif. unc. iii. M. pro gargaris. ut m.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quid judicandum sit de crusta fungosa in sanguine educto.

UT in reliquis universis inflammationibus tum exterioribus, tum interioribus, ita & in ipsa angina, modo legitima sit, sanguis emissus, atque in vase stagnans, superficietenus ita utplurimum concrescit, ut crustam eam duram, livescentem, ac luridam, quæ sanguinem fœdat, quamque *fungum pleuriticum* appellare consueverunt Clinici, producat. Id adstantibus tamquam contractam sanguinis labem purulentam, sive putridam, Galenici quondam indicabant. Crustam præfatam nos frequentissime concretam vidimus & in sanguine sanorum educto, ex plethoricis potissimum, atque edacibus. Ea præcipue Hispanis quoque, quibus fonticulorum abusus humores fortasse coinquinavit, solemnis est. Num autem ejusmodi fungosa concretio ob fluidorum corruptelam extet. Num congestio quædam sit potius chyli nondum subacti, qui a reliquo sanguine secretus, atque ob levitatem in sublime provectus in gelatinam densetur. Num sit lympha crassa, & glutinosa, quæ ab aere circumfuso coagulum sibi nacta, fluorem amiserit, atque ibi constiterit. Num fit aliquid aliud, quod refrigerato sanguine in gluten coactum, talem, ac tantam sibi comparaverit duritiem, nobis non aperte hactenus innotuit. Id tamen ea in re proferre liceat, pleuriticos fere omnes, in quibus præfatam crustam fungosam sanguis compegit eductus, prout hactenus observavimus, a morbo propediem evasisse. Cæteros contra, quorum sanguis nullam vel levem in pleuritide præsetulit istius apparentis corruptelæ notam, aut numquam, aut admodum raro convaluisse.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid judicandum sit de usu, & abusu spiritus vini pro inflammationibus curandis.

SPiritus vini, licet depuratus, vel aqua Reg. Hung. & pro gargarismate in angina admota, & pro collyrio in ophthalmia oculis adhibita, & pro unctione sive pro fotu erysipelati, aliisque inflammationibus extrinsecus apposita, quamsæpissime, & ad punctum quasi

quasi temporis affectionem plane discussit, non alia ex causa, nisi quod particulæ ejus volatiliores spiramenta cutis ingressæ humores in tubulis concretos, qui inflammationem fovebant, penitus, ut opinor, dissipaverint. Id autem toties felicissime successit, quoties humor stagnans, & facile solubilis fuerit, &, ut ita dicam, *homogeneus*: quoties videlicet partes illius componentes ubique sibi similes per spiritum vini concitatæ, motum ab impellente æque omnes facile exceperint; atque omnes æque solutæ, aut in auras evanuerint, aut per venas in gyrum una cum reliquo sanguine, aut alio quovis pacto intus refluxerint. Verum contra ubi spiritus vini, qui violenter egit, ex tumore inflammato, quicquid ibi volatilioris, fluidiorisque extiterit, sibi dumtaxat abripuerit, tum materia crassior, insolubilis, quæ in tubulis restitit, magis magisque concrevit, & longe pervicacior evasit. Hinc id præsidii genus, ut tales interdum ægritudines mirifice solvere potuit, ita non semel eas adeo exasperavit, ut insanabiles omnino evaserint. Quamobrem hisce in casibus spiritu vini solo aut numquam, aut raro admodum utor, & si quandoque ut solus apponatur rationi consonum videatur, partem affectam prius, aut aqua tepenti, aut decoctionibus emollientibus fovere iterum, atque iterum consuevi, ut humores peccantes concreti, attenuati, subacti, rarefacti, atque, ut ita dicam, macerati facilius moveri, & cedere queant.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quare posca inflammationes quandoque leniat, aut discutiat.

AD nimium in vera angina faucium ardorem leniendum, rebus universis volatilioribus projectis, ad alias non semel longe minus volatiles, quinimmo & ad subacidas quandoque opus fuit confugere. Quo in casu tum intus, tum foris & nitrum depuratum, & sal prunelle, & succum limonum aqua bene dilutum optimo cum successu adhibuimus. At pro gargarismate imprimis, aut posca mellitum, aut infusiones, & decoctiones nitratas, aut alio quovis pacto acidiusculas, ita ut legitur in A, quamsæpissime præscripsimus. Ea siquidem pluries in die gargarizando tepentia ad guttur intus revocata fauces inflammatas abluunt, & detergunt, nimium earum æstum blande compescunt, materiam peccantem leniter solvunt &c.; modo tamen in minima dosi adjiciatur acidum; secus enim constiparet potius, & adhuc magis incenderet.

A ℞. *Acet. rosac. unc. iij.*, *mell. bisp. unc. ij.*, *aq. bord. libr. iv. M. f. posca mellitum pro gargarismate tepent. ut m.*

Item ℞. *Succ. limon. unc. iij.*, *mell. bispan. unc. ij.*, *decoct. glycirrhiz. libr. iv. M. pro gargaris. ut m.*

Item ℞. *Nitr. depur.*, *sive sal. prunell. dra. j.*, *aq. comm. lib. iv.*, *mell. bisp. unc. j. M. pro gargarism. ut m.*

LIBRI

LIBRI SECUNDI

SECTIO QUARTA.

De Hepate, Liene, Pancreate &c., deque iis, quæ ratione partium istarum in corpore humano vitam habente, tum secundum, tum præter naturam exoriri possunt.

CAPUT I.

De Hepate, & folliculo fellis.

Describitur Hepar.

HEPAR, sive jecur est glandula conglomerata, mole omnium maxima, in imo ventre ad epigastrium in hypochondrio dextero proxime sub diaphragmate sita. Adhæret ventriculi lateri dextero, ut bilem a sanguine secernat. Colorem habet in corpore humano rubicundissimum, ad obscurum tamen vergentem. Hepatis figura superius, qua diaphragmati substernitur, convexa est. Inferius, qua lateri dextero ventriculi aptatur, nonnihil cava. Substantia in tres, vel quatuor magnos lobos finditur, ac partibus finitimis alligatur, ligamentorum ope. Ligamenta membranacea numero tria sunt. Unum dicitur ligamentum *latum*, sive *suspensorium*. Alterum *umbilicale*. Tertium, eoquod nomine careat, *innominatum*.

Describitur hepatis ligamentum latum, sive suspensorium.

Ideo suspensorii nomen sibi vindicavit ligamentum hepatis latum, quia per illud diaphragmati suspenditur hepar. Provenit a peritonæo, idest a tunica diaphragmatis inferiori. Exinde explicatur versus hepatis faciem supernam gibbam, quam non modo leniter attingit; verumetiam intime subit, perque eam hinc, atque illinc varie immittitur.

Describitur ligamentum umbilicale.

Ligamentum umbilicale nihil aliud esse videtur, quam vena umbilicalis in ligamentum compacta. Proficiscitur ab hepatis fissura, ex facie hepatis cava inferiori, definitque in umbilicum.

Describitur ligamentum innominatum.

Ligamentum hepatis, quod nomine caret, productio est tunicæ hepatis exterioris, quæ ab hepatis confinio undequaque explicatur ad cartilaginem mucronatam, cui hepar suspenditur.

Describitur hepatis substantia, & Glissonii capsula.

Hepatis substantia *prorsus parenchymatica* habebatur a Majoribus nostris: concreta videlicet ex sanguine quodam fixo, compactoque. Perperam tamen; oculis namque testibus, pluribus coagmentatur lobulis glandosis rotundis, tunica obductis communi, item & propria; qui vasis præterea irrigantur peculiaribus. Tunica hepatis communis exterior, est tenuissima, & pellucida. Producitur a ligamento suspensorio, ideoque ab ipso peritonæo. Hepatis substantiam undique vestit. In hepatis facie cava, ad vasorum nimirum ingressum, intus reflectitur. Una cum vasis ipsa quoque dirimitur, vaso-

forum propagines in fasciculos collectas vestiens ad lobulos usque; ubi iterum explicatur, ac lobulos ipsos obducens, conficit lobulis singulis tunicas eorum peculiares, quibus intercedentibus mutuo nectuntur lobuli. Membrana hæc hepar ingressa, quoniam per hepatis substantiam interiorem in plures effunditur vaginulas, sive capsulas oblongas, hepatis *capsula*, nec non etiam capsula *Glissonii*, a Glissonio, qui eam observavit primus, appellata est.

Quid sint lobuli hepatis.

Lobuli hepar componentes, sive acini rotundi, nuncupantur glandosi, quum nihil aliud sint, præterquam glandularum compages minimarum, quæ racematim suspenduntur extremis sanguiferis capillaribus, propaginibus nervosis, tubulis lymphaticis, ductibusque biliariis.

Describuntur hepatis arteriæ.

Arterias admittit hepar a ramo cœliaco dextero, qui sobole uberrima faciem subit hepatis cavam statim sub intestino duodeno, sese effundens propaginibus suis per lobulos omnes, & glandulas universas, in quibus absumitur.

Describuntur hepatis venæ.

Venæ hepatis, duplicis sunt generis. Aliæ quippe proficiscuntur a trunco hepatico. Aliæ a trunco *venæ portæ*. Truncus hepaticus provenit a trunco descendenti venæ cavæ, ac bifidus plerumque faciem ingreditur hepatis gibbam; ramulisque suis distribuitur per eosdem lobulos, perque easdem glandulas, non secus ac propagines arteriæ cœliacæ. Vena porta, quum vena sit admodum peculiaris, ab aliis venis longe discrepans, ut fusam, luculentamque de ea in capite sequenti peculiariter exaremus historiam, exigit.

Describuntur hepatis nervi, ductus lymphatici, ductusque biliarii.

Nervos habet hepar a conjugatione nervorum octava, stomachica, atque intercostali. Lymphæ ductus a lobulis hepatis tendunt in capsulam chyli. Ductus biliarii, qui vulgo dicuntur *pori biliarii*, per universam hepatis carnem comitari solent propagines sanguiferas, nervosas, item & lymphaticas, ut una cum iis capsula vestiantur per hepatis substantiam Glissonii communi. Originem ducunt a lobulis hepaticis, & omnes fere, quatuor, aut quinque dumtaxat exceptis, qui producuntur in folliculum fellis, conveniunt in ductum communem majorem, qui vocatur *hepaticus*. Ductus hepaticus egreditur a facie hepatis cava, non procul ab arteria cœliaca; atque una cum ductu, quem *cysticum* & ipse cum anatomicis dicam, quique provenit a vesica fellea, ductum communem compingit adhuc majorem, qui vocatur *cholidochus*.

Describitur vesica fellea.

Folliculus fellis, porus biliarius, receptaculum bilis commune, vesica fellea, nuncupatur parva quædam vesicula, teres, longiuscula, quæ adnectitur faciei hepatis cavæ, inter hepar, & ventriculi latus dexterum ad principium duodeni; ubi bili excipiendæ inservire potissimum videtur. Triplici conflatur tunica. Exterior tendinea producitur a peritonæo. Per hanc hepati accrescit vesica fellea. Media carnosa, crassior, ac magis fibrosa. Interior quoque tendinea, sive potius nervosa. Hæc intus lanugine quadam obducitur adversus bilis acrimoniam. Sub lanugine minimi occurrunt glandularum acini, quorum minima excretoria, penes nonnullos Anatomicos, deferunt bilem in cavum folliculi. Penes nonnullos alios, humorem deferunt lymphaticum defœcatissimum, qui bi-

bilem ibi contentam quodammodo enervat, solvit, diluitque. Vasorum propagines cujuslibet generis excipiunt parietes folliculi a truncis proximis; inter quas præcipui sunt tres, quatuorque ductus biliarii, qui a lobulis hepatis bilem in capacitatem folliculi eructant.

Describuntur ductus cysticus, hepaticus, & cholidochus.

Folliculus fellis a lato fundo in collum producitur, eo usque dum magis adhuc extenuetur, ac tandem in tubulum aptetur, quem ductum cysticum dicunt. Ductus cysticus prope vesiculæ collum perexili circumdatur sphinctere, quo valide arctatur, ne sponte, ut ita dicam, sua, & proprio bilis defluat pondere. Infra anulum longe amplior evadit ductus, cujus latitudo pinnam æquat anserinam. Longitudo ad digitos tres fere transversos producitur. Desinit ubi cum ductu hepatico cholidochum communem efficit; qui in anfractus intestinorum sub finem duodeni, non recta, sed admodum oblique sese immittit. Siquidem leniter primo dorsum duodeni tangit. Mox tunicam duodeni exteriorem subit. Inter exteriorem, & mediam paullulum oblique prorepit. Dein mediam quoque ingreditur; atque inter mediam, & interiorem oblique deorsum iterum sese producit, usquedum, perforata tunica quoque interiori, in cavum duodeni, orificio quodam rotundo per caruncula nonnihil elevato, tandem dehiscat. Id sane præstat, ut per cholidochum ab hepate in recessus intestinorum subire queat bilis; quin tamen humores contenti in recessibus intestinorum ab intestinis cholidochum pervadere possint. Cholidochi quippe pars ea intercepta inter tunicas intestinorum, eo magis clauditur, sive comprimitur per tunicas intercipientes, quo magis intestinorum parietes ab humoribus intus contentis explicantur: videlicet quo magis ab interioribus propelluntur versus exteriora.

Quid proprie sit bilis, ejusque differentia.

Bilis proprie nuncupatur humor quidam tenuis, flavus, amaricans; qui secernitur in hepate a sanguine præterfluo, glandularum beneficio. Per analysin chymicam si bilem explores, eam pollere deprehendes particulis pluribus alkalicis fixis, item & volatilibus, aliquibus quoque sulphureis, paucioribus, quinimmo & fere nullis, terrestribus. Bilis, quæ colligitur in vesica fellea, limpida magis, magisque defœcata, quam ea, quæ statim ab hepate defluit per ductum hepaticum aliquibus ex Recentioribus visa, effecit, ut id lymphæ adscriberent plurimæ, quæ bili in folliculo collectæ infusa, eam, uti monuimus, & solvit, & diluit. Alii contra magis hanc, quam illam fluere tradidere. Opinionum varietatem ex eo factam censeo, quod pro varietate temperamentorum, ætatum, anni temporum, morborum &c., plurimum revera bilis immutetur. Cæterum quæ in folliculo colligitur bilis, œconomiæ animali conservandæ non adeo censetur necessaria, quam ea, quæ ab hepate per ductum hepaticum in cholidochum defertur. Testantur enim plerique Sectores, nullum unquam reperiisse hepar in corpore humano sine ductu hepatico, licet revera in pluribus folliculus desideretur.

Quare cystis fellea inter ventriculum, & hepar deprehendatur.

Ideo vesica fellea intercipitur inter faciem hepatis cavam, & faciem ventriculi convexam, ut ventriculus per cibos ingestos extentus eam valide comprimat inter se, atque hepar, quo validius

dius ab ea exprimat bilem, quæ undequaque compressa, sphincterem urget ad principium ductus cystici, ductum laxat, sibique ad intestina per cholidochum exitum pandit, tum quum alimentis digerendis, conficiendisque, bile magis indigemus; quorum digestio, uti innuimus, in ventriculo inchoatur, atque in intestinis, bilis quoque, facultate, conficitur.

Hepatis munus.

His mature consideratis, nil aliud videtur hepar, nisi glandula conglomerata, mole omnium maxima, ex pluribus glandulis minoribus conflata, quarum ductus excretorius communis, habendus est ductus cholidochus, in quem utique tendunt ductus omnes biliarii: ductus nempe omnes excretorii minores glandularum minimarum, quibus conglomeratur hepar. Atque adeo munus hepatis potissimum existimandum videtur, bilem esse a sanguine secernere. Bilis excreta per ductus peculiares, per hepaticum videlicet, & cysticum, confluit in ductum cholidochum communem majorem; cujus ope immittitur in cavum intestinorum, in quibus magis, magisque alimenta digerit, solvit, extenuat, ut facilius a cibis adhuc crassis, crudis, atque non coctis, educatur chylus. Insuper fæces acriores facit, quo acriores factæ, acriter intestinorum tunicas irritando, nisus concitent alvi, ac stimulos, quibus per anum egerantur.

Non omnis bilis ab hepate deducitur in intestina.

At enim vero de bile id potissimum animadvertendum, eam ab hepate per cholidochum non omnem ad intestina fluere; pars quippe bilis tenujor in ipsa jecoris substantia a reduce sanguine absorbetur. Hinc est, quod sanguis, qui ascendit ab hepate per venam hepaticam cor versus, longe magis bile saturatum sese perhibet aspectui, quam, qui, vel per arteriam cœliacam, vel per venam portam in hepar defertur.

CAPUT II.

De Vena porta.

Quid sit Vena porta.

VEtus opinio fuit, quod ad hepatis attinet usum, venas in mesenterio plurimum conspicuas, quæ propterea *meseraicæ emulgentes* a Majoribus dicebantur, chylum fugere, ut in sanguinem verteretur ope caloris innati. Quæ res effecit, ut tamquam sanguinis officina, jecur a Priscis fidenter evulgatum esset; donec Pecquetus id falsum esse objecit. Venæ præfatæ meseraicæ emulgentes sunt propagines, ac veluti soboles ductus cujusdam maximi sanguiferi, omnino diversi tum a venis, tum ab arteriis hactenus descriptis. Ductus iste occurrit in imo ventre sub ventriculo inter hepar, & reliqua abdominis viscera; quo ab hepate sub omento per mesenterium, & per intestina oblique deorsum tendit, diciturque *truncus venæ portæ*. Truncus præfatus venæ portæ latus quidem, sed brevis, germinat, & ramos emittit, ut ita dicam, ex utroque extremo, qui tamen, nec egredi, nec produci solent ultra capacitatem ventris imi. Non pulsat, easdemque fere tunicas habet, quas in reliquis observavimus; á quibus tamen longe discrepat tum originę, tum munere. Reliquæ enim venæ ratione originis, pluribus distractis radicibus, egrediuntur ex diversis partibus corporis humani, atque unico ductu communi aperiuntur, uti

uti monuimus, in auriculas cordis. Vena porta, pluribus quamvis exoriatur ramulis dispersis ex visceribus imi ventris, atque in unum inde communem, longe majorem conveniat, rursus tamen in alios minores dispescitur, quibus nequaquam ad cor, sed ad hepar tendit, atque undequaque per hepar ad glandulas universas hepaticas iterum, atque iterum effunditur. Vena porta, non secus ac reliquæ venæ, ratione muneris, sanguinem suscipit in visceribus abdominis ab arteriis, quem postmodum neutiquam ad cor, sed versus hepar derivat. Iecirco truncus venæ portæ communis, qui dispersus emergit, a liene præsertim, ab omento, a stomacho, ab intestinis, a mesenterio &c., sursum oblique vergit hepar versus; cujus faciem cavam non procul ab arteria cœliaca proxime sub intestino duodeno ingreditur, sese effundens, atque extendens propaginibus pene innumeris ad glandulas omnes hepaticas, quibus sanguinem impertitur.

Describitur truncus, & propagines venæ portæ.

Rami, & propagines venæ portæ nomina peculiaria a visceribus, ex quibus oriuntur, sortitæ: a splene, dicuntur *splenicæ*, ad quas tendunt venæ hæmorrhoidales interiores: a mesenterio, *meseraicæ*: a ventriculo, & omento, *gastro-epiploicæ*: ab umbilico, *umbilicales*: a vesica fellea *cysticæ-gemellæ &c.* Inter ramos gastricos adnumeramus item vas illud *breve* apud Priscos solemne olim, sibi perperam suadentes, a liene in cavum ventriculi humorem quemdam acidum, fami excitandæ, cibisque digerendis idoneum, per eum deferri. Verum nil aliud est, uti constat autopsia, quam venarum fasciculus ex tribus, quatuorve venulis minoribus collectus, quæ a truncis ventriculi, prope fundum, in ramum splenicum venæ portæ producuntur.

Refellitur Veterum sententia de hepatis usu.

Commenti sunt Veteres, per venam portam, ut in sanguinem vertatur, chylum ab intestinis ad hepar provehi. Sanguinem recens in hepate factum, per eamdem portam insuper opinabantur ab hepate in alias corporis regiones, vel in ipsa intestina pro nutritione deferri; quod tamen temporibus nostris, ut falsum prorsus evincitur sensuum opera. Chylus quippe, uti in præcedentibus palam fecimus, minime tendit ad hepar per venam portam ab intestinis, sed ab intestinis per ductus chyliferos in cisternam confluit Pecqueti. Exinde per ductum thoracicum ad venas subclavias provectus, sanguini refluo immiscetur, & una cum eodem sanguine ad cor devolvitur; atque a corde per arterias ad reliquas omnes corporis partes, ut inde per venas redeat ad cor; in quo, ex nostra sententia, incipit chyli in sanguinem versio; quæ perficitur deinceps non in hepate tantum, verum etiam in reliquis universis humani corporis viventis organis, per motum ejusdem sanguinis, tum progressionis, tum fluoris, tum fermentationis.

Munus venæ portæ.

Præterea vena porta sanguinem licet deferat, nequaquam defert ab hepate in reliquas corporis partes. Quinimmo a reliquis corporis partibus, a quibus exoritur, sanguinem excipit, quem una cum arteria cœliaca a glandulis impertitur hepaticis, ut bilis secernatur.

CAPUT III.

De Pancreate.

Describitur Pancreas.

PAncreas, non secus ac hepar, est glandula conglomerata, mole tamen hepate longe minor; atque ab hepate tum figura, tum colore, tum situ, tum munere longe distans. In transversum producitur sub fundo ventriculi, ubi a sanguine humorem secernit salivalem, tenuissimum, qui *succus* dicitur *pancreaticus*. Pancreatis figura oblonga est, nonnihil depressa, linguæ adinstar canis longiusculæ, cujus basis adjacet intestino duodeno. Mox sub fundo ventriculi, inter faciem ventriculi posteriorem, & inferiores dorsi vertebras producitur versus lienem, quem tamen nequaquam attingit. Substantiam habet mollem, squalentemque, & quodammodo cinericiam, quæ levissima quadam hinc inde inficitur sanguinis tinctura.

Quid sit ductus pancreaticus, aut Virsungianus.

Pancreatis substantia ubique occurrit glandosa; minimis quippe congregatur acinis glandularum rotundis, qui per vascula sua excretoria perquam exilia peculiaria racematim suspenduntur vasi excretorio pancreatis maximo communi, quod per medium pancreas, nimirum per ejus longitudinem producitur ad intestinum duodenum, cui in humano corpore plerumque inseritur orificio cum cholidocho communi. Adeo ut pancreas, si tamen tunicam, quæ universam ejus vestit substantiam, amoveas, ope vasis istius veluti uvæ racemus, duodeno suspendatur. Vas istud commune, *ductus* dicitur *pancreaticus*. A Virsungio Sectore inclyto Patavino, qui inter sectiones anatomicas illud palam fecit anno 1642., nuncupatur quoque *ductus virsungianus*.

Vasa pancreatis.

Foris vestitur pancreas membrana perquam tenui, pellucida, quæ oritur a peritonæo, cujus interventu proximis accrescit partibus. Arterias habet pancreas a ramis cœliacis. Venas potissimum a porta, Nervos ab intercostalibus.

Usus Pancreatis.

Pancreatis usus apud Veteres fuit, ut pulvinaris adinstar stomacho substerneretur; ne vertebras proximas tangeret stomachus. Affirmabant præterea, veluti fulcimentum, vasorum truncos, qui per viscera distribuuntur inferiora, substinere. Verumtamen non ita pridem luculentissime compertum est, glandulam esse conglomeratam, latici cuidam lymphatico, salivæ non absimili, a sanguine præterfluo, secernendo inservientem.

Quid præstet succus pancreaticus.

Succus iste, qui *pancreaticus* nuncupatur, a glandulis minimis componentibus tenuissima subit vascula excretoria peculiaria; a quibus in ductum confluit virsungianum majorem, ut exinde in cavum intestinorum instillet, in quibus, ni fallor, una cum bile alimenta ulterius digerenda solvit bilem ipsam diluit, ejusque nimiam, ne lædat intestinorum tunicas interiores, temperat acrimoniam. Quocirca, ductu pancreatico obstructo, compressoque, intestinorum tormina concitari possunt.

CAPUT IV.

De Omento.

Describitur Omentum.

OMentum quasi operimentum, quia anterius operit intestina, nuncupatur quoque *zirbum*, *rete*, *epiploon*; ea est membrana adi-

adiposa, retiformis, quæ in facie abdominis anteriori, statim sub peritonæo condit intestina, quibus laxe superimponitur. Adhæret fundo ventriculi, pyloro, duodeno, ac faciei liemis cavæ, unde explicatur per faciem intestinorum anteriorem, ad umbilicum usque in aliis, in aliis ad inguina, in quibusdam ad ossa pubis, quibus quandoque firmiter adhærescit. Mox duplicata intus reflectitur per faciem eamdem intestinorum ad colum usque, cui affigitur. Quamobrem in modum veluti marsupii aucupatorii in cavo ventris imi aptatur. Producitur a peritonæo; ac vasis ita irrigatur, ut, plurima intercedente pinguedine, rete quoddam adiposum per omentum contexere soleant ubique admodum inæquale.

Describuntur vasa omenti.

Arterias habet a ramis cœliacis, & meseraicis. Venas præcipuas, uti monuimus, a porta, & præsertim a ramo splenico. Nervos perexiguos a plexibus intercostalibus. Id vel Priscis notum fuit. Recentiores præterea adinvenerunt per omenti substantiam vascula quamplurima lymphatica, & ductus quosdam adiposos, qui tamen nescio: an in cellulas desinant quasdam, sive in sacculos membranaceos adipe multo turgentes, ex quibus congregatur omenti adeps: an ex iis originem ducant.

Omenti usus.

Alia munera non adscribebant Veteres omento, nisi quod ope caloris intestina foveret, atque obliniret ea, qua scatet oleosa uligine. Nos autem potius opinamur, usum omenti genuinum adhuc esse incompertum; & omento quamvis rescisso, diu vivere dicuntur animalia, ejus tamen structura elegans adeo nequaquam foret, nisi quid aliud in corpore humano vitam habente adhuc præstantius exequeretur. Non defuit iccirco, qui omentum descripsit, tamquam organum præcipuum, ut per glandulas minimas sevum a sanguine secernat; quod, vel in cellulis omenti membranaceis concrescit, vel fusum a cellulis per ductus adiposos ad reliquas partes humani corporis vitam habentis fluit. Existimant alii, sacculis suis adipem excipere a reliquis partibus per ductus adiposos, ut exinde fusus, calore sive sanguinis, quo alluitur, sive intestinorum, absorbeatur in omento ab ipso reduce sanguine, ne sanguis acris valde factus plurimum æstuet.

CAPUT V.

De Liene.

Describitur Lien.

NOmine lienis, sive splenis, id visceris carnosi designant Anatomici, quod in corpore humano secto, plantæ adinstar pedis oblongum, sese perhibet aspectui in imo ventre ad epigastrium, in hypochondrio sinistro, statim sub diaphragmate, e regione hepatis in latere adverso, usus admodum incerti. Ejus color recens natis rubicundus, obscurior adultis, valetudinariis plumbeus. Inter costas inferiores spurias, & faciem ventriculi sinistram inferiorem delitescit. Hinc facies illius, quæ costis aptatur, gibba est, vel convexa; quæ ventriculo adjacet, cava, vel potius sima.

Describitur lienis situs.

Splenis cava facies, sive interior, alligatur omento, ac per omentum ventriculo, renique sinistro. Gibba, vel exterior, diaphragmati quandoque adnascitur. Substantia, carnea licet videatur ubique sibi similis, est nihilominus membranacea, val-

de dissimilis, cellulisque referta. Duplici contegitur tunica. Exterior tenuis splenem obvolvit, adeo tamen laxe, ut, sanguiferorum ramulis, quibus hic, atque illic tunicæ alligatur interiori, recisis, facile avellatur.

Describuntur cellulæ, & glandulæ lienares.

Tunica interior variis implicatur fibris; & sese immittens per substantiam lienis interiorem, in cellulas pene innumeras per lienem undequaque aptatur. Cellulis insunt glandulæ minimæ ovales, singulis aut septem, aut octo; quæ racematim suspenduntur arteriolis, æque ac nervis extremis capillaribus, ibique, uti opinor, humorem exudant acidum, qui sanguini in cellulis immixtus, in causa est, ut sanguis ibi contentus nonnihil concrescat, acescat, atroque saturetur colore.

Describuntur vasa lienis.

Arterias sibi comparat lien a ramo cœliaco sinistro. Venas a ramis splenicis, qui educuntur a porta. Nervos, quamvis obtusus sit lienis sensus, nanciscitur a plexu quodam nervorum sub fundo ventriculi, qui *splenicus* nuncupatur a Willisio. Hic quippe lienem ingreditur una cum arteria cœliaca. Mox in varias minimas effunditur fibras capillares, quæ per arteriarum parietes exteriores mirum in modum implicantur, atque explicantur. Minima lymphatica, in canibus maxime adhuc viventibus sectis, deteguntur statim sub tunica exteriori, sub qua trunculis suis admodum conspicuis, circa vasa sanguifera luxuriantibus, varie ludunt. Eorum nexus rete contexit tenuissimum, cujus foraminula intercepta sese proferunt admodum inæqualia. Lympha, sive humor, qui per vascula hujusmodi vehitur, non dedeprehenditur defœcatus, & limpidus ita, ut in reliquis lymphaticis; sed flavus, ad rubicundum vergens, qui a liene per omentum ad capsulam chyli communem traducitur.

Vasa nonnulla sanguifera in cellulas lienis, dehiscunt.

Si sanguis in cellulis lienaribus stagnans exprimatur omnino, atque abluatur, substantia lienaris ex rubicunda, & atra, candidissima fit. Postmodum, si venis constrictis, sive compressis, aer per arterias intrudatur, cellulæ omnes illico intumescunt. Ex quo inferre debemus, vasa præfata sanguifera aliquibus saltem propaginibus suis in cellulis dehiscere; adeo ut sanguis, qui a corde per arterias cœliacas sinistras effunditur in cellulas lienares, absorbeatur a venis splenicis, ut per eas in truncum corrivetur communem venæ portæ, ac per portam in hepar affundatur.

Lienis usus.

Splene prorsus exempto, diu quamvis vivere possit animal; experientia teste, opinari tamen nequaquam debemus, viscus fore prorsus inutile ad œconomiam animalem. Et genuinus splenis usus plane licet lateat adhuc; non latet profecto, ob miram sui structuram aliquid saltem muneribus præcipuis vitæ animalis obeundis præstare. Quapropter Veteres splenem habebant alii veluti receptaculum melancholiæ commune. Sibi suadebant alii, alterum parvum jecur esse, quod ex ea chyli portione, quem, ad eorum mentem, exugunt ab intestinis venæ splenicæ, sanguinem conficeret. Neque desuerunt, qui splenem, officinam esse humoris acidi, qui a splene, ad eorum mentem, eructatur per vas breve in ventriculum, fami excitandæ, crediderunt; tametsi vas breve nil aliud sit, quam venarum fasci-

ſciculus, quæ a truncis ventriculi venoſis in ramum ſplenicum ſanguinem deferunt. Nobis longe tamen probabilius videtur in cellulis lienaribus ob acidum, quod a glandulis inſudat lienaribus, ſanguinem ita immutari, ut advectus in glandulas hepaticas, ibi facilius bilem exoneret.

CAPUT VI.

De Hepatis inflammatione, ſive Hepatitide.

Definitio, & Diagnoſis.

HEpar, lien, & pancreas, viſcera ſane peculiaria, de quibus fuſe verba jam ſecimus, affectionibus peculiaribus, non ſecus ac reliqua viſcera, quum ſint obnoxia, variis in modis identidem œconomiam animalem turbare poſſunt. Ea quippe, modo infarcta, modo inflammata, febres varias, tum acutas, tum chronicas, tum continuas, tum intermittentes progenuerunt. Quinimmo &, ſuppurando, abſceſſus fecerunt inſanabiles, ulcera ſordide depaſcentia &c. Inflammatur hepar, ejuſque inflammatio in abſceſſum converſa univerſam hepatis conſumpſiſſe ſubſtantiam traditur. Id non modo Galenus, Sennertus, Ildanus, & reliqui, verum etiam Foreſtus teſtatur; qui (*a*) de hepatis apoſtemate, inflammatione prævia, exorto, in ulcus ſubinde depaſcens commutato, quod hepatis carnem atrociter exederat, mentionem fecit. *Hepatitis*, tametſi quamlibet aliam, citra inflammationem, hepatis ægritudinem hac voce deſignaverint alii, *inflammatio hepatis* a quibuſdam dicitur. Talem inflammationem ab aliis affectionibus non ex facili dignoſces; quippe quum hepatis faciei gibbæ inſederit, ea excitare conſuevit ſymptomata, quæ veram pleuritidem mentiuntur. Quum cavæ inhæreat, ita viſcera torquet, ut a cardialgia, & colica hepatitidem vix diſtinxeris. A pleuritide tamen differt, quia in pleuritide acutior utplurimum eſt dolor, ſpirandi labor major, & præſertim inſpirando, tuſſis vehementior, & non raro humida. At, hepate inflammato, tuſſis mitior, eaque ſicca, neque adeo moleſta deprehenditur. Ad hæc hepar inflammatum, & mole proinde nonnihil majus, gravitatis ſenſum inſert hypogaſtrio; & diaphragma, cui ſuſpenditur, deprimendo, expirationem difficiliorem adhuc, quam inſpirationem, facit. Hypochondrium dexterum fere ſemper intumeſcens, palpantibus manibus duritiem, & renixum præſefert. A cardialgia, & colica hepatis inflammationem difficilius quoque dignoſces; quum nauſea, vomitus, ſingultus, animi deliquium, & reliqua, in ſingulis hiſce affectionibus promiſcue occurrant, præter febrem tamen acutam, tantumque ſpirandi laborem; quæ tum in cardialgia, tum in colica, niſi inflammata ſint viſcera, fere ſemper deſunt.

Cauſa.

Hepar non aliter inflammari credendum, quam pulmones, & reliqua viſcera; ideoque quicquid de hac re jam ante diximus, ſufficiens fore pro jecoris inflammatione rati, non eſt cur ſermonem hic ulterius protrahamus.

Prognoſis.

Hepatis inflammatio plurimum habet periculi, & necem plerumque infert. Mitior, quæ partem hepatis gibbam dumtaxat incendit, quam quæ cavam, cenſetur. Facies enim hepatis cava inflammata, quum ventriculo proxime

(*a*) *lib.* 14. *obſervatione* 10.

xime adhæreat, ventriculum item aut incendit, aut graviter afficit. Hinc vomitus movet lethales, cardialgiam, syncopes creberrimas, aliasque perincommodas affectiones, quæ animalem œconomiam interdum funditus evertunt. Si animo frequenter delinquat æger; si sudor ex collo, ac facie præcipue profluat algens: si prætermodum intumescat alvus: si pedes indefinenter frigeant, id mortem imminere indicat. Non semel talis discutitur inflammatio, prout & ipsi quandoque observavimus, suppurando: tum videlicet, quum sanies per cholidochum ad intestina provecta, aut per alias vias in vesicam delata, vel per alvum, vel per urinam excernitur.

Curatio. Ut pleuritis, ita & hepatis inflammatio tractanda videtur. Nec aliud inter affectiones præfatas, ratione curationis, intercedit discrimen; nisi quod in hepatitide ex truncis potius infernis sanguinem ducere oporteat, qui, quum parti affectæ propinquiores sint, juxta illud Hippocratis, *proximum ventrem seca:* ventrem proximum, sanguinem ex partibus infernis educendo, plane secabis. Ulterius in pleuritide alvum solvere, uti diximus, res est profecto periculi plena. In hepatitide quodammodo convenit potius, modo tamen leniter fiat, clysteribus simplicibus, aut oleo per os propinato; quod materiam in hepate concretam, ibique stagnantem solvere, eamque ad intestina aut deducere, aut saltem invitare potest.

Historia I.

Quicquid, hepatitidi mederi. COriolanus Sardus quidam miles, mense Augusto, vino postquam extra Urbem in taberna non pepercerat, variis conviciis a commilitonibus lacessitus, atque iracundia vehementer percitus, ense protinus exempto, eos immaniter invadit. Hos atque illos vulnerat, ac tandem rixando furens, atque insudans quum enormiter debacchatur, lapidis ictu in hypochondrio dextero ruditer excepto, resupinus concidit; ac semi expirans animam propemodum agit. Accurruntomnes; balsamo, atque aceto eum adeo recreant, ut pene reviviscens insurrexerit. Ad ædes domesticas convertitur; per multas horas placide obdormit; pacatus omnino expergiscitur; nec aliud deinceps sibi sensit incommodum, nisi quod dolore quodam valde obtuso e regione hepatis jugiter infestaretur. Diebus viginti circiter exactis, mense proximo Septembri horrore quodam per universum corpus inopinato correptus, vehementer exinde febrire cœpit. Febriens æstuat, delirat insomnis, tussit, ac tussiendo nihil excernit, acriter sitit, spiritum, expirando præsertim, perquam ægre ducit. Dolor, & ardor in hypochondrio augetur; quinimmo & ex obtuso acutior adhuc evadit. Venter imus e latere præcipue dextero intumescit, obmurmurat, durus fit, ac flatibus hinc inde vagis quamsæpissime tentatur. Nisus accedit irritus vomendi. Stipatur alvus. Urinas rubicundas, ac pene ignitas, easque perpaucas mingendo excernit. Pulsus durus est, contractus, ac varius. Flavescunt oculi, & amarities quædam ori jam insederat permolesta. Ad septimum, & vigesimum æger nondum ætatis pervenerat annum, modicæ staturæ, ac habitus gracilis erat; calido, siccoque, aut bilioso temperamento præditus, fortis, vegetus, atque in omnibus pridem bene se habens. Postmodum tamen ita

do, præstare consuevimus, historia declaramus.

ita ægrotans in Nosocomio Regiæ Domus Hispanorum Urbis, Deiparæ semper Virginis Montis Serrati nuncupatæ, nobis tractandum sese commisit; atque in eo sedulo, solerterque in omnia inquirentes, hepatitide labore Coriolanum abunde conjecimus. Enemate iccirco ex oleo simplici communi cum spermate ceti prius indito, quod bis alvum commode concitavit, ac vena postmodum in pede soluta, libram sanguinis eduximus. Oleum exinde seminum melonum recens extractum cum caphura, & spermate ceti, ita ut legitur in A, paratum, quo venter blande solutus fuit, statim sumendum ei confecimus. Fotus interim emollientes, & inunctiones cum omento vervecino, ita ut videre poteris in B, oleo perfuso adhibuimus. Postridie, quoniam inflammatio vigebat adhuc, alteram sanguinis libram ex altero pede extraximus. Sanguis ater fuit, fungosus, ac fero propemodum exhaustus. Ideoque decoctiones, & aquas antipleuriticas, ut large potaret, enixe curavimus. Præterea bis in die, mane videlicet summo; & inclinato die, bolos hosce cum oleo seminum melonum recenti, ita ut exponitur in C, ad septimam usque diem præbuimus. Sub finem diei tertiæ modice laxatur alvus, urinæ meliores fiunt, febris nonnihil remittitur, & facilius respirat. Verumtamen nec obdormieverat hactenus unquam, nec ullo pacto leniebatur dolor. Quapropter sanguinem hirudinibus ex ano ad aliam fere libram imminuimus; & laudanum liquidum ea ratione, quæ in D indicatur, ei propinavimus. Victus erat tenuis, quinimmo & perquam tenuis, prioribus saltem morbi diebus, humectans, refrigerans, coctuque facilis. Cutis universa ad revocandum sudorem sæpesæpius in die defricabatur. Clysteres quotidie non procul a prandio lenientes, anodyni, eluentesque, ita ut legitur in E, submittebantur. Hac methodo, sopore conciliato, placide tandem obdormivit, & febre die nona plane deleta, omnino, nisi durities quædam in hepate restitisset, a morbo convaluisset. Quocirca, ut tantæ ægritudinis reliquiæ prorsus eximerentur, semicupia ex aqua simplici per dies quindecim ei præscripsimus; & aquam postmodum villensem ea ratione, qua sequitur in F, potandam per vices tres propinavimus. Aquam hanc optimo cum successu Coriolanus, & per alvum dejecit, & in urinam emisit.

A ℞. *Sperm. cet. drach. j., caph. gr. iij., ol. sem. mel. rec. & fin. ign. extr. unc. iv., syr. violat. violacei unc. j. M., & cap. in jure, ut monit.*

B ℞. *Folior. malv., viol., flor. camomill., papav. rhœad., ana. q. s., aq. commun. pariter q. s. M., f. decoct. S. A. pro fotu tepenti cum spongiis dextero hypochondrio crebro apponendo, ut m.*

Item ℞. *Sperm. cet. drach. ij., caph. scrup. j., ol. amygd. dulc. lib. ss. M., & cum rete vervecino in vase intus infuso, tepefiat in B. M. pro inunctione post fotum eidem hypochondrio dextero apponenda, ut m.*

C ℞. *Sperm. cet. drach. ss., caph. gr. iii., confer. rosa. q. s. M., reform. bol., & cap., ut m., quibus statim superbibat ol. semin. melon. recentis in jure cum floribus rhœad. parato unc. j.*

D ℞. *Ol. Semin. melon. recent. unc. j., cui instilla laudan. nepent. Quercet. liquid. gut. viij., cap. in jure simplici hora somni, ut m.*

E ℞. *Flor. camomill. papav. rhœad., folior. malv. ana. pug. iiii., aq. hord. q. s., mell. commun. unc. ij.*

M. f. decoct. S. A. pro clystere, ut m.

F ℞. *Mell. viol. solv. unc. iiij., aq. villens. q. s. M., f. p. S. A., & cap. in A., cui superbibat per æqualia intervalla, decumbens, ejusdem aquæ villensis lib. iiij. Idque de tertia in tertiam diem repetatur. Dictus intermediis loco aquæ villensis, & mell. viol. tantundem bibat aq. nucerin. cum unciis duabus syrupi violati violacei.*

ANIMADVERSIONES AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

Jecur, quod ante suppuraverat paracentesi felicissime curatur.

VIro cuidam Hispano annorum triginta circiter in Ædibus Regiis S. Jacobi Hispanorum Urbis, in Nosocomio videlicet, hepatis inflammatio, qua per plures dies atrociter ante jam laboraverat, postremo suppuravit. Jecori saniem plurimam intus collectam inesse ex indiciis abunde conjecimus. Ad tabem extremam æger proinde jam declinaverat, languens, nauseabundus, irrequietus, sibique metipsi prætermodum exosus. Præsidia omnia, quæ a primo ad ultimum adhibuimus, in irritum cesserant. Hinc Victorius Masini, de quo alias mentionem fecimus, peritissimus, æque ac inclytus Chirurgiæ Professor, suadentibus nobis, ac permittente ægroto, eoquod ejus salus deplorata plane videretur, paracentesin felicissime tentavit. Jecore igitur alte vulnerato, saniem fœtidissimam, eamque pessimam ad libras plures extraxit. Non multum post (mirum sane) æger convaluit. Is Romæ fortis, vegetus, atque incolumis, adhuc commoratur; vulneris atrocitatem, non minus quam beneficium, quod vitam potius quasi deletam, quam afflictam sanitatem ad punctum, ut ita dicam, temporis sibi restituit, apud omnes ubique commendans. Nos igitur, item & alii eo in casu hepatis substantiam læsam intus & vulneratam non modo, verum etiam laceram, atque exesam palam vidimus. Jecinoris carnem recisam palpavimus. Pus, quod prætermodum fœtebat, atro saturabatur colore. Ad libras plures amurcæ adinstar profluxit &c. Quæ res maximam nobis procul dubio admirationem fecit; tum magis, quum Hippocratis, & Galeni doctrinas mente exagitabamus. *Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, evadunt, in tunica enim his pus continetur: si vero qualis amurca fluat, pereunt.* Hippocrates (a). *Moritur si quis cerebro lauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate.* Idem (b). *Quibus in tunica est pus, nihil patiente substantia hepatis, salvantur omnes. Quibus vero usque ad carnem hepatis corruptio pertingit, jure moriuntur.* Galenus (c).

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Exponitur usus, & abusus camphoræ, & spermatis ceti.

INflammationibus tum exterioribus, tum interioribus evincendis, spermate ceti, & camphora insimul cum oleo immixtis, ac intus ingestis frequentissime utimur. Non raro, præconceptæ, ac radicatæ intus in hominum animis opinioni potius indulgentes, & sanguinem hircinum, & leporinum præfatis rebus, tamquam innocens auxilium, adjecimus. De spermate ceti, item & de camphora, quum volatilioribus, balsaminisque partibus congregentur, non du-

(a) *Sect. 7. aph. 45.*
(b) *Lib. 1. de morb. n. 3.*
(c) *In Com. aph precedentis.*

dubitamus, quin humoribus fixis inflammationem inducentibus plurimum sane conferant; quod nobis & longævus usus testatur. Quo pacto autem sanguis hircinus, & leporinus, vetus jam, concretus, exiccatus, &, ut ita dicam, effætus, ad drachmam unam, duas, tres, & quatuor propinatus inflammationes solvere queat, suadere nobis adhuc nequivimus; qui, & eumdem sanguinem vel ad libram deglutire fecimus, præterquam vel minimum ex eo aut motum, aut conturbationem, qui, illum deglutivit, intus unquam exceperit. Sperma ceti, Veteribus plane ignotum, nihil aliud esse a Recentioribus accepimus, præterquam substantiam quamdam adiposam ex ceti capite interiori eductam; quæ varie postmodum mundatur, subigitur, atque extenuatur. Dosis ejus a drachma una ad duas esse solet. Sanguini intus in grumos concreto resolvendo, doloribus intestinorum leniendis, convulsionibus interioribus discutiendis, ac vermibus enecandis, apprime conducit. Attamen, qui eo abutuntur, ventriculi sibi facultates infringunt, anorexiam, & nauseam faciunt. Camphora, proprie caphura, duplex est penes Ettmullerum, *Burnensium*, & *Chinensium*. Quæ ex Borneo insula adfertur, ex arbore quadam extillat, atque, ut extillat, ad nos transvehitur. Quæ ex Chinensibus, arte quoque paratur. Utraque soporem blande conciliat, inflammationes discutit, affectiones hystericas comprimit, dolores universos sedat. Dosis ejus est a grano ad quinque, quum per os propinetur. Sin autem dosin excedat, plurimum calefacit, sudores fundit, inebriat, aliosque pessimos producit effectus. An tamen sit calida, an frigida, diu exagitata est quæstio nondum soluta. Certum est tamen, camphoram, non secus ac opium ex variis, quos in corpore humano vitam habente præstant effectus, & calefacere, & refrigerare posse. Num autem calefaciendi, num refrigerandi vi revera polleant, non ex facili conjectabere. Nihilominus si rem maturius prosequi velis, aperte senties, & opium, & camphoram *primum*, & *per se*, ut barbare cum Philosophis loquar, calorem nobis excitare; *per accidens* autem eumdem cohibere: adeo ut, si camphora soporem moliatur, id fieri autumemus, eo quod fluidorum partem volatiliorem magis, magisque extenuando dissipet, absumatque; ut & in ebrietate ex vino, spiritu vini, hisque similibus, passim contingit. Idem de opio propemodum affirmamus, quod non aliter, quam camphora, ex nostra sententia, sanguinis grumos solvit, sudores elicit, urinas provocat, inebriat, & somnum conciliat. Quid sit sanguis hircinus, quo pacto paretur, quibus polleat viribus, in Theatro Pharmaceutico fuse tradidit Donzellus.

CAPUT VII.

De Icteritia, sive de Ictero.

Bilis, quæ in hepate secerni debet, atque ab hepate per cholidocum ad intestina provehitur, vitio quodam sive ejusdem hepatis, sive sanguinis, sive alterius cujusque aut visceris, aut humoris fit quandoque, ut, aut non secreta, aut in sanguinem retrocedens, eam inducat affectionem, quæ *icteritia*, sive *icterus* nuncupatur. A colore flavo, quo utplurimum cutis in hoc morbo suffunditur universa dicitur, item *morbus aureatus*, sive *aureus*, vel re- Definitio.

regius. Nihil aliud est, præterquam *affectio quædam permolesta, procedens a bile, quæ aut a sanguine non secedit, aut in sanguinem retrocedens, ad cor remeat, vel hepatis, vel sanguinis, vel utriusque, vel alterius cujusque sive humoris, sive visceris vitio*. Ab ave quadam, cujus pennæ flavescentes ictericum colorem propemodum æmulantur, *icteron* Græcis, *galbula* Latinis nuncupato, appellari videtur.

Diagnosis. Indicia, quæ talem ægritudinem præcedere, & comitari consueverunt, dolor, item & durities quædam sunt, quæ in hypochondrio dextero, veluti ex ipsa hepatis interiori substantia, insurgunt, oris amaritudo, vomitus quandoque, aut saltem nausea, & vomendi nisus, capitis dolor, sive imbecillitas, virium languor non semel extremus, singultus, vigiliæ, urinæ rubicundæ, quinimmo & croceæ, quarum colorem propterea aut charta, aut linteamina alba infusa sibi manifesto imbibunt. Ad hæc cutis color plerumque immutatus, ac venæ sublinguales intumescentes iterum imminere prædicant. Alvus insuper utplurimum adstringitur, & fœces ex inopia bilis pallescunt.

Causa. Quum a sanguine bilis non secedit; aut quum secesserit, si, vel cholidocho, vel ductibus, qui in cholidochum tendunt, obstructis, ad intestina de more non defertur, per venas hepaticas in eumdem sanguinem refluit, serum, & lympham inficit, ac per serum, & lympham præcipue infectam, cutem quoque inficit; quæ flavo propterea suffusa colore, adeo quandoque immutatur, ut crocea sese perhibeat. Ex iis, quæ innuimus, procedit itidem oris amarities, oculorum flavedo, urinæ rubor, virium defectus, & reliqua ictericis non insueta incommoda; quibus humores fœdati facultates omnes tum vitales, tum animales fœdant, infirmant, turbant, easque pervertunt.

Prognosis. Quod ad prognosin attinet: *quibus in febribus morbus regius ante diem septimam succedit, malum*: ex Hippocrate. (a) *Quibus in febribus morbus regius septima, nona, vel decima supervenerit, bonum, nisi dexterum illium obduruerit*, (b) *Regio morbo laborantibus jecur durum fieri, malum* (c) Icterus in morbis interdum est criticus, & sponte solvitur; item, qui ex morsu animalium venenatorum fit, utplurimum critice evanescit. In senibus perquam difficilis curatu. Pessimus, quum aut a scirrho, aut ab hepate inflammato processerit. Si color accedat niger, persæpe lethalis. Et, nisi ictericum interimat, hydropem ei, aut tabem extremam molitur.

Curatio. Ictero resolvendo victus humidus, diluens, qui facile in digestione subigatur, apprime confert. Subacidus potius quam amarus ad bilem retundendam conducit. Præterea ictero laborantes, quoniam cibos utplurimum omnino fastidiunt, res acidas, quæ famem acuunt, multo minus aversantur. Usus vini, prout hactenus observavimus, ictericis nocet, tum maxime, quum febrientes vinum fastidiunt. Attamen, ubi appetatur, ad vires ictero resolutas recreandas, non plane interdicendum. Pro vini usu, potiones conveniunt chalybeatæ, nonnihil aromatizatæ, & præcipue per infusionem cinnamomi, corticum citri, aurantiorum &c.; quibus si modicum acidum identidem adjicias, plurimum proficies. Dulciaria,

(a) *Sect. 4. aphor. 62.*
(b) *Aphor. 64. ejusd. Sect.*
(c) *Sect. 2. aphor. 4.*

ria, glutinosa, pinguia, oleosa, & crassa, omnino vitentur. Mel, & saccharum, nonnisi aut ut alvum cient, aut ut gustum non insuaviter titillent, ictericis numquam præbeto. Alvus laxa sit, eaque, tum clysteribus, tum solventibus blande concitanda. Urinam potius quam sudorem ictericis moveto. Decoctiones iccirco, & infusiones ex radicibus, foliis, floribus aperientibus una, atque emollientibus parato; de quibus universis prolixe jam loquuti, nihil est quod plura ad nauseam impræsentiarum addamus. Hypochondria quotidie fovenda sunt; & ubi contumax adhuc reluctetur affectio, non modo aquas dulces, verum etiam martiales, & salmacidas, propinabis; quibus, & alvum, & renes, & viscera universa elues. Emetica, & blandiora potissimum, ad icterum evincendum non semper improbabis &c.

Historia II.

Quicquid, Ictero medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

PHœdria annorum decem, & octo, perquam nobilis adolescens eximius, quem morum lenitas omnibus jam commendaverat, ad calidum, & humidum temperamentum inclinans, sanguine plurimo scatens, qui ex naribus, æstivis præsertim caloribus, identidem ei profluebat, pinguis, lacertosus, ac procerus, literis, cæterisque humanioribus artibus sedulo, solerterque addictus. Mense Octobri, ruri venando, plura, ac gravia subdio passus incommoda, segnitie quadam insolita ex improviso tentatur; languet proinde, torpet, citra causeam contristatur, difficile dormit, in somnum tametsi valde proclivis. Consopitus perquam molestis propediem excitatur insomniis. Non multum post cutis ei prurire cœpit universa. De oris amaritie nauseabundus conqueritur. Adstringitur alvus. Fœces, quas raro emittit incoctas, albescunt. Urinas excernit croceas. Attamen non febricitat. Diebus quindecim vix elapsis, color oculorum, item & faciei, qui floreus antea semper fuerat, in flavum commutatus, Phœdriam ictericum fore abunde declarat. Mox accedunt vigiliæ contumaces, nec non etiam dolor quidam obtusus, hypochondrio dextero insidens, adjicitur. Hypochondrium aliquantulum intumuerat, & manibus palpantibus reluctabatur. Hinc enemate ex hydrelæo prius indito, ac epigastrio cum spongiis decoctione emollienti perfusis diu antea foto, potionem hanc A, ad alvum leniter concitandam, præscripsimus. Alvo extersa, ad semicupia emollientia statim devenimus; quibus non procul a prandio, & cœna Phœdria quotidie infundebatur. Serum interim chalybeatum cum rhabarbaro, ut legitur in B, paratum, mane summo diebus singulis potabat, & ad sitim, qua prætermodum sub vesperam æstuabat, explendam, potionem hanc gelidam C acidiusculam, sorbendam ei propinabamus. Victus, quum, uti monuimus, nausearet, pertenuis semper fuit, humectans, & subacidus. Clysteres crebro eluentes immittebantur; qui tametsi sordium plurimum subduxissent, haud quaquam ægritudinem eximebant; quæ ad dies fere viginti adhuc sese protraxit; donec ventre uberrime sua sponte quasi soluto, ac, universis propterea evanescentibus incommodis, recreatus, æger ab ictero prorsus evasit.

A ℞. *Rhabarb. elect. drach. j., aq. commun. q. s. M. f. infus., & ma-*

macer. S. A., & adde folior. sen. oriental. mund. unc. ss. Decoq. S. A. Col., & adde mell. hispan. unc. iiij. cap. in A., ut m., cui, quum alvum concitaverit, superbib. ser. caprar. depurat. lib. ij., & aquam nucerinam postmodum ad libitum.

B ℞. *Rhabarb. elect. in pulver. subtiliter redact. scrup. j., sal. tartar. scrup. ss., mell. hispan. q. s. M. f. bol. & cap., ut m.*

Item ℞. *Folior. cichor., pimpinell., flor. hyperic. borragin. ana pug. j., ser. capr. lib. j. M., & cum ferro candenti in eo pluries extincto, S. A. paretur. Colet., & adde crystall. mont. præparat. drach. j. cap. statim post bolos præfatos.*

C ℞. *Succ. limon., & sacchar. depurat. q. s. ad grat. sapor., aq. chalybeat. q. s. M., f. p. gelida sumenda, ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Flavedo in ictero provenit utplurimum jecinoris vitio.

ICtero laborantibus color non semper flavus inhæret; quinimmo & viridis non raro, livescens, & niger apparet. Hinc variæ, penes Clinicos, icteritiæ insurrexerunt species, quæ ad cachexiam potius spectare videntur; quæque non tam hepatis, quam aliarum viscerum vitio sane procedunt. Has, de iis fuse deinceps dicturi, missas hic facimus. De ictero flavo in hoc capite mentionem prolixe ideo fecimus, quoniam jecinoris obstructiones in eo sunt manifestæ. Enim vero icteritia plures extinctos secando, hepar obstructum iis, item & scyrrhosum modo vidimus, modo inflammatum; modo cholidochum præter naturam contractum adinvenimus, modo glutine quodam infarctum, modo vesiculam felleam lapidibus oppletam, modo penitus exiccatam &c. Evidens indicium, quicquid unquam dixerint alii, flavescentibus ictericis, aut hepar, aut partes hepati adnexas semper affectas fore.

ANIMADVERSIONES AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

In aliquibus circumstantiis sanguinis missio Ictericis confert.

SAnguinis missio ictericis plurimum obesse quamvis videatur; quum plethorici tamen antea fuerint; aut quum consuetæ sanguinis diu suppressæ excretiones icterum iis progenuerint, corpore prius mature purgato, &, quoad fieri potuit, correctis humoribus, sanguis ex partibus infernis, ex hæmorrhoidibus præcipue in adultis, opportune eductus, mire quandoque profuit; quo icterum pervicacissimum in præfatis circumstantiis ipsi quoque non semel discussimus. Plura insuper sunt, quæ ad icteritiam evincendam, tamquam arcana. Scriptores tametsi classici serio tradidere; quæque nos, quoniam, veluti anilia, semper respeximus hic, ne tempus frustra teramus, plane reticenda existimamus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quo pacto potione gelida statim Ictericus quisdam Nobilis convaluit.

ANno, ni fallor, reparationis nostræ 1715., perquam nobilis vir, Romæ notus, podagra quamsæpissime torqueri solitus, senescens, ac pene decrepitus, jam ictericus evaserat. Tali morbo pene confectus, opem quoque nostrum efflagitavit. Ad mensem, & ultra, languens, enervis, exsuccus, fame plane dejecta, plurimum sitiens, ac pervigil, ejusmodi prope consumptus ægritudine, a febre tamen prorsus immunis, laboraverat. Qui virum incly-

clytum eatenus tractaverant, alvo ter, aut quater solventibus abluta, rhabarbarum, decoctiones, atque infusiones amaricantes ad id temporis, semper tamen incassum, propinaverant, vini meracioris usum, ad vires fractas substinendas, haud interdicentes. Ægrotantem percunctati, potiones acidas, gelidasque se vehementer appetere, conjecimus. Quamobrem, reliquis omnibus præsidiis subductis, nihil aliud, quam gelidam cum modico succo limonum, corticibus citri, ac saccharo depurato, non insuaviter consectam, ad libitum sorbendam ei præscripsimus; qua epota, statim recreatus, longe melius se sensit, ac biduum post, urinæ copia egesta, præter omnium spem, omnino convaluit.

CAPUT VIII.

De Liene obstructo, inflammato, & scirrho affecto.

Definitio. NON secus ac reliqua viscera, quinimmo & ob sanguinis, quo irrigatur, torporem, & quasi segnitiem, etiam frequentius obstruitur lien. Attamen ejus inflammatio, tametsi non suppuret, ob humores glutinosos, atque austeros, quibus alluitur, consistit potius, neque in abscessum convertitur, at in scirrhum persæpe concrescit. Lienem tum *obstructum* dicimus, quum humores aliquantulum in eo concreti, in tubulis stagnant, ita ut ulterius non progrediantur. *Inflammatum* tum, quum humores in tubulis stagnantes, effervescendo, phlogosin inducunt, & lienem incendunt. *Suppuratum* tum, quum inflammatio ulterius procedens, eo demum perveniat, ut humor stagnans, plane immutatus, in pus abeat. *Scirrhosum* tum, quum humores, qui obstructionem faciunt, volatilioribus absumptis particulis, aut a reliquis secretis, ita fixantur, ut, prope lapideam sibi nacti duritiem, solvi vix possint, quin sal quoddam, ut ita dicam, insitum, acre, ac erodens, quod partem ipsam depascit, fundant, emittantque.

Diagnosis. Lienem obstructum, & scirrhosum, quum ad tantam pervenerit molem, ut extra situm sibi connaturalem prætermodum extendatur, tum & tactu affectum esse dignoscitur. Id tamen non ita facile deprehendes, si aut obstructio, aut scirrhus in splene non eo devenerit; lien quippe inter ventriculum, & diaphragma, ut ante jam diximus, aliquantulum delitescens, manus hypochondrium sinistrum explorantes, facilius eludet; quo in casu, nec gravitas quidem adeo augetur, ut ponderis sensum ex ea regione inferat. Splenem inflammatione incendi ex sensu quodam doloris obtuso, ac ob arteriarum copiam, ut vulgo dicitur, *pulsatili* percipies; non secus ac a febre, quæ tum excitari debet, etsi non ardens adeo, quam quæ ab aliis incensis visceribus produci soleat. Tum obstructi, tum scirrho affecti, tum inflammati lienis causam ex dictis facile quisque sibi educere poterit. Causa.

Prognosis. In prognosi adnotandum, obstructione lienis, periculi licet utplurimum expertes, pervicaciores tamen, quam reliquorum viscerum, esse. Scirrhum pene insanabilem, qui præterea quandoque funditur, & gangrænam, ut superius innuimus, facit. Inflammatio plurimum habet periculi, sed citius solvitur. Verumtamen, nisi aut cito solvatur, aut ægrotantem efferat, vel suppurat, vel in scirrhum conversa ulterius produ-

ducitur. Ex hepate ad splenem, & ex splene ad hepar, experientia teste, non semel transfertur inflammatio. In primo casu minus habet periculi; quinimmo & sanguis, qui ex naribus sponte profluit, & urina, quæ uberrime excernitur, eam solvit.

Curatio. Splen inflammatione incensus, non aliter quam hepar inflammatum, curari debet. Obstructus ut resolvatur, aperientia, emollientia, eluentia, & præ ceteris martialia exigit. In scirrhum obduratus, nisi placide tractetur, magis magisque exasperatur; etenim humor fixus, ut ante jam diximus, solvitur; fususque maximam sibi comparat acrimoniam, qua aut humores universos coinquinat, aut viscus ipsum exedendo, ulcus sordidum, & gangrænam inducit.

Historia III.

Quicquid, lienis morbis medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

SOphocles vir quidam ingenuus, quinque, & quadraginta circiter annos natus, deliciis semper deditus, pinguis, ac bene valens, ad temperamentum, ut ex indiciis exterioribus conjectari facile potueris, humidum, frigidumque; pituitosum nempe, vergens, ex febre, quam mense Octobri, venando in agro Romano, ex coagulo malignam contraxerat, quartanarius tandem evasit. Quartanam, quæ plane intermittebat, corticis peruviani nescio an dicam usu, an potius abusu, immature compressit. Paulo post lente febrire, ac prætermodum languens, de pondere quodam in hypochondrio sinistro, quod semper augebatur in dies, conqueri cepit. Ad mensem, & ultra, tale incommodum passus, omnino neglexit. At enim vero, quoniam ponderi, dolor quidam ejusdem lateris obtusus, vomendi nisus, cibique fastidium ingens, accesserant, nos demum consuluit. Latus igitur dolens explorantes, tantam molem, tantamque duritiem sibi nactum splenem invenimus, ut non modo obstructum, verum & prope scirrhosum esse judicavimus. Adstricta erat alvus, urinas uberrimas emittebat, plurimam ex ore salivam excernebat. Pulsus erat debilis, frequens, compressus, ac valde inæqualis; & quamvis neque sitiret, neque decumbens non facile respiraret, pedes tamen œdemate ita intumuerant, & squalor corpori adeo insederat universo, ut Sophoclem cachecticum fieri satis superque ostenderent. Qua de re affectionem eam tractare aggressi, bolos hosce A ex rhabarbaro deobstruentes, cum decoctione centaurii minoris antelucanis horis quotidie deglutiendos præscripsimus, ut alvus interim clysteribus crebro elueretur, operam dantes. Dapibus ex herbis, ac radicibus amaricantibus, jure vitulino elixatis cum ovorum vitello recenti quassato, vescebatur. Vinum, quod numquam ei interdiximus, aqua chalybeata plurimum sibi semper diluit. Boli præfati alvum diebus singulis modice concitabant, necnon & urinas uberiores ciebant. Res, diebus quindecim elapsis, hac methodo in melius jam processerant. Hinc, ut morbi radices ex liene obstructo prorsus evellerentur, sotibus emollientibus epigastrio prius iterum, atque iterum ad dies plures admotis, ut aqua tepens, jejuno ventre, ex alto per tubum de more in hypochondrium sinistrum cum impetu descenderet, effecimus. Quo post dies circiter octo, splenis duritie penitus subacta, pristinam sanitatem Sophocli nostro comparavimus. De ratione, qua id præsidii genus exterius adhibitum,

tum, quod vulgo *la doccia* nuncupatur, agere valeat, abunde ante jam diximus.

℞. *Rhabarb. elect. subtilit. in pulver. redact. scrup. i., croc. Mart. cum aqua pluviatil. ad normam Ettmuller. parat. scrup. ss., sal. tart. gr. viij., syrup. de cichor. q. s. M., f. bol., & cap. ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit ptyalismus, & quare in spleneticis concitetur.

QUI liene laborant, ptyalismo esse solent obnoxii. Nihil aliud est ptyalismus, quam *crebra, & copiosa salivæ per os excretio, ob ingentem ejusdem salivæ, quæ in glandulas salivales confluit, redundantiam*. Pluribus morbis, tamquam symptoma, adjicitur ptyalismus; neque alia ex causa, liene obstructo, concitari solet, ni fallor, talis copiosa salivatio; nisi quod vasa lymphatica, quæ per lienem effunduntur uberrima, lympham aut non excipiunt, aut exceptam aliorsum non deferunt. Ex quo factum videtur, ut retrocedens in sanguinem, per os, & per renes sese uberius exoneret. *Per renes* inquam; canes quippe, quibus ex industria per vulnus exemptus fuit lien, quamvis subinde vivant, frequentius, & copiosius mingunt.

LIBRI SECUNDI

SECTIO QUINTA.

De Renibus, Ureteribus, Vesica urinaria &c., deque iis, quæ ratione partium istarum in corpore humano vitam habente, tum secundum, tum præter naturam exoriri possunt.

CAPUT I.

De Renibus, Ureteribus, & Vesica urinaria.

Describuntur Renes. Vid. Tab. VI. Fig. I. & II.

INtestinis amotis, æque ac mesenterio ab imo ventre, deteguntur in facie imi ventris postica Renes, atque Ureteres, qui descendunt in vesicam urinariam. Viscera tamen hæc obvoluta inter peritonæum duplicatum conduntur; quod secare necesse est, sectumque diducere, ut in conspectum veniant. Renes dicuntur, sive *Nephros* corpora quædam carnea, ovalia, nonnihil depressa, quæ variæ licet sint molis, binos maximos faseolos æmulantur. Bini sunt numero: unus scilicet utrinque. Dexter sub hepate conditur. Sinister sub liene: ambo videlicet in regione lumbari, ubi lumborum incumbunt musculis ad latera sanguiferorum descendentium; quibus, tamquam bina poma, stipitibus adnascuntur, ut urinam a sanguine secernant. Dexter in homine, ut hepati cedat paulo inferior, quam sinister. Facies renum interior, ea nimirum, quæ truncos respicit sanguiferorum descendentes, sima est. Altera gibba.

Quid sit pelvis.

Renes medios si per longitudinem reseces, cultrum anatomicum recta ducens a facie exteriori renum convexa ad interiorem simam; & sectiones laterales ita resectas si ab invicem diducas, prope faciem renum simam, capacitatem offendes valde conspicuam, quæ dicitur *pelvis*.

Describuntur membranæ renum.

Duplici tunica renes vestiuntur singuli. Exterior tendinea proficiscitur a peritonæo. Renes hæc laxe involvens eos adnectit partibus proximis. Dexterum videlicet hepati, cœcoque intestino. Sinistrum lieni, & colo. *Communis* appellatur iccirco, necnon etiam ab adipe, qui foris ei adnascitur, plurimus, *adiposa*. Interior tenuissima, rubicunda, pellucida, renes quamvis arctissime vestiat, facile avellitur. Hæc nuncupatur *propria*, eoquod in facie renum sima ad ingressum vasorum intus reflectatur; ubi varie dirimitur, vasorum tunicas exteriores, item & tunicam, quæ pelvim intus obducit, efficiens.

Describitur glandosa renum substantia.

Sub tunicis propria delitescit renum substantia carnea, quæ nudis licet oculis ubique sese perhibeat

beat fibrosam, pluribus tamen compingitur glandulis rotundis, quarum vascula excretoria nonnihil prius excurrunt versus renum peripheriam. Mox in fasciculos colligata pergunt ad centrum: videlicet ad pelvim, ubi desinunt, vel potius in varias attolluntur papillulas globosas, per quas oscula tandem pandunt, lotium secretum in pelvim expuentia. Id longe præ cæteris non ita pridem palam fecerunt Malpighius, & Bellinus, renum structuram microscopio sedulo solerterque rimati.

Describuntur vasa renum.

Ad glandulas renales dirimuntur arteriæ, item & venæ emulgentes, quæ truncis communibus faciem renum ingrediuntur simam, in ramos subinde per universam renum substantiam, necnon etiam per membranas exteriores effusi; quæ tamen aliquando propagines capillares & a truncis descendentibus suscipiunt. Nervos sibi comparant renes a plexibus intercostalibus, & a conjugationibus lumbaribus; qui antequam subeant renes, plurima circumductione truncos emulgentes ambiunt. Vasa renum sanguifera non alia ex causa emulgentia appellantur a Priscis, nisi quod opinarentur per ea renes urinam a sanguine emulgere.

Renum usus.

Nihil aliud videntur renes, quam glandulæ minimæ conglomeratæ, urinæ a sanguine secernendæ potissimum inservientes. Urina secreta, a glandulis minoribus per tubulos excretorios, confluit omnis in pelvim, atque a pelvi per ureteres in vesicam descendit urinariam.

Quid sit urina.

Urina ex observationibus chymicorum serum sanguinis effœtum est, acre, mordicans; quod congregatur phlegmate plurimo, plurimo sale volatili, pauco sulphure, modica terra, sive capitis mortui, ac salium fixorum copia.

Describuntur ureteres.

Ureteres; canaliculi scilicet teretes oblongi, egrediuntur a pelvi, ad ingressum sanguiferorum ex facie renum sima, unde in formam veluti characteris S maximi, ex utroque latere ad vesicam oblique descendunt urinariam, quam in facie postica non procul a cervice subeunt. Bini sunt. Renibus singulis videlicet unus. Longitudinem palmi unius in adultis superare haud solent. Latitudinem calami scriptorii minoris non excedunt. Producuntur, uti monuimus, a renibus ad vesicam usque, intermedio peritonæo duplicato, per faciem interiorem musculorum *psoas*, idest femori flectendo inservientium. Nil aliud utique videntur ureteres, quam membrana pelvis interior extra renes in tubulum extenuata, & producta, quæ foris duplici alia obducitur membranula a truncis sanguiferorum exorta exterioribus, qui renum substantiam interiorem ingrediuntur. Per membranas hasce excurrunt fibræ oblongæ, & circumducuntur orbiculares, quæ ureterum parietes contrahunt, ut urinam, item & calculos validius urgeant, atque excludant. Arteriolas, & venulas nanciscuntur a truncis proximis. Propagines nervosas, perquam exiles licet, innumeras tamen suscipiunt, non procul præcipue a pelvi, a paribus intercostalibus, item & lumbaribus. Hinc a calculis, qui pelvim, sive ureteres afficiunt, acriter quoque per consensum afficiuntur reliqua viscera corporis humani, & reliqua organa, quæ nervos ab iisdem truncis communibus habent.

De ureterum insertione in vesicam urinariam.

Inseruntur ureteres in vesicam urinariam, non aliter ac observavimus de insertione obliqua inter membranas ductus cholidochi in intestinum duodenum, eadem fer-

ferme de causa : ne videlicet urina, quæ facile per ureteres defluxit in cavum vesicæ, a cavo vesicæ retrofluere queat per eosdem ureteres in cavum pelvis.

Describitur vesica urinaria, & urethra.

Vesicam, sive cum aliis *cystim* urinariam dicimus sacculum membranaceum, quem offendimus, imo ventre anterius adaperto, in hypogastrio versus regionem pubis, in ea capacitate, quam constituunt ossa iliaca inferiora, os sacrum, atque ossa pubis. Ibi urinam excipit a renibus per ureteres, quam postmodum foras emittit per meatum urinarium, idest per *urethram*. Teres est; a lato quippe fundo, leniter producitur in collum, atque arctatur. Fundum superius. Collum inferius, quod in urethram, sive in meatum urinarium per medium penem in maribus extenuatum, ab exordio penis ad finem usque producitur. In fœminis inter labia vulvæ superiora dehiscit. Collum vesicæ nuncupatur quoque *cervix*. Posterius in maribus vesicæ cervix intestino incumbit recto, cui adnascitur. In fœminis collo uterino, cui & firmius adhærescit. In utrisque alligatur anterius ossibus pubis. Vesicæ fundum adnectitur umbilico per ligamentum rotundum, quod *uracbus* appellatur.

Describitur sphincter vesicæ, & granum hordeaceum.

Collum præterea vesicæ musculo circumdatur sphinctere valido, carneoque, quo arcte clauditur, ne, & nobis nolentibus, & proprio defluat pondere urina. Insuper, atque in collo, digito fere transverso sub sphinctere versus meatum urinarium caruncula in formam valvulæ apponitur ita ibi instructa, ut exitum facile pandat urinæ per urethram effluxuræ; obsistens contra, si urina per urethram semel effusa in vesicam urinariam retrofluere eniteretur. Caruncula præfata a figura, & mole dicitur ab Anatomicis *granum hordeaceum*.

Describuntur vesicæ urinariæ parietes.

Parietes vesicæ triplici conflantur tunica. Exterior tenuis, tendinea, producitur a peritonæo. Plurima foris obsidetur pinguedine. Media carnea, crassior, fibris exaratur pluribus carneis, quarum beneficio contrahitur vesica, ut urinam foras validius impellat. Interior tenuis quoque, & tendinea, sive nervosa, longe tamen amplior, quam aliæ, sensu pollens valde acuto; iccirco facies ejus interior mucore quodam obducitur adversus acrimoniam urinæ, quæ, si nudos attingeret vesicæ parietes interiores, eos mordicando læderet. Quia autem acris est urina, ideo stagnando intus in vesica solvit semper, & secum abripit portionem quamdam mucoris illius; qui cum urina fusus excernitur, ac in matula sensim accrescit in formam nubeculæ; quæ ob levitatem plurimam, veluti nubecula vanescens, per urinam suspensa quodammodo provehitur.

Describuntur vasa vesicæ urinariæ, ejusque usus.

Substantia vesicæ tendinea, omnino quamvis exsanguis haberetur a Priscis, plures tamen excipit propagines sanguiferas ab hypogastricis, & hæmorrhoidalibus in maribus. In fœminis item & a spermaticis, quæ potissimum inter fibras absumuntur tunicæ mediæ carneas. Nervos habet a pari vago, necnon etiam a propaginibus ossis sacri. Nervi effunduntur præsertim per tunicam interiorem, quæ sensu proinde valde acuto pollens, quæque ob urinæ sive copiam, sive acrimoniam lacessita, cum aliis contrahitur, & quasi convellitur, urinam contentam exprimens; quæ propterea undequaque circumpulsa sphincterem urget,

get, explicat, atque per urethram erumpit. Hinc profecto mingimus. Contrahuntur insuper ex consortio musculi abdominis, qui & ab iisdem truncis communibus nervorum stamina quædam quoque suscipiunt. Quapropter & ipsi contracti vesicam comprimunt, atque urinæ emissionem adjuvant. Non perperam igitur vesica urinaria veluti musculus membranaceus cavus a Recentioribus habetur, urinæ excernendæ inserviens.

CAPUT II.

De Renibus Succenturiatis.

Describuntur renes succenturiati.

AD regionem lumbarem, paulo supra renes aliis, aliis infra, inter renes, truncosque sanguiferos descendentes corpora quædam obversantur carnea, mollia, laxa, spongiosa, quæ *renes* dicuntur *succenturiati* a situ, *glandulæ renales* a substantia, quam ubique præseferunt glandosam, *capsulæ atrabiliares* ab humore quodam atro, lurido, ac fœdo, quem intus continere solent, & quo foris coinquinari. Numero binæ sunt glandulæ renales. Una scilicet utrinque. Figuram habent, æque ac molem admodum variam, nucis licet utplurimum juglandis majoris adinstar semidepressæ sint. Tanta nonraro suffunduntur pinguedine, ut ægre a Sectoribus eximantur.

Describitur succenturiatorum substantia.

Tunica foris amiciuntur perquam tenui, quæ soboles est peritonæi; quaque intercedente, proximis alligantur partibus. Substantia interior glandosa est, aut saltem videtur. Glandulæ componentes laxe sibi invicem injunguntur vasculis intermediis, sanguiferis præcipue, quæ a variis effunduntur ramusculis emulgentibus; necnon etiam a plexu quodam nervoso, qui, sese producens a nervis intercostalibus, interiorem succenturiatorum subit substantiam, varie implicitus.

Succenturiatorum usus.

Cavi intus sunt renes succenturiati. Hinc vocantur capsulæ, suoque cavo humorem continent plerumque atrum nonnihil oleaceum; qui a glandulis, ni fallor, minimis componentibus insudans in venas defluit emulgentes; si fides tamen habenda est Dionysio Gallo Sectori inclyto, qui valvulam detexisse scripsit in cavo capsularum, ita ferme instructam, ut venas emulgentes respiciat. Cæterum, succenturiatorum genuinus usus, adhuc licet plane delitescat, veluti binæ glandulæ habentur, quarum ductus excretorii communes nondum liqueant. Affirmant alii receptacula esse, quæ aquas diureticas, sive acidulas proxime excipiant per minima quædam lymphatica, sive a stomacho, sive ab intestinis, sive a chyli capsula communi, sive a glandulis meseraicis; ut eas postmodum per alia vascula lymphatica, tametsi cor, & sanguinem non attingant, in vesicam urinariam immittant. At enim vero neque id quidem compertum habemus; ac, si manifesto constaret, fluida præfata diuretica sanguini nequaquam immisceri, existimandum potius ducimus, vel ab intestinis, vel a glandulis meseraicis, vel a receptaculo chyli per ductus quosdam chyliferos mesenterii peculiares, nondum tamen detectos, ad pelvim statim deferri.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quid sit urina, ejusque differentiæ.

PLura quamvis ex urina mature inspecta, ratione aut prosperæ, aut afflictæ valetudinis, haurire, ac dignoscere possimus, ut vel ipse docuit Hippocrates, falsum tamen est, solius urinæ examine, & morborum naturam, & quid intus aut prospere, aut improspere patiatur æger, num mas, num fœmina sit, num utero gerat, necne, & reliqua ejusmodi attingi posse, ut & inter Medicos quispiam olim commentus est. Quinimmo ea, quæ ex urina tantum desumuntur indicia, plurimum semper suspecta esse deberent; quæ & in sanis levi ex causa immutatur, & in morbis vel maximis neutiquam quandoque immutatur. Urina, uti monuimus, est *serum quoddam, sive recrementum sanguinis aquosum, tenue, salsum utplurimum, quod in renibus secernitur, atque a renibus per ureteres in vesicam descendens urinariam, foras tandem per urethram egeritur*. Duo præsertim in urina perpendere consueverunt Clinici: *liquorem* nempe, & *quicquid liquori inest*. In liquore perpendunt *consistentiam, & colorem*. Ratione consistentiæ *tenuis* modo dicitur, modo *crassa*, modo *neutra*. Ratione coloris modo *clara*, & *limpida*, modo *cænosa*, & *turbida* ob variam corporum extraneorum immixtionem, quæ urinam fœdant. Rursus modo dicitur *alba*, modo *pallescens*, modo *fulva*, *flava*, *rubicunda*, *cruenta*, *nigra &c.* Idque pluribus ex causis, de quibus infra dicendum. Adnotandum interim ex observationibus chymicorum, urinam turbari salibus saturatam alkalicis; claram evadere, eamque pellucidam, tum quum acidis immisceatur; rubicundam fieri, tum quum ratione phlegmatis plurima sunt, quæ in urina solvuntur, salia; eam desœcari, limpidumque sibi colorem aquirere, ubi salium quantitas imminuatur, & phlegmatis copia augeatur. Urinas præterea excernimus non semel oleosas; quod tum contingere solet, quum vel adeps fusus una cum urina in renibus excernitur, vel quum vesicæ parietes interiores, ac glandulæ irritatæ, contractæque uberiorem exprimunt mucorem, quo intus eadem vesica adversus urinæ acrimoniam delinitur. Humor enim præfatus solutus, ac fusus, atque urinæ ubique immixtus eo in casu urinam oleosam facit. Hinc ex prædicta urinarum varietate aliæ consurgunt penes Clinicos urinæ differentiæ, quas proinde complicatas appellant: urinam videlicet *tenuem albam: tenuem pallidam: tenuem flavam: crassam albam: crassam rubram: crassam nigram &c.* Ad hæc differunt urinæ ratione odoris; aliæ quippe nihil fere olent, aliæ parum; odorem aliæ expirant naturalem, graveolent aliæ, aliæ suaviter olent &c. Differunt insuper, quoniam quandoque aut cum sonitu, aut cum sibilo quodam eas mingendo emittimus, quandoque sine, modo parce, modo copiose, modo cum difficultate, modo libere, modo cum dolore, modo citra dolorem, modo guttatim, modo compressim &c.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES TUM AD PATHOLOGIAM, TUM AD PHYSIOLOGIAM SPECTANTES.

Quid sint urinæ contenta.

QUicquid urinæ inest, & cum urina excernitur, eique quodammodo commiscetur, id dicitur *contentum*; quod & per *accidens*, ut cum Scholis loquar, & *per essentiam* contingit. Per accidens est, quum præter naturam aliquid extraneum in urina continetur. Per essentiam, quum aliquid ab urina diversum aut in omnibus, aut in plerisque, tametsi sani sint, una cum urina egeritur. Urinæ contenta sive per accidens, sive per essentiam insint, trifariam ratione situs differre solent. Alia quippe sublimia deprehenduntur, quæ in summum, ut ita dicam, provecta genus quoddam levis nubeculæ compingunt. Alia circumferuntur in matula per regionem urinæ quasi mediam, & quodammodo per eam suspensa, *sublimamentum*, sive *suspensionem* conflant. Alia subsidentia urinæ *sedimentum* faciunt. In quo id maxime adnotandum venit, contenta præfata non æque locum, situmque suum semper servare; quum sedimentum ex. gr. altius interdum ascendit versus sublimamentum, interdum fundo penitus insidet &c.; item & sublimamentum, modo magis, modo minus a nubecula recedit; & nubecula urinæ quandoque prope tangit superficiem, quandoque ab ea nonnihil distat &c. Hæc utplurimum per essentiam urinæ insunt. Per accidens autem deprehenduntur sedimentum farinaceum, oleaceum, sanguis in grumos concretus, calculi, carunculæ, pus, vermes &c. Insuper per mediam quandoque urinam præter naturam innatare solent corpuscula quædam atomis volitantibus quamsimilia, staminibus, & pilis. Lateribus matulæ adhærescunt arenulæ, necnon etiam materia quædam tartarea, quæ ab urina secreta, in crustulas, sive in squamulas concrescit. In urina summa, in plano videlicet superiori, tria per accidens non semel occurrunt: bullæ nimirum, spuma, adeps fusus. Ad hæc provehuntur item non raro ad urinæ superficiem arenulæ quædam perquam tenues, quæ a graviori urina undique compressæ, ob levitatem suam necesse est, ut in sublime attollantur.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quo pacto congeruntur, & quid indicare solent urinæ contenta.

DE urinæ contentis id in genere pro Semiotice adnotemus oportet, quo magis, vel in ægris, contenta in urina sanorum similia esse, eo plerumque melius, & contra. Indicant quippe tum alimentorum, tum humorum satius coctionem confici. Sedimentum farinaceum ex Galeni sententia a sanguine consurgit crassiori, assato, carnibusque per ejus calorem inæqualiter consumptis. Squamosum, & furfuraceum a carne per ardorem febrilem intensissimum non æque combusta, atque adeo in squamulas lacera; id nobis credibile quamvis vix videatur. Hinc squamulas præfatas proficisci potius a scabie quadam vesicæ interiori autumabimus, ut ex cadaveribus sectis oculis non semel percepimus. Arenulæ, & calculi, terrestribus, crassis, tartareisque, quæ levi de causa in lapillos cogi possunt, urinam redundare significant particulis. Grumi sanguinis tubulos sanguiferos aut dehiscere, aut dis-

disruptos esse vel in renibus, vel in aliis partibus, qua fluit urina, denotant. Pus, sive sanies, renum, aut vesicæ abscessus, vel ulcus, nisi pus in aliis quandoque partibus collectum sanguini infundatur, ac in renibus separetur, ostendit. Carunculæ nihil aliud sunt, præterquam membranulæ quædam leves in ulceribus exedentibus ab humoribus acribus corrasæ, ac per urinam foras egestæ. Quum mucosa, crassaque pituita, veluti narium mucus in sedimento subsidens, & si cum dolore mingatur, indicium esse poterit aut calculi, aut lapidis, organa lædentis. Quæ citra dolorem excernitur, proficisci statuit Fernelius ex crudo renum, proximarumque partium ulcere, vel abscessu. Attamen Sennertus sobolem esse non raro decrevit cacochymiæ, & cruditatis humorum universalis. Vermes, materiam sordidam, & corruptam, sive in vasis, sive in aliis humani corporis recessibus cumulatam esse penes Priscos ostendunt. Stamina filorum adinstar tenuja, pili, membranulæ, aut squamulæ, araneorum telis non absimiles, quas in urina fluctuare non semel cernimus, nihil aliud sunt fortasse, nisi humor quidam crassus, varie congestus, concretus, extenuatusque, ac per tubulos renum capillares immissus. Bullæ consurgunt ob particulas quasdam aereas, leves, & ut ita dicam volatiles, quæ, quum in plano urinæ sublimiori subire, ac vincere nequeant renixum pelliculæ cujusdam perquam tenuis, pellucidæ, quæ in urinæ superficie condensatur, eam hic, atque illic in bullas minimas attollunt.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quomodo, & quare secundum naturam variare possunt urinæ.

ADmodum, & in benevalentibus, variare solet urina ratione temperamenti, ætatis, sexus, anni temporis, somni, vigiliarum, motus, animique perturbationum &c. Qui calido præditi sunt temperamento urinam colore utplurimum magis saturatam emittunt, tenujorem quamvis, & sine sedimenti copia. Hæc non semel pro sedimento *anecrema*, sublimamentum videlicet præsefert. In frigidis contra clarior apparet, cruda, item & sine sedimento. Urinam excernunt pueri albam, crudam, crassiorem, contentis plurimum quandoque saturatam. Juvenes coloratam, tenujorem, ac defœcatam. Interdum tamen evenit, ut ob recrementorum copiam in juvenibus coinquinetur urina; quo in casu crassior, nec non etiam cœnosa egeritur. Qui mediæ sunt ætatis, medias quoque, ut ita dicam, excernunt urinas. In maribus colore magis adhuc saturatur, tenujor est, limpidior, quam in fœminis; quæ urinam plerumque mingunt crudam, crassam, pallentemque, & contentis redundantem. Plurimum in gravidis, mensibus suppressis, quamsæpissime variat. Vere medio, item & medio autumno, quo ab æstate minus recedit annus, magis intenditur urinæ color, crassior evadit, atque imminuitur. Æstate colore intensius adhuc saturatur, adhuc tenujor evadit, & adhuc magis semper imminuitur. Autumno imminuitur color, crassiorque fit urina. Hyeme in omnibus ad statum suum optimum propius accedit. In Regionibus calidis tenujor est, magisque colora-

lorata cum sedimento mediocri, quinimmo & perpauco. In frigidioribus optima est, atque in debita quantitate, & potius exuberat; quoniam cute stipata, quicquid per cutis spiramenta excerni debet, in urinam transit. Cibus, item & potus prætermodum variare solent urinam, & reliqua, de quibus ulteriora recensere haud inclinat animus, quum de iis universis experientia, & usus plura docebit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quicquid observandum sit urinam inspicienti.

EX urinis, quæ mox a pastu ingesto emittuntur nihil propemodum haurire possumus, quod sive prosperam, sive afflictam sanitatem indicet, tum quum maxime potiones præcesserint largæ. Iccirco satius est, in corporibus sanis urinam inspicere, quæ non procul a tempore matutino, absoluta nempe alimentorum coctione, egeritur. In morbo autem affectis, & potissimum febrientibus eam sub finem accessionis inspicere oportet. Observandum quoque, num quid prius deglutitum sit, quod urinam immutare valuerit. Ad hæc nullum ex urina judicium ferre debemus, nisi ea subsederit, & locum, situmque suum in matula sibi comparaverint contenta. Neque aeri eam expones frigido, neque calido, subdio præsertim vase adaperto, eoquod levi ex causa variare possit. Hæc sunt, quæ præ cæteris inspicere, ac mature perpendere debemus, ad morborum causas, diagnosin, & prognosin probe elicienda, acriter in urina inquirentes. At nemo sibi suadeat, per urinam tantum inspectam omnia in affectionibus dignoscere, & prædicere posse; quum plura sint profecto, quæ, vel in sanis, variare præter naturam possint urinas; quæ in morbis, etiamsi maximis, nec vel minimum interdum immutantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quare calor extrinsecus, urinam frigore immutatam, ad statum suum naturalem restituat.

EOrum non modo, qui morbo laborant, verum etiam qui optime valent, urina, frigoribus præcipue hyemalibus, nisi aliquo saltem calore jugiter foveatur, brevi turbata, ex limpida, ac defœcata, in opacam, crassiorem, undique cænosam, & quasi purulentam convertitur. Id porro evenire arbitramur, quoniam pars sulphurea, oleosa, sive adiposa, quæ, tepente urina, uliginis ad instar glutinosæ fusa, ubique locorum per urinam, æque ac promiscue longe, lateque effundebatur, frigore extrinsecus superveniente, densata concrescit, crassioresque compingit moleculas; quæ eamdem specificam, ratione ejusdem urinæ, levitatem nactæ, undequaque per urinam evagantur, eamque turbant, & quasi corrumpunt. Enim vero urinam, ita, ut ante diximus, frigore immutatam, fœdatamque, lento cinerum, sive aquæ tepentis calori, aut alio quovis pacto igni apponito, & observabis ilicet, fusa iterum, pinguedine, pristinum in urinam colorem, pristinamque puritatem, ac limpitudinem reverti.

CAPUT III.

De Nephritide.

Definitio. NEphritis penes Clinicos, vox licet fuerit admodum semper ambigua, crebrius tamen ad denotandos renes inflammatos usurpata videtur; in quo sensu vel ab ipso Galeno acceptam invenimus; qui *renum inflammationem esse* protulit *cum dolore vehementi &c.* Nos itaque, non aliter, quam ipse fecit, nephritidem describendo, eam dicendum ducimus, *renum inflammationem esse, quæ febrem proinde ardentem excitat, dolores perquam acutos, vomitum nonnaro, & reliqua incommoda: quæ sive proxime, sive remote ex renibus affectis procedunt.* At enim vero, quoniam nephritis pro quolibet incommodo, quod cum dolore, aut in renibus affectis, aut per renes affectos in aliis partibus suscitetur, licet ab inflammatione prorsus immunes sint renes, passim usurpetur, nos talem nephritidem, quæ vel cum febre non succenditur, vel febris succensa ardens non est, eam aut simplicem nephritidem, aut nephritidem citra inflammationem appellabimus.

Diagnosis. Indicia renis itaque inflammati sunt: febris ardens, dolor acutus, qui a renibus quandoque per ureteres ad vesicam descendens, a partibus supernis ad infernas quasi deferri videtur: decubitus in dorsum difficilis, mictio adurens, interdum frequens, ac vehementer excrucians, cruris stupor, vomitus, & reliqua. Quinimmo urina quandoque supprimitur, ut vel idem notavit Hippocrates: ideoque ex Ettmulleri sententia, sanguis, qui renem affectum permeare libere nequit, ad renem non infectum uberior confluit; ibique ob ingentem redundans copiam, viam quodammodo sibi præcludit, efficitque, ne lotium mature secernatur.

Causa. Renum inflammatio, modo ab iisdem provenit humoribus, qui renum substantiam irrigant, ac in tubulis consistunt, effervescunt, atque incenduntur; modo ab eadem urina, quæ, utpote acris, renum membranas mordicat, easque inflammat; modo a calculis, qui aut pelvim lædunt, aut renum substantiam ab interioribus ad exteriora impellendo, eam comprimunt, atque adeo præstant, ut humores in vasis stagnent, atque inflammationem foveant.

Prognosis. Nephritis ex inflammatione peracuta affectio est, atque adeo periculi plena. In macilentis, & præcipue cum delirio pene semper lethalis. Lethalis item si femora, & crura plurimum extenuata contabuerint; ac si urina, quæ excernitur, tenuis sit, & perexigua. Solvitur quandoque fluxu superveniente, in maribus ex hæmorrhoidibus, ex pudendis in fœminis. Non semel in abscessum conversa ulcus progenuit, quod hecticam fecit.

Curatio. Renum inflammatio non secus, ac reliquæ viscerum inflammationes, tractanda erit. Iccirco ea omnia, quæ ad pleuritidem discutiendam in præcedentibus proposuimus, & hic ratione tum diætæ, tum pharmaciæ, tum chirurgiæ proponenda existimavimus. Sanguis ex partibus infernis bis, ter, & quater eductus, præsenti, aureoque nephritidi evincendæ fuisse præsidio non semel vidimus.

Hi-

Digitized by Google

Historia I.

Quicquid, nephritidi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

MArcus quidam Cato, senex annorum sexaginta circiter, temperamenti calidi, & humidi, habitusque plethorici, qui bonis artibus, honestisque rationibus opes plurimas sibi comparavit, ac proinde multis ab illinc annis laute vesci solitus. Mense Augusto podagra prius, ac lithiasi postmodum tentatur. Quamobrem tum quum pedes non procul a malleolo dolore acerrimo utrinque torquentur, dolor circa lumbos, & præsertim e latere dextero, perquam acutus excitatur; qui tametsi plane infixus videatur, deorsum identidem ad crura extenditur. Vomitum concitat, & testes quandoque ita convellit, ut quasi attracti ad penis radicem inhærescant. Urinas, quas egerit Cato, sunt perexiguæ, incoctæ, pertenues, ac pene lymphaticæ. Pulsus durus est, contractus, & propemodum febriens. Impense sitit. Irrequietus hinc, atque illinc exagitatur, conqueritur, intorquetur, angitur. Et quoniam quicquid ei propinatur evomendo rejicit, nihil aliud, præterquam fotus emollientes, inunctiones, & clysteres eatenus adhibere potuimus. Attamen, alvo tandem soluta, ac quiescente vomitu, jusculum emolliens cum oleo amygd. dulc. recenti, ita, ut legitur in A, statim sumendum præscripsimus. Oleum vix deglutivit, quum statim rejecerit. Quia autem magis adhuc symptomata ingravescebant, & præsertim febris augebatur, ne pars inflammatione incenderetur, saphena soluta, libram circiter sanguinis eduximus. Sanguine imminuto, nonnihil obdormivit. Expergefactus multo se melius habere sensit; ac oleo, ut antea iterum ingesto, blando captus sopore ad horam, & ultra redormivit. At doloribus experrectus vehementius torquetur; & nihilominus, vomendi nisu sedato, laxatur alvus, ac una cum fæcibus maxima urinæ copia egesta, dolor lateris omnino evanuit. Urina erat cænosa, & glans penis, quoties urinam excernebat, toties acriter subinde pruriens calculum ex rene in vesicam delapsum indicabat. Enim vero non multum post una cum plurima urina mingendo, & calculum magnæ molis, asperum, inæqualem, ac subrubrum exclusit.

A ℞. *Ol. amygd. dulc. rec.*, & *s. ign. extract. unc. iv.*, *syr. de alth. Fernel. unc. ii.*, *aq. cinnam.*, & *flor. aurant. ana unc. j. M.*, & *cap. in jure ut m.*

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quomodo distinguitur nephritis a cholera.

NEphritis, præsertim ex calculo, colicam facile mentitur, a qua tamen utplurimum distat, eoquod in calculis, uti monuimus, eidem pene semper regioni dolor insedeat. In colica vagatur. Ulterius vel ab initio in vera colica turbatur urina. In calculis clara esse solet. In colica præterea, aut numquam, aut raro admodum stupefiunt crura &c. quæ quidem omnia, ne decipiamur, diagnosi mature perquirenda veniunt. *Diagnosi* diximus *; cæterum eadem medica præsidia, quæ ad nephritidem evincendam conveniunt, æque ad colicam coercendam apprime conducunt. At si calculus ex renibus ad vesicam delapsus in cavo vesicæ commoretur, tum urethra plerumque prurit, & glans acriter præ-

præcipue, postquam urinam egesserit, quum calculus imprimis magnæ sit molis, atque asperam habeat superficiem. Idque, uti ante jam innuimus, ob tunicam vesicæ nervosam interiorem, quæ sensum habet acerrimum; quæque per glandis foramen oblongum in maribus producta reflectitur, ac per ambitum glandis exteriorem universum explicatur. Lapis insuper ab uno quandoque in alterum manifesto irruens latus, & ingentem renovat molestiam, atque urinæ defluxum inter mingendum quandoque intercipit; quinimmo, & tubulis sanguiferis interdum disruptis, mictum provocat cruentum, necnon, & ulcere inducto, purulentum.

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit lithiasis, & quid in ea curanda præstare conveniat.

NUllus neque meatus, nulla neque capacitas, experientia, usuque docentibus, adest in corpore humano vitam habente, in qua ex humoribus aut stagnantibus, aut præterlabentibus subsidere nequeant particulæ quædam terrestres, sive tartareæ, quæ in massam concretæ moles majores compingant, ac in calculos, sive lapillos consistant. Id in renibus potissimum, & crebrius observamus; eoquod lotium, quod per renes a sanguine secedit, in pelvi aliquantulum commoretur, ibique moleculas majores, gravioresque, atque asperas submittat; quæ congestæ calculos procreant. Calculi vel ex pelvi per ureteres in vesicæ capacitatem immittuntur; vel in eadem pelvi majorem subinde molem nacti, ad tantam demum magnitudinem non raro pervenerunt, ut renes non modo ultra mensuram distraxerint, verum etiam & eorum substantiam plane consumpserint. Tum quum in vesicam delapsi mature non egerantur, ibi quoque tantum in dies sibi comparant incrementum, ut ex calculis lapides facti vesicam misere torqueant. Ex incommodis, quæ corpori humano viventi inferre solent calculi, ea consurrexit ægritudo, quæ græce *Lithiasis* nuncupatur, idest *calculi morbus*. Unde calculi per vulnus inflictum extractio, *Lithotomia* dicitur, ut & Professor, qui perinæo, ac collo vesicæ sectis, aut alio quovis pacto calculum eximit, *Lithotomus* appellatur; non secus ac res ingestæ, quibus calculos infringendi facultatem imperitorum vulgus adscribere consuevit, præsidia *lithontriptica* nuncupantur. Calculum renibus inesse indicant: dolor, qui lumbis infixus eam regionem afficit, acutus autem per ductum ureteris ad regionem pubis quasi productus: urina tenuis, limpida, ac perexigua, quæ non semel cruenta evadit, quod tum contingit, quum calculus tubulos laceraverit sanguiferos: nausea, & vomitus, qui modo bilem, modo pituitam, modo urinam sapit. Ad hæc ejusdem lateris, in quo renum versatur dolor, tum quum maxime subire ureterem calculus enititur, stupefieri solet crus, ob affinitatem, quam, nervis intercedentibus, habent cum renibus, partibusque proximis musculi crurum motibus inservientes. Materia, quæ calculos compingit, nihil aliud esse, ut ante jam innuimus, videtur, quam congeries minimarum arenularum, quæ a sero sanguinis in renibus secedunt, ac in substantiam prope lapideam cohærent. Lithiasis, ratione sympto-

ptomatum, quæ inferre solet, neutiquam citra periculum haberi debet; tum potissimum, quum aut inflammationem, aut ulcus fecerit; in senibus maxime, in quibus curationem vix ullam admittit. *Renum, & vesicæ vitia in senioribus difficile sanantur*: ex Hippocrate. (a). Quo friabilior est materia, quæ calculum compingit, eo melior; facilius quippe conteri valet. Si, febre succensa, frigeant extrema, facies palleat, sudor fundatur gelidus, cum extremo virium lapsu, ac pulsu, ut inquiunt, *formicante*, id mortem proximam denotare semper consuevit. Morbum contra solutum iri præcinunt urinæ cænosæ, crassæ, ac oleosæ, quæ calculi egestionem anteire plerumque solent; quæque iccirco calculum e loco moveri significant. Lithiasi obnoxii pingues magis, quam macilenti sunt; mares, quam fœminæ; quæ propter ampliores, breviorescque meatus sabulum calculosum facilius egerunt. Ut optime curetur lithiasis respiciendus est æger in paroxysmo, ut morbus præsens solvatur; & extra, ut ab imminenti arceatur. In paroxysmo lubrica, quinimmo & laxa sit alvus oportet. Clysteres itaque crebro submittantur emollientes, eluentesque. Propinetur oleum recens. Optimum est quoque electuarium lenitivum, mel violatum solvens, cassia recens &c. Potiones tepentes conveniunt, item & copiosæ; quibus, ut in urinam facilius transeant, syrupos idoneos, violatum nimirum violaceum, de althea Fernelii, de terebinthina, iisque similia addere quoque poteris. A fortioribus caveto, uti sunt spiritus vitrioli, salis, succus cæparum, raphanorum, pulveres diuretici millepedum, lumbricorum &c. cinis fabarum, genistæ, & reliqua ejusmodi, quæ pro eo quod semel juverint, centies noxam adhuc majorem intulerunt. Inter exteriora conveniunt fotus emollientes, cataplasmata, semicupia, item & balinea, quæ & dolorem leniunt, & quoniam urinam blande provocant, calculos quoque leniter pellunt. At ubi calculus ex renibus in vesicam delapsus tantam sibi molem acquisiverit, ut urethram ingredi nequeant, tum melius est nihil interioribus movere; & quum res eo devenerit, ut semel mori, quam quotidie moriens dies miserrimos protrahere, expediat, tum peritissimo lithotomo se tradat æger, ut calculo sectione extracto, quicquid hisce in casibus deploratis extrema valeant remedia, experiatur. Extra paroxysmum in victu præsertim opera danda est, ne iis vescatur æger, quæ tartaro scatent. Vini usus omnino interdicatur; abstemii quippe longe minus, quam œnopotæ lithiasi laborare consueverunt. Dapes crassæ, glutinosæ, plurimum salitæ maxime nocent. Potiones prosunt tepentes identidem haustæ. Ut alvus rite respondeat curetur. Motus convenit. Cæterum ea, quæ urinam ciunt, quæque proinde *diuretica* nuncupantur, leniora quantumvis sint, iis, qui calculis laborant, plurimum semper offecisse observavimus.

(a) *Sect.6. Aph.6.*

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid præstandum erit, quum calculus renes affligit.

QUum calculus renem affligit, nihil aliud præstare debebis, nisi ut quamprimum a renibus excludatur. In quo tamen ægrotanti perperam consules ea medendi methodo, qua, ut quamocissime calculum eximas, ad fortiora præsidia confugies. Ea quippe tum irritando, tum valide impellendo, tum majorem ad renes colluviem derivando morbum utplurimum exasperant. Quinimmo & urinæ defluxum omnino quandoque comprimunt, renes acrius torquent, viscera vehementius convellunt, & mortem nonraro præmaturam accersunt. Tutius igitur visum nobis semper fuit, quæ diluunt, emolliunt, ac blande impellunt hisce in casibus dumtaxat præscribere: aquam nimirum tepentem, juscula aut insulsa, aut vix salita, decoctiones malvarum, violarum, oleum recens, hisque similia; quæ alvum leniter laxant, urinas blande movent, & meatus lubricos faciunt, & nihilosecius, si morbus adhuc pervicax restiterit, non modo fotus, atque ejusdem generis enemata; verum etiam semicupia, & balinea, aut ex oleo, aut ex dydrelæo, optimo cum successu non semel proposuimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit mictus cruentus, & purulentus.

MIctus cruentus a calculo aut vesicam, aut renem lædente non modo originem ducit, verum etiam ab humoribus pravis, qui vel cum sanguine aut renum, aut vesicæ substantiam præterfluentes, vel cum urina secreti vasa erodunt sanguifera; quæ ita exesa, si aut ulcus sordidum, aut abscessum fecerint, tum efficiunt, ut sanies mingatur. Hinc mictus, qui sive *cum sanie*, sive *purulentus* dicitur. Cruentus autem, in plethoricis maxime, ex redundante sanguine, qui tubulos laxat sanguiferos, quandoque movetur. Tum fieri dicitur ex plenitudine, neque tantum habet periculi. Cæterum cruentus ex qualibet causa, modo simpliciter cruentus sit, melior est, quam purulentus, mitior, & facilius sistitur. Non est tamen, quod tum, quum exuberet sanguinis effluxus, & hydropem, & tabem, & necem numquam non accerset. Purulentus ea, quæ ex ulcere humores inficit, sanie, hecticam utplurimum fovet, & atrophiam inducit. In quo tamen quicquid tradidit Hippocrates sedulo adnotare oportet. *Si quis*, inquit Senex, (a) *sanguinem, & pus mingat, id vel vesicam, vel renes denotat exulceratos. Quibus cum urina crassa carunculæ parvæ, aut veluti capilli una exeunt, iis a renibus excernitur* (b). *Quibus cum urina crassa, furfuracea quædam simul exeunt, iis vesica scabie laborat*

(a) *Sect. 4. aph. 75.*

(b) *Sect. 4. aph. 76.*

borat (a). *Quicumque sponte sanguinem mingunt, iis a renibus venula rupta significatur* (b). *Si quis sanguinem in grumos mingat, aut urinam guttatim emittat, & dolorem sentiat ad ventrem imum, ad vesicam labor est* (c). *Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas per urinam ejiciat, & gravis adsit odor, vesicæ indicant lacerationes, & ulcus* (d). Ut mictus cruentus sistatur, quum ex redundante sanguine provenit, & tenui victu, & venam solvendo sanguinem redundantem opportune minuito. Quum ab humoribus acribus, atque erodentibus, eos diluito; quo in casu aquas præcipue bolosas tum intus, tum foris, & reliqua omnia tum emollientia, tum aliquantulum adstringentia, quæ ad hæmoptysin comprimendam proposuimus, & hic quoque commendamus. Ut purulentus curetur, ea adhibeto, quæ ad phthisin extenuandam jam ante recensuimus. Conveniunt proinde, nisi tamen adsit febris, balsamina imprimis, terebinthinata, decoctiones, atque infusiones resinosæ, de quibus in superioribus verba fecimus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit Terebinthina, ejusque usus, atque abusus.

TErebinthina, quæ, aut *veneta*, aut *cypria* vocitatur, quæque renum, aut vesicæ ulceribus extergendis plurimum sane confert, nihil aliud est, quam *resina*, sive *humor resinosus*, qui ex arbore quadam, quæ *terebinthus* dicitur, extillat, vel ejus cortici concretus inhærens, vel extrinsecus colligitur defluens, atque inspissatus. Veneta vocatur, aut cypria, quia melior ex Cypro Insula per Venetias ad nos transvecta in usu medico præscribitur. Hæc pluries lota, vel in pillulas, digesta, vel in syrupos extenuata propinari solet. In syrupos extenuata, & elegantior est, & multo minus eam fastidimus, & blandius agit. Cum melle hispano ingesta, ut non semel & ipsi experti sumus, non tantum in prædictis affectionibus, verum etiam in phthisi ex ulcere, in gonorrhœa inveterata, & in abscessibus mesenterii mirifice prosuit. Præterea ea lege parata, obstructiones reserat, urinas, & calculos egerit, atque mulieribus menses aut compressos, aut præclusos, aut interceptos, aut qualibet alia ex causa deficientes provocat, tum maxime, quum rhabarbarum hisce in casibus ei adjeceris. Dosis ejus absoluta est a drachma, ad duas. Syrupus de terebinthina ab uncia, ad duas circiter, & ultra, si id exigat circumstantiarum ratio, præbere poteris. De terebinthinæ usu id in genere adnotabis, eam primo cum ovi recentis vitello intime solvi, atque immisceri; ideoque cum vitello prædicto deglutita facilius digeri, & ulterius per vasa provehi; secundo, eo, quo pollet, balsamo, calefacere, sanguiguinis æstus augere, & spiritus concitare. Hinc quandoque inebriat, cerebrum turbat, nervos afficit, vertigines provocat, capitis molestias suscitat, & hæmorrhagias movet. Quapropter in febribus, in hæmopthysi, in affectionibus capitis eam pene semper nocuisse observavimus. Quinimmo ejus abusus & in ipsa gonorrhœa, ut deinceps fuse dicendum, mictum cruentum interdum lethalem fecit. Formulæ, quibus id

(a) *Sect.* 4. *aph.* 77.
(b) *Sect.* 4. *aph.* 78.
(c) *Sect.* 4. *aph.* 80.
(d) *Sect.* 4. *aph.* 81.

id præsidii genus nobis hactenus præscribere placuit, sunt quæ insequuntur.

℞. *Terebinth. Cypr. pluries lotæ aqua violar. drach. ij., pulver glycirrhyz. q. s., M. ref. pill. S. A. & cap.*

℞. *Terebinth. Cypr. plur. lotæ drach. j., succin. præp. drach. ss., rhabarb. elect. in pulv. redact. scrup. j., cinnam. opt. scrup. ss., M. f. pill. S. A., cap. ut m.*

℞. *Terebinth. Cypr. plur. lotæ drach. ij. solv. sufficienti quantitate ovi recentis vitelli, & adde mell. hispan. unc. j. cap. ut m.*

℞. *Syrup. de Therebinth. S. A. parat. unc. j. cap. ut m.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit aqua Villensis, & aqua calcis vivæ.

Ulceribus tum renum, tum vesicæ detergendis tria potissimum in Praxi medica admodum idonea censentur: *aqua tetutiana, villensis, & calcis*. De tetutiana jam ante verba fecimus. De villensi, & de aqua calcis paucis hic tantum dicendum. Aqua villensis est aqua quædam fossilis, barbare *mineralis*, quæ ferrum, alumen, & sal paululum redolet, ac sapit. Hæc natura ex fodinis suis in amœnissima quadam Hetruriæ Villa non procul a Luca consurgit nonnihil tepens, cui non injuria extergendi virtus adscribitur. De ea marmoreus lapis hæc prope fontem insculpta intuentibus objicit, quæque inter cæteros Andreas Bacci de Thermis (*a*) retulit, *Confert cunctis capitis membris, curat omnes stomachi morbos, appetitum excitat, digestionem conciliat, vomitum restringit. Sanat cuncta hepatis vitia; hepatis, ac venarum oppilationes aperit, colorem optimum facit. Confert passionibus splenis, sanat ulcera pulmonis, mundat venas, lapidem comminuit, arenulas prohibet. Macros impinguat, lepram curat non confirmatam. Bibita antiquas febres expellit, matricis vitia clysterizata juvat, toto corpore ulcera sanat. Triginta lavantur diebus qui ea utuntur, octo vel decem bibitur, purgatione præmissa*. Num ea tamen omnia credere fas sit necne, id sapienti, nec facile credulo Lectori judicandum relinquimus. Certum est, renibus extergendis, ulceribus interioribus mundificandis, obstructionibus universis reserandis, sordibus tam ventriculi, quam intestinorum discutiendis aquam villensem opportune haustam plurimum sane semper contulisse. Propinanda est tepens, alvo prius extersa. Propinatur utplurimum una cum blandiori vehiculo, sive ex melle præparato, sive ex cassia, sive ex tartaro, hisque similibus. Ad libras duas, tres, aut quatuor adultis præbetur. Alvum, & urinam placide cit. In lecto recumbat, qui aquam villensem, non secus ac reliquas aquas abunde epotas, tutius excernere velit. Lenius, ac tutius, quam aqua tetutiana, villensis agit; & quum eam per renes potius, quam per alvum derivare quis cupiat, pro vehiculo aut syrupum violatum violaceum, aut de althea Fernelii, aut mel terebinthinatum ad uncias aliquot adjiciat. Aqua calcis est aqua communis per extinctionem vivæ calcis parata. Calx viva non modo ex silicibus, verum etiam ex ustis testaceorum conchis in usum medicum conflatur. Talis aqua, ratione quantitatis calcis extinctæ,

(a) *Lib. 6.*

ctæ, & fortior, & mitior evadit. Eam ita, uti legitur in A, parare consuevimus; quam tuto, optimoque cum successu ulcere interiori tum renum, tum vesicæ, tum intestinorum, tum pulmonis contabescentibus non semel propinavimus. Placidissime, quin vel minimum intus conturbet, labem contractam discutit, ulcera detergit, humores pravos corrigit, urinam, & sudorem non semper, sed raro, eaque perquam blande movet. Cum melle hispano, ut legitur in B, frequens hausta obstructiones pervicacissimas, fluores mulierum albos, chloroses, & gonorrhœas virulentas quamsæpissime penitus evicit. Deleboe Sylvius (a) *Calx viva ex ustis silicibus, vel conchis parata, nulli prudenti Medico amplius metuenda, sed lixivii forma in pluribus affectionibus, felicissime usurpanda.* Willisius (b) *Aquam calcis vivæ ter in die ad uncias quinque, vel sex sumendam præscribere visum erat; quo remedio per quatriduum usus, urinam in quantitate modica bene tinctam, & non nihil salsam reddebat, & quo ad reliqua fere sanus, uti olim fuerat, videbatur.*

A ℞. *Calc. vivæ unc. ss., aqu. comm. libr. j. M., æstuet de more, colet. pro usu ut m.*

B ℞. *Calc. vivæ ex ustis testaceor. conchis unc. ss., aq. com. unc. viij. M., æstuet de more, & adde mell. hispan. unc. ij. Colet., & cap. quot. in Aur., ut m. Loco mellis optimo cum successu additur quoque aut sp. de terebinth., aut mel terebinthinatum.*

(a) *Prax. Med. lib. 1. cap. 6. §. 14.*

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quid sit ischuria, dysuria, & stranguria.

INter cætera, quæ humano corpori vitam habente moliri solent non minima incommoda, renum, ac vesicæ, aliarumque partium ulcus, & inflammatio, nec non etiam calculi, occurrunt *Ischuria*, *Dysuria*, *Stranguria*. Iscuria penes Clinicos est, quum *urina supprimitur*, sive *diu*, *antequam egeratur*, *continetur*. Dysuria, quum *urina cum labore*, *aut difficultate egeritur*. Stranguria, quum *guttatim excernitur*; qua de re stranguria & *urinæ stillicidium* passim appellatur. Affectiones præfatæ a calculis modo fiunt, qui tum in renibus, tum in vesica urinaria præcludunt urinariæ defluxum, ac organa lædunt; modo aut a sanie, aut a sanguine in grumos concretis; modo ab ipsa urina, quæ, utpote acris, membranas, & musculos mordicando, meatus convellit, eosque contrahit; modo a paralysi quadam, qua aut vesica, aut renes, aut musculi adjacentes resoluti, libere contrahi nequeunt, ut lotium a sanguine exceptum urgeant, & exprimant. Triplex ejusmodi affectio in Senibus, eoquod plerumque vel a læsione organica, vel a paralysi procedat, ut plurimum insanabilis est; tum maxime, quum vel supervenerit tenesmus, vel odorem urinæ, veluti ex naribus consurgentem, ægroti fastidiverint. Stranguriam, quæ renibus fit exulceratis, deploratam censemus; non adeo neque contumax, neque periculi plena, quæ ab ulcere urethram

(b) *Pharm. rat. par. 1. Sect. 4. ubi de diabet in hister.*

thram exedente in gonorrhœa præsertim provenerit, esse solet. De hac Hippocrates (a) *Urinæ stillicidium, & mingendi difficultatem solvit vini potio, & venæ sectio; incidere autem oportet interiores*. De auxiliis, quæ hisce affectionibus clinice præstanda sunt, ea, quæ superius innuimus, dixisse abunde sit.

CAPUT IV.

De Diabete.

Definitio, & Diagnosis.

Diabetes, quæ vulgo & *hydrops ad matulam* nuncupatur, *matellæ dydrops*, & *dipsacos*, idem pene sonat, ac si urinæ profluvium dixisses. Nihil aliud est sane, quam *ex frequenti, copiosoque mictu corporis universi macies, sive tabes*. Quoniam autem in diabete mingendo potulenta paulo prius ingesta, nec prorsus immutata, quandoque egeruntur, quandoque in urinam conversa, hinc fit, ut duplex habeamus diabetis genus, *vera*, & *notha*. Vera prior, altera dicitur notha.

Causa.

Ex quibus diabetis extant indicia, æque ac diversitas. Causas, quæ diabetem faciunt, quamplurimas afferre possumus. Omnes tamen aut in organis læsis, aut in humoribus pravis extare videntur. Diabetes fit organorum vitio, tum quum aut renum laxata structura, serum facile a sanguine secedit, & loco seri potiones quandoque paulo pridem ingestæ nihil prorsus immutatæ; aut, sphincteribus resolutis, libere profluunt. Fit humorum labe contracta, tum quum potulenta vel indigesta serum nimium procreant, vel cito nimis, & antequam in serum adhuc convertantur, excernuntur.

Prognosis.

Diabetes, cujuslibet sit generis, curatu semper difficilis erit. Notha minus, quam legitima. Senibus pene semper lethalis. Pueris temporis processu plerumque sistitur.

Curatio.

Ad diabetem organicam eximendam, si a nimia organorum laxitate provenerint, ea conducunt, quæ blande adstringunt. Hujusmodi sunt aquæ omnes, quæ bolo scatent, decoctiones, quæ vulnerariæ dicuntur, hederæ videlicet terrestris, pimpinellæ, florum hyperici &c. Conveniunt item & chalybeata, rhabarbarum torrefactum, coralia præparata, hisque similia. Si a sphincteribus originem duxerit paralysi resolutis, ea adhibenda sunt, quæ paralysi evincendæ inserviunt, de quibus sermonem pridem habuimus. Si ab humoribus pravis, vitio potissimum digestionis intus cumulatis, ea propinare juvat, quæ ad extenuandas ventriculi, intestinorumque ægritudines in præcedentibus proposuimus.

Historia II.

Quicquid, diabeti medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

Herophilus vir quidam non ignobilis, annorum triginta circiter, habitus plethorici, viribus constans, ad eximendam, quam ex impuro concubitu olim Romæ contraxerat, labem, mercuriales inunctiones in Montem Pessulanum, vulgo *Mompellier di Francia*, profectus sibi adhibuit. Luem celticam, quantum potuit extenuavit mercurius, ptyalismum autem, qui ad menses plures confluxit, inducens. Ptyalismo adstringentibus quibusdam compresso, diabete Herophilus tandem noster prope contabuit; ma-

(a) *Sect. 7. aph. 48.*

maximam quippe non coctæ urinæ copiam, dies, noctesque sitiens, languens, cibosque fastidiens, egerebat. Et, a febre tametsi prorsus adhuc esset immunis, squalens tamen, exsuccus, atque excarnis adeo in dies consumebatur, ut ad maciem jam extremam devenisset, nisi ex Gallia in Urbem reversus nobis se statim tractandum commisisset; qui talem diabetem ex ea, quam in humoribus mercurialia induxerant fusionem, abunde conjicientes, nihil aliud præstitimus, quam optima vivendi constituta ratione, auro in folia extenuato, ac bis in die cum lacte, ut legitur in A, ingesto, tam diræ diabetis causas subducere; quas profecto, dierum quindecim tantum intercapedine, ea, quæ insequitur methodo, plane sustulimus. Mensis erat Septembris, quum Herophilo mederi suscepimus. Et is, uti ante jam diximus, inter cætera incommoda, & nausea laborabat. Ad vires iccirco pene confractas quodammodo substinendas, ut una cum lacte & optimam chocolatam sorberet, effecimus; quemlibet interim alium victum, præter sorbitiones infusionis radicis chinæ per extinctionem auri candentis, ita ut est in B, paratæ, creberrimas, prioribus tribus diebus interdicentes. Mox & jusculum, ita ut legitur in C, medicatum horis congruis quotidie præbuimus. Postremo præter jusculum, quoniam & cibos avide appetere cœperat, etiam fercula ex herbis antiscorbuticis in jure vitulino cum ovorum recenti vitello propinavimus; quibus tandem refectus, non modo diabetes cessavit, verum & carnem sibi induit, & optime convaluit.

A ℞. *Ocul. cancr. præp.*, *coral. rubr. præp. ana drach. j.*, *lact. Capr. unc. viij.*, *aurei foliacei folium j. M.*, *& adde optimæ chocolat. unc. j. solv. exag. S. A.*, *& cap. bis in die loco prand. & cœn. ut m.*

B ℞. *Radic. opt. chin. drach. ij.*, *cinnam. opt. drach. ss.*, *aq. comm. lib. iij. M. f. inf. cin. calid. per hor. xij. circit.*, *in qua postmodum ter*, *aut quater*, *aut quinquies optim. aurum candens extingue. Colet.*, *& adde mell. hispan. q. s. ad gr. sap. pro potu quotid. ut m.*

C ℞. *Folior. coclear. pimpinel.*, *borrag. ana q. s.*, *jusculi gallin. opt. pariter q. s. Decoq. S. A.*, *& adde panis optim. tritic. unc. iii.*, *decoq. pariter*, *col.*, *f. f. express.*, *in qua solv. ovi vitellum recens*, *cap. hor. congr. ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

De auri usu in re medica.

De auro, inter fossilia metallo sane durissimo, lucidissimoque, quod *Sol* proinde a chymicis dicitur, ab aliis *metallorum Rex*, plura, quæ nec rationi, nec usui quidem cohærent, scripta nobis hactenus tradita sunt. Plura dictitant, qui in clinice facienda, circulatoria verbositate, ac subdola usi calliditate, & vulgo imponunt, & facultatem medicam flagitiis, atque ignominia nobilitant. Aurum sive in folia redactum, sive alio quovis pacto solutum sit, ingestum tametsi, neutiquam nec digeri, nec intrinsece immutari in corpore humano vivente adhuc potuerit; & tametsi digestum, atque prorsus immutatum nullatenus fortasse aut morbis destruendis, aut œconomiæ animali conservandæ conduceret; attamen experientiæ, quam de eo, res medicas professi, diutinam habuimus, aperte reluctaremur, plurimum profuisse negan-

gantes hisce in casibus, in quibus noxam intulerint mercurialia, diu propinatum. Qua ratione id præstare potuerit, nobis adhuc incertum fuit; nihilominus præstitit. Si de auro plura quis præcise cupiat, Ettmullerum adeat, qui de eo multa, nec incongrua, scituque digna in regno minerali compendiose protulit.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Unde proveniat urinæ copia immodica, quæ frigoribus præcipue hyemalibus egeritur.

INter ea, quæ ratione urinæ imperitorum vulgus mirari consuevit, ea est urinæ copia, respectu potulentorum, quibus id temporis utimur, immodica, quam frigoribus hyemalibus, citra noxam, & bene valentes egerimus. Scimus quid hic primo aspectu dici deberet: sudoribus nimirum, aliisque, stipata cute, compressis exspirationibus, serum sanguinis augeri, ac in renibus excerni; quod sane rem penitius pervestigantibus haud plane satisfacere unquam potuit; quum contigisse quandoque compertum sit, triplum, quadruplum, quintuplum, & ultra victus tum fluidi, tum etiam solidi, quæ ingessimus, excretæ urinæ quantitatem quotidie ad menses, & annos extitisse. Ex quo inferre minime dubitamus, ex aere sive inspirato, sive circumfuso, aut per pulmones, aut per cutis spiracula meatus humani corporis viventis plurimum indesinenter subire; quod intus concrescat, & cum reliquis immisceatur humoribus, atque in lympham, sive serum postmodum fusum, copiose per urinam emittatur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

De iis, quæ tum secundum, tum præter naturam, ratione sensuum, & generationis præsertim, in corpore humano vitam habente exoriuntur; necnon etiam de nonnullis aliis affectionibus, quæ humores universos inficere solent.

SECTIO PRIMA.

De Sensuum organis, deque iis, quæ, ratione eorum in corpore humano vitam habente, tum secundum, tum præter naturam contingere solent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT I.

De Oculis.

Enumerantur oculorum partes.

VELUTI viscera corporis humani viventis respicere possumus sensuum organa: ea nimirum, quæ ter Opt. Max. Opifex in ventre Superiori, in capite videlicet, graphice compegit; quippe quæ, vel cranio maxima ex parte condantur, vel cranii cavis, sinibusque exterioribus excipiantur. *Sunt enim e terra homines non ut Incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cœlestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes, ac nuntii rerum, in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios, & facti, & collocati sunt. Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et Aures, quum sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eoquod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt. Et quod cibi, & potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris sequutæ sunt. Tam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios, & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus*: Pereleganter Tullius (a). Ab oculis exordiri inclinat animus; quorum tamen partes, aliæ exteriores sunt, uti palpebræ, supercilia; interiores aliæ,

(a) *De Natura Deorum lib. 2.*

aliæ, ut globus, musculi, ac tunicæ vestientes.

Supercilium structura, & usus.

Supercilia in arcus pilis ubique refertos, ad frontis confinia, non procul a palpebris superioribus, incurvantur. Extrema ad nasi radicem dicuntur *principium*, sive *superciliorum caput*. Ad tempora nuncupantur *finis*, sive *cauda*. Præter pilos extrinsecus ubique dispositos, in superciliis occurrunt cuticula, cutis, & plurima pinguedo, qua intercedente, in vultus venustatem non indecore extuberat frons inferior. Occurrit insuper membrana carnea, pluribus contexta fibris, quæ a musculo frontis lato membranaceo superiori explicatur; cujus ope, moveri, & in rugas contrahi queunt supercilia. Superciliorum usus est, ut suis, quas habent prominentias, & pilos, radios nimios obtundant, eosque infringant, ne ictu, ut ita dicam, pleno, oculorum feriant aciem. Hinc in luce nimia deprimere cogimur supercilia, atque ad ea manus admovere, quibus radiorum vim quodammodo infirmemus.

Quid sint palpebræ, earumque musculus, qui dicitur elevator.

Palpebræ binæ in utroque sunt oculo. Altera superior. Inferior altera. Pertenui utraque compaginatur tunica, membrana carnea, nulla penitus intercedente pinguedine, musculis, ac periosteo, sive pericranio, quod a partibus producitur proximis. Qua mutuo sese contingunt palpebræ, angulos oculorum efficiunt, sive *canthos*, exteriorem, atque interiorem. Exteriorem, qui *minor* dicitur, versus tempora. Interiorem, qui *maior* vocatur, ad nasi radicem construunt. Palpebra inferior in corpore humano vitam habente vix movetur. Superior contra, eoquod sursum, atque deorsum ascendendo, & descendendo, celerrime moveatur, binos iccirco musculos habet, qui sub membrana carnea, inter carneam videlicet, atque membranam illam palpebrarum interiorem perquam exilem, quam sobolem esse diximus pericranii, statim obversantur. Alter musculus proprius est. Alter communis vel palpebræ inferiori. Proprius provenit ab ima orbita ad foramen nervi optici. Exoritur tendine perquam exili, eoque oblongo. Recta inde supercilium conscendit, ubi in substantiam membranaceam explicatur. Mox per palpebram superiorem definit in palpebram extremam, in ejus videlicet circumferentiam inferiorem reclinatus. Musculus præfatus a munere, *elevatoris* nomen sibi vindicavit; palpebram siquidem superiorem attollit. At in eumdem quoque finem musculus frontis latus agit, qui a munere, situque suo, musculus item dicitur supercilii. Quapropter cuicumque, qui oculos late prolatet, & frons corrugari debet.

Quid sit musculus palpebrarum orbicularis.

Orbicularis, sive palpebrarum clausor, vel communis, fibrarum ductu quodam ovali palpebram utramque undequaque circumdat: atque angulis oculorum firmiter inhærens, palpebram superiorem, fibris contractis, deprimit, æque ac inferiorem nonnihil attollit. Hinc oculos claudit.

Quid sint puncta oculorum lacrymalia.

Palpebris extremis cartilagines quædam apponuntur molliusculæ, semilunares, palpebris explicandis potissimum inservientes, ut æqualibus ubique factis palpebrarum confiniis, adamussim claudantur. Cartilagines istæ palpebrarum efficiunt *tarsum* penes Græcos, *cilium* penes Latinos. Quamobrem ciliorum dicuntur pili, qui bulbis tarso inserti producuntur ex palpebrarum margine; ubi eumdem fere præstant usum, quem in

in superciliis. Punctis ubique perviæ obversantur lacrymalibus, quorum plurima osculis propatulis ad narium proficiscuntur recessus. Quocirca tenui lympha jugiter irroratur oculus, quæ ex glandulis minimis exudat lacrymalibus, quorum tubuli excretorii in puncta desinunt lacrymalia.

Describuntur glandulæ oculorum lacrymales.

Glandulæ lacrymales valde conspicuæ ex angulis oculorum insurgunt. Ea, quæ angulo insidet exteriori, nomine caret. Quæ ab interiori nonnihil extuberat, proprie dicitur *lacrymalis*. Hæc substantia sua foramen operit cranii lacrymale, quod communicat cum osse cribriforme ad nasi radicem. Glandulæ præfatæ per utramque palpebram ad puncta lacrymalia pro lacrymis edendis minima emittunt excretoria.

Palpebrarum vasa.

Arteriolas habent palpebræ a carotidibus exterioribus. Venulas a jugularibus exterioribus. Nervos a pari quinto, ac septimo medullæ oblongatæ intra cranium.

Palpebrarum usus.

Oculorum globos, tamquam velamina, tegunt palpebræ, eosque arcent ab incommodis exterioribus. Eorum ambitum intrinsecus humectant, & detergunt, ut limpidi semper, & clari serventur: ut videlicet lucis radiis excipiendis, immittendisque, non impares unquam fiant.

Describitur gemma, sive bulbus oculorum, & præsertim cornea.

Oculorum globus, nonnullis gemma, vel bulbus, orbitæ cranii, sive potius calvariæ, statim sub palpebris infunditur. Figuram perhibet globosam, anterius tamen nonnihil exporrectam. Tunicis vestitur. Humores continet, tum fluidos, tum concretos. Vasis irrigatur. Triplici tunica vestitur globus. Exterior dicitur *cornea*, sive *sclerotes*. Media *uvea*. *Retina* interior. Cornea valida est, crassior, pellucida. Undequaque circumducitur per gemmam exteriorem. Huic extrinsecus alia perquam tenuis adnascitur membrana, opaca, colore albo prædita, quæ provenit a pericranio. Dicitur *albuginea* a colore, necnon etiam *conjunctiva* a munere; quum per hanc, veluti per ligamentum membranaceum, alligetur globus circumferentiæ, ac partibus orbitæ interioribus. Albuginea foramen habet rotundum in facie antica, per quod sese profert substantia corneæ pellucida, necnon etiam pupillæ foramen, cujus ambitus versicolor est.

Describuntur uvea, pupilla, iris, & reliqua.

Sub cornea occurrit uvea, cui, in facie præsertim antica, adnectitur per fibrillas. Tenujor est, atque opaca. Ejus namque substantia atra quasi inficitur fuligine. Pervia est anterius ob foramen illud rotundum in oculis admodum conspicuum, quod nuncupatur *pupilla*. Pupillæ ambitus versicolor extremus nuncupatur *iris*. Non videtur iris, nisi plexus fibrarum, quæ ab iride, sub retina recta fere producuntur ad nervum usque opticum. In parte bulbi posteriori ligamenta, sive vincula producuntur ciliaria; quæ minimi tamquam musculi oblongi radiatim in iridem pergunt, quam identidem explicant: pupillam videlicet explicant, quæ propterea in lumine nimio, iridis ope, per minimum tamquam sphincterem peculiarem, contrahitur.

Describitur retina.

Intra uveam expanditur retina, ad faciem tamen posteriorem. Mollis est retina, perquam tenuis, albicans. Nequaquam ambit bulbi circumferentiam universam interiorem; quinimmo desinit undequaque ad confinia humoris crystallini, circumcirca bulbi sectionem anteriorem.

Tunicæ præfatæ explicantur omnes

Quo pacto oculorum membranæ a nervo optico explicentur.

nes a nervo optico. Atque adeo dici potest, nervo optico intercedente, eas a meningibus, atque a cerebro exortas esse; siquidem nervi optici, qui crassissimi sunt, aliquibus saltem fibris, a medulla oblongata ad basin cerebri, ex communi fere principio, exoriri videntur. Exinde abinvicem recedunt. Mox rursus coeunt, ac mutuo plerumque sese contingunt. Postmodum iterum divaricati, ad gemmas utrimque tendunt; quas in facie postica per foramen, quod in orbita media intus occurrit, attingunt. Simul ut in gemmam pervenerint, sese explicantes in membranarum formam, ex utroque latere gemmarum construunt tunicas. Tunica exterior nervi optici, videlicet dura mater, producit corneam. Media, nimirum pia, producit uveam. Substantia demum nervi optici medullaris interior, in retinam extenuatur. Quocirca inferre non injuria debemus, lucis radios, qui retinam afficiunt, ex retina quodammodo, sive per substantiam interiorem nervi optici, sive per motum repercussum spirituum animalium, & cerebrum afficere, & vibrationes suas in sublime provectas sensorio impertiri.

Enumerantur oculorum humores, & vitreus describitur.

Tres sunt oculorum humores, *Aqueus*. *Crystallinus*. *Vitreus*. Aqueus colligitur in parte globi anteriori, statim post corneam; quapropter, ea perforata in parte antica, effunditur. Aqueo mox succedit crystallinus, quem subsequitur vitreus. Vitreus humor maximam bulbi occupat partem; quippe a retina, quam ubique tangit, producitur fere ad pupillam usque. Dicitur vitreus, quia substantiam, & consistentiam vitri fusi persimilem habet. Mollis est, & limpidus: ubique nempe pellucidus. Ejus figura a parte postica, cui adamussim aptatur retina, globosa est. A parte antica, versus pupillam, deprehenditur cava; suaque capacitate crystallinum excipit. Propria obducitur tunica, tenuissima, pellucida, quæ *vitrea* nominatur.

Describitur crystallinus, una cum ligamentis ciliaribus.

Crystallinus, vel ipse licet pellucidus, densior tamen est, quam vitreus; quocirca crystallinus appellatur. Ejus figura lenticularis est, anterius nonnihil depressa. Crystallinus quoque propria vestitur tunica perquam exili, æque ac pellucida, quæ dicitur *crystallina*, sive *arachnoides*. A circumferentia humoris crystallini fibrulæ proficiscuntur nonnullæ, quæ per faciem exteriorem tunicæ vitreæ, aliis consociatæ, ligamenta ciliaria compingunt; quæ extrinsecus in tunica vitrea, veluti radii plures deprehenduntur; qui a circumferentia humoris crystallini tendunt ad confinia nervi optici, in parte posteriori humoris vitrei, proxime sub retina.

Quid sit proprie humor aqueus, & unde proveniat.

Crystallino anterius circumfunditur aqueus, qui colligitur, uti monuimus, in sectione bulbi anteriori: in ea videlicet capacitate, quæ intercipitur inter corneam, & humorem crystallinum. Exudat fortasse ex glandulis minimis, ubique dispersis per tunicas oculorum interiores; sive per ductus quosdam aquosos, a clarissimo Nuck non ita pridem detectos, Sectore inclyto Agiensi, teste Blancardo. Egrediuntur ductus præfati ab arteriis carotidibus, calvariæ inclusis. Pluribus exinde ramusculis sese effundentes, in bulbos anteriores dehiscunt non procul a pupilla. Enim vero, si per vulnus inflictum blande exudat humor aqueus, brevi reproducitur.

Oculorum globus quadrifariam re-

Describuntur musculi oculorum recti.

recta movetur. Bifariam oblique. Recta attollitur, deprimitur, adducitur, atque abducitur. Oblique vergit sursum ad angulum interiorem; & declinat ad angulum exteriorem. Hinc musculos quatuor habet rectos. Binos obliquos. Recti, perexiles sunt. Egrediuntur principio communi ex orbita interiori ad foramen nervi optici. Exinde ab invicem recedunt, recta singuli tendentes ad quatuor veluti cardines oculorum adversos. Verum in facie bulbi antica rursus conveniunt, tendinibusque suis decussatim oppositis sub tunica adnata, in superficie tunicæ corneæ, membranam tendinosam, satis validam conficiunt. Musculus superior dicitur *elevator* a munere, necnon etiam *superbus*. Inferior dicitur *depressor*, sive *humilis*. Qui producitur per angulum oculorum interiorem, eoquod oculorum globum recta adducat versus angulum interiorem, *adductor*, a nonnullis *potator* quoque nuncupatur. Alter contra, qui oculorum globum adducendo ad angulum oculorum exteriorem, eum abducit ab angulo interiori, musculus nuncupatur *abductor*, sive *indignationis*. Musculi recti, si uno eodemque tempore insimul contranitentes æquæ agant, fieri minime potest, quominus globum complanent, eumque adducant versus orbitam interiorem.

Describuntur obliqui.

Ex obliquis alter superior est, alter inferior. Superior tenuis, oblongus, originem ducit ex eodem orbitæ loco, unde recti proficiscuntur. Mox oblique ad angulum ascendit oculorum interiorem versus radicem nasi. Ad nasi radicem, cartilaginem quamdam offendit perviam, quæ dicitur *trochlea*. Hanc subit tendine quodam perquam exili, longissimoque; qui per faciem bulbi anticam sese reflectens, in iridis confiniis desinit. Inferior brevis, crassior, latus, consurgit ab osse subjecto, ab angulo oculorum exteriori non procul. Exinde oblique producitur per faciem bulbi anteriorem ad finem usque superioris, ubi vanescens omnino deletur.

Unde proveniat oculorum uligo pinguis.

Inter musculos hosce glandulæ inseruntur minimæ, quæ uliginem quamdam pinguem, oculis emolliendis, lubricandisque, insudant.

Vasorum bulbi origo.

Musculi, & tunicæ præfatæ arterias habent a carotidibus. Venas a jugularibus, ac præsertim interioribus. Nervos, præter opticum, a conjugatione tertia medullæ oblongatæ intra calvariam.

Oculorum usus.

Per oculos visio fit. Quandoquidem ab objectis conspicuis, lucis radios pupilla excipimus. Exceptos humoribus infringimus; qui in conos propterea extenuati, coactique, retinam apicibus attingunt. Objectorum imagines in ea delineant, sive potius expingunt, inversas tamen; quibus opticorum concitant substantiam ad sensorium usque commune; quod præfatas excipit immagines, easque menti, ea, qua fieri potest lege, postmodum exhibet.

CAPUT II.

De Ophthalmia.

Definitio, & Diagnosis.

AFfectiones, quæ oculos invadere solent, utpote quæ innumeræ prope sint, & ad Chirurgiam proprie spectantes, hic singillatim recensere haud inclinat animus. Nihilosecius, quum earum nonnullæ, quæ frequentius occurrunt, quæque interiora non minus, quam exteriora requirunt

auxilia, paucis saltem describere oporteat, eas, ut ordine prosequamur, in suas classes peculiares distribuendas ducimus; aliæ quippe tunicas oculorum lædunt, humores aliæ, aliæ nervos, musculos item & glandulas aliæ. Ex iis, quæ lædunt tunicas, aliæ insident *adnatæ*, aliæ *corneæ*, aliæ *uveæ*. Si adsint quæ retinam afficiunt, opticorum vitio eas adscribendas existimamus. Tunicæ adnatæ vitia sunt *ophthalmia*, *pterygium*, *pannus*, *& unguis*, *hypophagma*, *suggillatio &c.* De ophthalmia in capite præsenti fuse tantum nobis agere placuit, reliqua persunctorie animadvertendo brevissime expofituris. Nihil aliud esse videtur ophthalmia, quam *oculorum inflammatio*, *quæ tunicam afficit adnatam*, *quæque propterea dolorem infert*, *ac ruborem facit partis affectæ*, *lacrymarum eliciens profluvium*, *& hemicraniam*, *item & cephalalgiam ex consortio quamsæpissime inducens*; siquidem, uti diximus, ex pericranio adnata producitur. Ex quibus signa diagnostica educes.

Causa. Talis inflammatio, non secus ac reliquæ, ab humoribus provenit, qui moram aut in tubulis partis affectæ, aut in proximo nectendo, eos insarciunt, efficiuntque, ut sanguis, motu locali retardato, in minimis sanguiferis, quæ per adnatam dirimuntur, stagnet, æstuet, & concrescat. Hinc arteriolas, & venulas extendens, fibrasque distrahens, eamdem adnatam in tumorem attollit, ruborem, dolorem, & permolestum prope combustionis sensum per oculos ubique molitur.

Prognosis. Ophthalmia, nullum quamvis utplurimum vitæ inferat discrimen, attamen si pervicax fuerit, si persæpe recurrerit, si humor peccans acerrimus sit, & ut vulgo dicitur, *ferinus*, minime negligenda; eo quippe in casu aut suppurat, aut bulbi tabem, aut suffusionem, aut alias, quæ videndi facultatem plane adimunt, affectiones parit.

Curatio. Oculorum inflammatio in corporibus præcipue sanis, modo lenis sit, leni tantum victu facile discutitur. Quum contumax, & perquam molesta concitet symptomata, tum alvo aut clysteribus, aut purgationibus lenioribus blande prius soluta, sanguis minuendus, iterum, iterumque si adhuc restiterit. Cæterum reliqua omnia, ratione tum diætæ, tum pharmaciæ, quæ visceribus inflammatis prosunt, & ophthalmiæ curandæ apprime conducunt. Ratione localium, ophthalmiæ evincendæ nil magis idoneum unquam adhibuimus, quam aquam tepentem palpebris quamsæpissime immissam. Si pro aqua communi aquam florum sambuci, rosarum albarum, fœniculi, hisque similia substitueris; & spiritum vini, aut tutiam si addideris, vim in collyriis acues resolvendi. Ad hæc, si nihilominus inflammatio adhuc restiterit, in pejus cessura, tum pediluvia, sinapismata, & vesicantia partibus prius infernis, mox etiam supernis admoveto; quibus humores concretos, nisi prorsus extenuaveris, aliorsum saltem avocabis. Si quis plura desideret, observationes adeat chirurgicas Jo: Muys, qui (*a*) ophthalmiam, ac ei medendi methodum pereleganter exposuit.

(a) *Obs.* 1. *Dec.* 1. *Chir.* *pag.*

ANI-

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN, ET PRÆSERTIM AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

Comprobatur Veterum derivationis, & revulsionis usus.

NIL satius, quam sanguinis missio ad ophthalmiam resolvendam per vices facta, in venis secandis, revellendi, derivandique, tamquam optimum, nobis adhuc probavit Priscorum usum; evidentissime quippe pene semper oculorum inflammationem exasperatam vidimus, sanguine superne prius, quam inferne educto. Nos igitur aliorum erroribus cautiores facti, nec cervici, nec scapulis cucurbitulas scarificantes ad ophthalmiam extenuandam adhibuimus unquam, nec venas quidem in brachio secuimus, alvo nisi extersa prius, & sanguine aut ex pudendis, aut ex saphena large imminuto. Id reperto sanguinis motu circulari, quicquid unquam in eo protulerit. Inclytus Bellinus, difficile quamvis explicare possimus, diutinæ tamen experientiæ pervicaciter adversaremur, si rem tam certam, tamque exploratam cum Praxis medicæ prorsus imperitis, in ophthalmia præcipue curanda, negligentes non sateremur.

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit pterygium, hypospbagma, pannus, & quomodo discutiantur.

PRæter ophthalmiam, *pterygio*, *ungue*, *panno*, *hypospbagmate*, *vel suggillatione* adnata, uti diximus, afficitur. Pterygium affectio quædam est, quæ membranæ adinstar præter naturam adnatæ extrinsecus accrescens, videndi facultatem vel prorsus adimit, vel saltem infirmat. Si talis membrana crassior evadat, inæqualis, ac rubore, tametsi leviter, tingatur, dicitur *pannus*. Contra si levis, ubique æqualis, tamquam in albam superficiem coextendatur, tum *unguis* proprie nuncupatur. Ideo concrescit, quia humores, sive in tubulis ad superficiem adnatæ stagnantes, sive extra insudantes fluorem amittunt, atque in solidiorem, quæ vel panni, vel unguis speciem referunt, substantiam congesti sistuntur. Extenuatur pannus fotibus, suffitibusque resolventibus. Saccharo absumitur, ossibus sepiæ, oculis cancrorum, crystallo montana, aliisque similibus in pollinem redactis, ac in palpebras intus per fistulam, aut alio quovis pacto immissis. Evenit non raro, ut in adnatæ substantia, tubulis sanguiferis interioribus aut ruptis, aut exesis, sanguis exudans ita congeratur, ut maculam rubicundam, necnon etiam livescentem in oculorum albo compingat. Id vere hypospbagma, sive suggillatio vocatur; quod quum recens sit, nisi sponte sua, aqua tepente pluries admota facile resolvitur. Non ita tamen, quum diu perstiterit, & potissimum ubi livescat.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sint crassities, nebula, albugo, pustulæ, atque hypopyon, & quomodo curentur.

AFfectiones præcipuæ, quibus præter naturam obnoxia videtur Sclerotis, quæ, ut anatome docuit, duræ meningis soboles est, sunt *crassities*, *nebula*, *albugo*, *pustulæ*, atque *hypopyon*. Crassities dicitur tum, quum cornea, hoc est anterior sclerotis facies

cies pellucida ad pupillam apposita, perquam tenui veluti caligine inficitur. Ex quo fit, ut qui tali affectione tentantur, objecta tamquam per caliginem intueantur. At si concrescens adeo inspissetur caligo, ut facilius extrinsecus deprehendatur, tum *nebulam* compingit. Verum ubi magis adhuc concrescat, ut luculentius eam intuentibus apparens in maculam albescentem ante pupillam sese coextendat, tum *albuginem*, aut *leucoma* progenerat. Pustulæ sunt minimi quidam tumores, qui ex cornea insurgunt ob læsionem externam utplurimum productæ. Hypopyon, quod & *pyosis*, & *lunella* quoque dicitur, nihil aliud est, quam pus quoddam vel sub cornea, vel inter corneam, & uveam collectum, quod ophthalmiam male curatam non raro insequitur. Ut præfatæ affectiones eximantur, eadem propemodum, quæ ad superiores extenuandas proposuimus, exigunt auxilia.

Quid sint procidentia pupillæ, dilatatio, angustia, & quo pacto iis medeatur.

Procidentia, *pupillæ dilatatio*, nec non etiam *angustia*, *suffusio*, sive *cataracta* inter morbos quamvis uveæ vulgo recenseantur, proprie tamen ad iridem, quinimmo & ad humores quandoque potius, quam ad membranas oculorum spectare videntur. Procidentia dicitur tum, quum, corneæ unitate, aut vulnere, aut ulcere, soluta, uveæ substantia procidit, & quodammodo extuberat; quod dignoscitur ex prolapsu uveæ ipsius, quæ prolapsa, aut nigricat, aut cærulea deprehenditur, extra situm quasi divulsa, excisa, atque extuberans. Hujusmodi affectio curatu perquam difficilis, in senibus in primis, tum præcipue, quum aut vulnus, aut ulcus corneam plurimum læserit. Ut præfatæ affectioni medeamur, ea omnia conveniunt, quæ extergunt, blande adstringunt, & roborant. Hujusmodi sunt album ovorum cum aqua rosarum, ac succino præparato solutum, quibus addunt nonnulli modicum aluminis usti, tutiæ præparatæ &c. Alii vino rubro tepenti, alii aqua chalybeata partem affectam fovent. Prolatatur pupilla tum, quum ejus circumferentia versus iridem undequaque explicatur. Contra contrahitur. In utroque casu a convulsione provenit. In primo quippe ligamenta convelluntur ciliaria. In altero convellitur iris: ideoque, quæ convulsionibus discutiendis conducunt, & hic conferre videntur. Suffusio, sive cataracta nihil aliud est, quam visus læsio, ob opacitatem quamdam, quæ oculorum humoribus supervenit, quæque ad pupillam potissimum percipitur. Hæc si tanta fuerit, ut veluti membranula, sive albescens, sive livescens, sive alterius cujusque evaserit coloris, proprie dicitur cataracta, ex eo quod non aliter, quam cataractæ species quædam pupillæ opponatur, radiorumque luminis ab oculorum interioribus arceat immissionem. Ratione affectionis istius, quod ad partem attinet affectam, plures olim insurrexerunt opiniones. Sunt enim qui aqueum, qui crystallinum, qui vitreum in suffusione culpare solent humores. Sententiarum varietas orta exinde videtur, quod non æque omnibus eidem loco suffusio insederit. Attamen cum Jacobo Rohaultio in Tractatu physico, aliisque Recentioribus, cataractam crystallino frequentius inhærere, & crystallinum, aut deprimi, aut superficietenus saltem corradi a chirurgo, qui eam acu subducere conetur, autumabimus. At ea de re plura si quis de-

desideret, eruditorum adeat ephemerides, ex quibus tum pro Theoria suffusionis exponenda, tum pro Praxi in curatione exercenda, permulta sane, non penitus spernenda, haurire poterit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit gutta serena.

EX hactenus dictis, quid sit, & unde procedere possit tum cœcitas, tum videndi imbecillitas, tum caligo, aliæque oculorum affectiones, quæ videndi facultatem aut lædunt, aut adimunt, educes. Inter has tamen solemnis est, & plerumque insolubilis ea, quæ *gutta* passim *serena* Latinis, *amaurosis* Græcis nuncupatur, cœcitatis species; qua qui laborant, oculis quamvis adapertis, & nullam licet læsionis extrinsecus præbeant indicium, videndi nihilominus facultatem opticorum plane amiserunt vitio; qui aut infarcti, aut compressi objectorum species ex humoribus oculorum, tametsi defœcatissimis, ad sensorium non amplius immittunt. Gutta serena, quæ altas egerit radices, quæque a læsione opticorum provenerit intrinseca, longe pervicacior, & curationem omnem utplurimum respuit. In senibus eam pene semper deplorabis. Cæterum, quicquid ad paralysin subducendam jam ante præscripsimus, & hic præscribendum censemus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Nonnullæ affectiones peculiares, quæ oculorum angulos afficiunt.

RAtione potissimum caruncula lacrymalis angulo oculorum exteriori inhærentis, oculi extrinsecus quodammodo frequenter affici quoque solent. Hinc *rhyas*, *encanthis*, *ægylops*, & *fistula*, quæ dicitur *lacrymalis*. Rhyas dicitur, & *rhœas*, quum caruncula lacrymalis ob exuberantem, atque continuum præter voluntatem lacrymarum effluxum præter naturam imminuitur. Lacrymæ eo in casu humoribus utplurimum eliciuntur acribus, nervorum stamina, aut in parte affecta, aut in viciniis irritantibus. Encanthis vocatur, quum eadem caruncula plurimum intumescit obstructa; atque ita obstructa, si morbus ulterius procedat, hoc est si inflammetur, suppuretque, egylopem procreat, sive *anchylopem*, quæ nihil aliud est, quam in ea parte abscessus. Verum pus, quod ibi conficitur, aut foraminis parietes osseos, quibus insedit caruncula, quandoque corrumpit, aut aliorsum inter membranas influit, & fistulam lacrymalem inducit: inducit nempe ulcus profundum, inveteratum, callo intus, sive folliculo obductum. Perpauca hæc de ægritudinibus hujusmodi ad Chirurgos proprie licet spectantibus, Tyronum in gratiam, perfunctorie tantum hic innuere placuit.

CAPUT III.

De Auribus.

Quid sint aures, earumque divisio.

AUres, unum quamvis, & idem sint organum, quod audiendo præsertim inservit, distinguuntur in interiores, atque exteriores. Auris exterior, quæ *auricula* nuncupatur, dividitur in partem supernam, quæ dicitur *ala*, sive *pinna*; atque infernam, quæ dicitur *auricula*, sive *lobus*.

Non

Describuntur partes interiores auris exterioris.

Non est auris exterior, nisi cartilago sinuosa, ad tempora utrimque explicata, cuticula obducta, cuti, membrana carnea, item & nervosa, perquam tenui; quæ cartilagini arctissime adhærescit, ac periostei vices ibi gerit. At in lobo plurima intercedit pinguedo, cujus interventu nonnihil extuberat auricula. Duos habet sinus præcipuos auricula; quorum interior, qui in aurem interiorem statim ducit, nuncupatur *alvearium*. Huic exterior proximus, dicitur *concha*. Auricula processibus quatuor, qui dicuntur *helix*, *anthelix*, *tragus*, *antitragus*, intus extuberat. Auricula in homine plerumque immobilis; quæ proinde, aut musculis plane caret, aut nonnisi musculorum quibusdam lineamentis munitur.

Auris exterioris usus.

Auricula voces excipit, exceptas, ne cito nimis præterlabantur, sistit, easque in aures immittit interiores.

Enumerantur partes auris interioris, & describitur meatus auditorius.

Auris interior, ea auris appellatur pars, quæ ab aure exteriori producitur in calvariæ cavum: in os videlicet, quod ad temporum confinia, ob ingentem duritiem, *petrosum* nuncupatur. In aure interiori considerare debemus *meatum auditorium*, *tympanum*, *ossicula quatuor auditus*, *foramina*, sive *fenestras*, *labyrinthum*, *cochleam*, *aquæ ductum* Fallopii, atque Eustachii *tubam*. Meatus auditorius antrum illud appellatur, quod ductu obliquo ab aure exteriori, idest ab alveario tendit sursum per substantiam ossis petrosi ad tempora, definitque in tympani cavum. Perquam tenui intus obducitur cuticula, periosteo, sive pericranio. In alvearium præcipue insudat recrementum illud glutinosum, flavum, amaricans, quod ibi concrescens, cerumen procreat; quodque fortasse provenit a glandulis quibusdam minimis, quarum excretoria in meatibus inhiant.

Describitur tympanum.

Meatus auditorius ad specum statim ducit, in penetralibus ejusdem ossis petrosi excusam; cui, sub finem meatus auditorii, membrana tenuissima, osticulo orbiculari cavo; anuli adinstar coextensa, statim apponitur. Per membranam hanc mediam nervulus intenditur perexilis, qui chordam æmulari solet tympani militaris. Quocirca specus *tympanum* vocitatur.

Enumerantur ossicula quatuor auditus. Describitur malleolus, ejusque musculus.

Sub hac membrana, in eodem tympani recessu, reliqua omnia auditus præcipua includuntur instrumenta; cui tamen proxime adstant ossicula quatuor: *malleolus*, nimirum, *incus*, *stapes*, *os orbiculare*. Malleolus ex capitulo quodam, quo donatur globoso, stylum emittit oblongum in formam caudæ. Stylus in duos finditur processus. Superior brevis alligatur membranulæ tympani, tendine musculi perquam tenuis exterioris intercedente; qui a parte superna meatus auditorii, per tuberculum osseum, canaliculi adinstar perforatum, producitur in cavum tympani, adhærens malleoli processui superiori. Processus inferior longior ossi infigitur subjecto in eodem tympani cavo, ibique firmatur per tendinem perquam exilem alterius musculi interioris, qui emergit ex facie tympani inferna non procul a membrana. Exinde vergit versus processum inferiorem oblongum ejusdem malleoli, cui inseritur. Musculi præfati dicuntur *perigraphias*. Dimovent fortasse, atque exagitant malleolum, ut voces modulentur.

Sub

Digitized by Google

Describitur incus.

Sub malleolo ineſt incus : alterum nempe oſſiculum, latiuſculum ſuperius, atque nonnihil excavatum ; quocirca ſinum efficit, quo malleoli capitulum excipit. Binos inferius emittit proceſſus inæquales, veluti dentis cujuſdam molaris duplicem radicem. Longior oſſibus infigitur ſubjectis. Brevior vinculo valde tenui, capitulo ſtapedis laxe injungitur.

Stapes, & os orbiculare.

Stapes ex lata baſi in arcum flectitur. Ex arcu ſummo capitulum prominet, quo ſtapedem equeſtrem æmulari ſolet. Huic e latere *os orbiculare* adnaſcitur; oſſiculum videlicet, anuli adinſtar rotundum.

Deſcribuntur foramen ovale, rotundum, labyrinthus, & cochlea.

Amota ſtapedis baſi ab oſſibus ſubjectis, detegitur illico foramen ovale, & paulo inferius aliud detegitur foramen rotundum. Foramen ovale ducit in ſpecum, quæ a ſemicirculis oſſeis per idem in circuitus redeuntibus, dicitur *labyrinthus*. Foramen rotundum perhibet introitum in alteram ſpecum, quæ, ſquamula oſſea intercedente, in duplicem ſinum finditur. Alter mox tendit in cavum labyrinthi. Alter in cavum cum labyrintho communicans ; quod, quia in ſpiras intorquetur veluti cochlea, *cochlea* nuncupatur. Aquæductus eſt meatus quidam in oſſe petroſo inſculptus, qui inter binos proceſſus, ſtiloidem, & mammillarem occurrit. Exinde in aurem interiorem immiſſus, nervos excipit, eoſque a cerebro oblongato ad internas aurium membranas inducit. De hoc meatu mentionem fecit primum Fallopius; qui proinde Fallopii dicitur. Id nominis autem ei falſo impoſuit Auctor. *

* *aliud non eſt, quam via in oſſe inſculpta per quam durior nervi portio e calvaria ad muſculos externos maxillarum, & laryngis decurrat. Schelammerus de And. P. 3. cap. 5.*

Quid ſit Euſtachii tuba.

Euſtachii tuba, ſive meatus ab auribus in fauces, eſt ductus partim cartilagineus, partim membranaceus, qui ex cavo tympani ad palatum oblique deſcendit verſus fauces, in quibus aperitur hiatu amplo, prope uvulam, ut aer auris interior cum exteriori fortaſſe communicet.

Deſcribuntur vaſa auris interioris.

Meatus, & ſinus aurium præſati tunica obducuntur intus pertenui, ſenſu acerrimo prædita ; per quam dirimuntur minimæ arteriæ a carotidibus exterioribus, quæ in regione temporum utrinque micant; venulæ a jugularibus exterioribus ; quamplurima nervorum ſtamina a conjugatione ſeptima medullæ oblongatæ intra calvariam, quæ dicitur *nervorum auditus*. Aer in cochlea contentus ab Anatomicis *aer inſitus*, *aer incluſus*, *aer innatus* vocatur.

Auribus uſus.

Auribus voces excipit corpus humanum vivens, ut cuique notum eſt, eaſque in ſenſorium immittit ; aer quippe concitatus, ac fluctuans, ſive potius exagitatus, atque excuſſus ob tremores, & vibrationes corporis reſonantis, membranam concutit tympani, eamque exagitat ; quæ proinde concuſſa, exagitataque, concutit, atque exagitat in receſſibus aurium aerem inſitum ; qui ob motum, ni fallor, oſſiculorum varie commotus, varie nervos ſtimulat, ac per nervos varie afficit cerebrum ; hinc is ſuſcitatur ſenſus, qui auditus nuncupatur. De auribus ſi quis plura cupiat, Valſalvam, alioſque adeat Recentiores; qui acriori indagine in partes eas inquirentes, in organis hiſce deſcribendis, longe prolixiores, quam nos, qui, & brevitati, & rebus, in Tyronum gratiam, clare exponendis, ſemper ſtuduimus, fuerunt.

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Variæ aurium enumerantur affectiones.

QUoniam auditus organum, ut ex adhuc enarratis patet, cujuslibet generis vasculis conflatur, membranis pluribus vestitur, ossibus variis, æque ac glandulis instruitur, in capacitates varie aptatur, hinc est, ut modo obstruatur, modo inflammetur, modo suppuret, ulceribus modo exedatur &c. Quinimmo & non semel evenisse accepimus, & oculis hisce nostris percepimus, ut ex seminio quodam pravo intus aut immisso, aut ingenito, varii generis insurrexerint vermes, qui membranas interiores mordicando, cruciatus excitaverint acerrimos, aliaque auribus non modo, verum etiam & reliquo capiti, aliisque partibus, quæ nervis intercedentibus arctissimam cum auribus habent affinitatem, pessima intulerint symptomata. Affectiones hujusmodi periculi prorsus expertes minime censeri debent; iisque curandis eadem propemodum, quæ obstructionibus recludendis, inflammationibus resolvendis, ulceribusque interioribus extergendis jam ante proposuimus, apprime conducunt. Aurium vermes enecant infusiones amaricantes, in aqua graminis, scorzoneræ, carduibenedicti &c. cum melle, ac saccharo, nec non etiam cum mercurio paratæ, ac in aures interiores blande per syringam inditæ. In quo tamen animadvertant Tyrones, ne res oleosas, pingues, glutinosasque intus in aures unquam immittant, quæ meatus infarciunt, & surditatem quamsæpissime deploratam moliuntur.

CAPUT IV.

De Naso.

Describitur nasus.

NAsus est pars organica non ubique sibi similis, cava, oblonga, ex facie media prominens, olfactus organum. In tegumentis vestitur foris, quibus insunt ossa, & cartilagines. Ossa occurrunt ad nasi radicem, ubi consurgunt ad frontis confinia ex ossibus subjectis maxillæ superioris. Ossa intus deprehenduntur spongiosa, atque adeo dicuntur *spongiosa*, necnon etiam *cribriformia*, a minimis, quibus pervia sunt, foraminibus; quæ carne quadam stipantur fungosa, ne quid incongruum una cum aere inspirato ad cerebrum sursum attrahatur.

Describuntur partes narium.

Tres sunt cartilagines. Binæ explicantur ad latera nasi. Per medium tertia excurrit, tamquam sepimentum; diciturque, eoquod nasi capacitatem in nares bipartiatur, diaphragma narium, vel mediastinum. Cartilagines laterales abeunt inferne in membranas cartilagineas; quæ constituunt nares extremas propatulas, mobiles, quæ *alæ* nuncupantur, sive narium *pinnæ*. Cartilago media aliquantulum superne extuberat, ac *dorsum* nasi, sive *spinam* efficit. Huic ad apicem adnascitur globulus, ex quo ad filtrum recta descendit, nimirum ad sinum medium exteriorem labii superni, caro quædam ad ligamenti substantiam accedens sub finem mediastini, quæ dicitur *columna*.

Membrana narium interior.

Nares intus amiciuntur membrana nervosa, quæ perquam acri pollet sensu, a dura matre procedens. Amplissimam hæc habet extensionem; in rugas iccirco va-

varias complicatur, quibus rimas omnes, omnes fissuras, omnesque narium recessus ingreditur: idque fortasse, ut maxima sua extensione quamplurimas excipere valeat particulas odoribus excitandis idoneas. Enim vero eam amplissimam in canibus venaticis præ cæteris observamus, aliisque animantibus, quæ olfactu pollent perquam acuto.

Caro papillaris.

Sub hac membrana caro quædam delitescit papillaris, quæ minimis ubique congregatur glandulis; quarum excretoria ad nares immissa, modo serum, sive lympham, qua scatet substantia narium interior, modo pituitam concretam, & glutinosam, quam autumabant Veteres proxime a cerebro emungi, per nares insudant.

Meatus narium in fauces.

In naribus mediis sinus aperiuntur bini: unus scilicet utrinque, qui per superiora palati ducunt ex utroque latere ad fauces in fissuras oblongas, quæ ad latera occurrunt uvulæ, non procul ab orificiis, quo desinunt meatus ab auribus in fauces. Per sinus hosce, sive meatus, aer vicissim ad respirationem ingreditur, atque egreditur.

Meatus narium in oculos.

Rursus deprehenduntur ubique in naribus interioribus tubuli quidam, quos excretionibus potissimum inservire existimandum ducimus. Tendunt ex naribus internis in puncta oculorum lacrymalia; qua de re flentibus non raro excidunt lacrymæ ex oculis in nares. De tubulis ejusmodi verba fecit accurate Sthenonius, item & postremo Dionysius Gallus.

Musculi narium.

Alæ narium pro subitu, atque ex industria crispantur, attolluntur, adducuntur, & diducuntur musculorum beneficio, qui numero octo sunt: quatuor scilicet utrinque. A muneribus suis peculiaribus nuncupantur *crispatores*, *elevatores*, *adductores*, & *diductores*. Crispatores, elevatores, atque adductores, membranacei sunt. Figuram habent triangularem; tendinibusque suis acuminatis versus nasi radicem egrediuntur ab ossibus maxillæ superioribus. Exinde in naribus extremis explicantur, atque absumuntur. Crispatores, atque elevatores ad latera nasi exteriora statim occurrunt sub tegumentis. Adductores occurrunt ad latera narium interiora sub carne narium papillari. Diductores circumducuntur per nares extremas, quoque sub tegumentis, firmiter adhærentes ossibus proximis non procul a filtro.

Narium vasa, & præcipue nervi olfactorii.

Vasa, quæ per nares dirimuntur tum interiores, tum exteriores, sunt: arteriæ, quæ proficiscuntur a carotidibus tum internis, tum externis: venæ, quæ a jugularibus: nervi, qui a pari quinto nervorum medullæ oblongatæ intra calvariam. Verum præter hosce, nervos habent olfactores nares interiores a prima nervorum conjugatione. Olfactores exoriri videntur a ventriculis cerebri anterioribus ductu valde conspicuo, a quibus utrinque procedunt ad latera cristæ galli versus os cribriforme. Per substantiam spongiosam cribriformis in tubulos effunduntur, sive in fibrulas nervosas, quæ per foramina cribriformis prosequuntur, & distribuuntur in plicas universas, atque in recessus omnes membranæ narium interiores. Non procul tamen ab osse cribriformi aliquantulum extuberant trunci nervorum singuli olfactores: iccirco vocantur quoque processus, sive

sive apophyses mamillares. Cavi intus sunt, adeo ut si flatus per eorum cavum immittatur, pervadit cerebri substantiam ad ventriculos usque anteriores. In plerisque brutorum id præ cæteris conspicuum est.

Narium usus.

Per nares aerem inspiramus, atque expiramus vicissim; ideoque, & voces modulamur, & odores excipimus a corporibus odoratis: a corporibus nimirum, quæ odorem expirant. Excipimus videlicet particulas nonnullas tenues, mobiles, atque volatiles, quæ una cum aere inspirato sursum ad nares attolluntur; in quibus nervos stimulant olfactores, ac per nervos incitant sensorium commune; quod si blande per particulas eas, ut ita dicam, scalpatur, sensus odoris menti humanæ obversatur suavis & gratus. Insuavis contra, atque ingratus suscitatur si ruditer. Et, ut id satius succedat, sparsim hinc inde extuberant per nares interiores squamulæ quædam cartilagineæ, quæ membranam nervosam attollunt, eamque in sinus varios aptant; quibus commodius excipere, & diutius detinere valeamus particulas, odoribus excitandis idoneas.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Varia narium describuntur affectiones.

NArium affectiones peculiares sunt *sarcoma*, *polypus*, *verrucæ*, *ulcus*, *ozæna*, *coryza*, *inflammatio*; & reliqua, quorum pleraque, quum ad Chirurgos quidem proprie spectent, hic missa quoque facienda ducimus, paucis tantum sarcoma, polypum, verrucas, ozænam, & coryza describentes. Tum sarcoma, tum polypus sunt caro quædam, quæ præter naturam ex naribus extuberat. Dicitur sarcoma, quum certam haud habet figuram. Nuncupatur polypus, quum in longum, & latum sese extendens pluribus veluti radicibus naribus interioribus inhæret, quibus varia inæqualia polypi piscis crura quasi æmulatur. Verrucas describendo Dolæus *esse* dixit *excrescentias carnosas ex profluente succo nutritio productas*. Hæ si naribus extrinsecus adnascuntur, nasi figura iis fœdata plurimum sordescit. Ozæna est ulcus fœtidum, ac sordidum, quod nares interiores exedens, atque inveterascens, pus utplurimum acre, lividumque procreat. Coryza, sive gravedo nihil aliud esse videtur, quam sensus quidam perquam molestus naribus superveniens ob lympham quamdam crassam, simul & acrem, quæ ex glandulis supernis ad partes narium defluit infernas, easque acriter vellicat. Sarcoma, & polypus recidendus est. Sunt qui causticis, sed perperam ex nostra sententia, tales excrescentias consumere student. Verrucæ, ozæna, & coryza ea omnia tum intus, tum foris, ut evincantur, requirunt præsidia, quæ fluidorum acrimoniam eluunt, eaque solvunt, de quibus iterum, atque iterum plura jam ante diximus.

CAPUT V.

De Lingua, eiusque partibus adnexis.

Describitur lingua.

LIngua dicitur a *lingendo*. Est pars carnosa, organica, non ubique sibi similis, oblonga, in ore sita, atque instructa, quæ a lata, & crassa basi in

in apicem producitur, ut, vocibus articulandis, & saporibus percipiendis, melius inservire queat. Posterius faciei convexæ ossis hyoidis, quod cornibus suis faciem complectitur laryngis anteriorem. Adhærescit faucibus præterea, æque ac laryngi. Alligatur inferne partibus subjectis maxillæ inferioris per musculos, item & per vinculum membranaceum, quod linguæ nuncupatur *frenulum*. Hoc quandoque adeo producitur sub linguæ faciem inferiorem, ut maximo loquentibus, item & sugentibus, nisi manu recidatur chirurgica, incommodo sit.

Describuntur linguæ membranæ.

Tribus tunicis vestitur lingua, quarum exterior tenuissima, pellucida est veluti cuticula. Media crassior, magis densa, magisque compacta, & quodammodo glutinosa, cribri adinstar graphice perforata. Faciem superiorem habet albicantem, inferiorem magis obscuram. Tertia linguæ membrana, interior videlicet, tenuissima est, & nervosa; nervulis quippe undique intexitur, quos potissimum a pari quinto, & nono medullæ oblongatæ intra calvariam suscepit. Nervi præfati in plures ubique attolluntur papillulas pyramidales, quæ per foramina tunicæ mediæ non æque consurgunt omnes. Aliæ enim desinunt in membranam linguæ exteriorem, perque eam in fibrulas dirimuntur. Aliæ in spicula quædam reclinata versus fauces, tamquam dentes gracilissimi pectinum aculeati, quibus utuntur Carminatores, attolluntur. Spicula hæc, ex nonnullorum sententia, salia excipiunt potissimum fusa ab alimentis, ex quibus sapores eliciunt.

Linguæ substantia interior describitur.

Membranis linguæ detractis exterioribus, nudam sese profert linguæ substantia carnea, sive potius fibrosa, & muscularis; quæ variis implicatur fibrarum ordininibus, *transversis*, *rectis*, atque *obliquis*. Hinc adeo varius, adeo celer, adeo continuus usibus variis, variis verbis edendis, formandisque, linguæ motus in corpore humano. Fibræ præfatæ ita conveniunt per linguæ substantiam, ut per mediam illius longitudinem, fissuram quasi oblongam efficiant, quæ a linguæ basi ad apicem usque recta producitur. Inter fibras, & maxime ad linguæ basin, quæ nonnihil adiposa esse solet, necnon etiam ad latera, minimæ inseruntur glandulæ salivales, quarum ductus excretorii salivam insudant tum, quum maxime fibris contractis undequaque compressæ, & ipsæ contrahuntur. Inseruntur præterea inter easdem linguæ fibras sanguiferorum propagines uberrimæ, quæ a carotidibus, & jugularibus dirimuntur. A jugularibus præsertim exoriuntur venæ, quæ utrimque sese perhibent aspectui in facie linguæ inferiori ad latera frænuli exteriora, quæ dicuntur *raninæ*, sive *sublinguales*.

Enumerantur & describuntur linguæ musculi.

Fibræ, quæ per linguam excurrunt carneæ, nihil aliud esse videntur, quam productiones variæ fibrarum musculorum ejusdem linguæ; cujus motus antrorsum, retrorsum, sursum, deorsum, hinc inde, modo in illud, modo in aliud latus producitur a musculis octo; qui inseruntur in linguæ substantiam a partibus proximis. Bini dicuntur *basioglossi*, qui a parte superna ossis hyoidis traducuntur in radicem linguæ, eamque retrorsum versus fauces adducunt. Bini *ceratoglossi*, qui a cornibus summis ossis hyoidis utrimque tendunt ad latera linguæ; quam propterea simul agendo adducunt quoque retrorsum, una & explicant. Si tantum alteruter agat, lin-

lingua oblique tendit ad latus contractionis musculi agentis. Bini *styloglossi*, qui explicantur a processibus styloidibus, & tendunt ad latera linguæ, quam potissimum attollunt, una & explicant. Bini vocantur *genioglossi*, qui ab inferiori, atque extremo mento interiori egrediuntur, ut exinde inserantur, & producantur per faciem anteriorem, atque inferiorem linguæ; quam propterea sese contrahentes exerunt. Musculi omnes præfati sunt valde carnosi, neque videntur in lingua, nisi sectiones quædam carneæ ejusdem linguæ extra linguæ substantiam nonnihil productæ.

Enumerantur linguæ musculi communes.

Insuper lingua movetur quoque ad motum ossis hyoidis, cui adhærescit. Hinc inter musculos linguæ communes enumerare consueverunt Sectores, musculos quoque hyoidis, quod musculos habet decem, idest paria quinque. *Sternohyoideos. Coracohyoideos. Styloceratohyoideos. Geniohyoideos. Rectos*: quorum usus ex eorum origine, atque insertione, quam modo exponam, facile elucescet.

Describuntur musculi præfati communes.

Sternohyoidei consurgunt a sterno summo, a quo utrimque ascendunt per faciem tracheæ anteriorem ad basin ossis hyoidis. Coracohyoidei a processibus scapularum coracoydibus, idest ab acromio, in humeri principio, tendunt ex utroque latere ad basin ossis hyoidis. Styloceratohyoidei a processibus styloidibus descendunt ad cornua ossis hyoidis. Geniohyodei a mento extremo interiori procedunt ad linguæ basin, cui adhærent; ut & recti, qui sub prioribus delitescunt.

Usus linguæ.

Per linguam deglutimus, voces articulamus, & sapores percipimus; salia quippe alimentorum in ore fusa, ob salivam solventem, papillas subeunt nervosas, earumque fibrulas scalpunt, & per fibrulas sensorium afficiunt commune. Hinc &c.

Sensus omnes concitantur in corpore humano vivente specie quadam tactus.

His ita positis de organis sensuum præcipuis, inferre sane debemus, sensus universos, qui suscitantur in corpore animato, nil aliud esse, ratione organi affecti, quam species tactus varias. Etenim ut corpora, quæ tactum eliciunt, agunt in papillulis cutis nervosis, eas sive tangendo, sive comprimendo, sive nervorum stamina vellicando, ita quoque lumen ex. gr. in oculis, idest in retina; aer undosus, & fluctuans in auribus; effluvia odoris tenuissima in naribus; & salia fusa in spiculis linguæ papillaribus agere neutiquam possunt, quin sive tangant, sive comprimant, sive concitent nervorum propagines extremas, uti hactenus exposuimus. Neque aliud inter sensus tactus, & reliquos sensus intercedit discrimen, nisi quod corpora, quæ proxime agunt in organo tactus, utpote mole plerumque majora, reliqua etiam organa ut plurimum movent. Corpora autem, quæ in cæteris organis proxime agunt, eoquod mole minima sint, reliqua sensuum organa nequeunt afficere.

CAPUT VI.

De Glandulis Salivalibus, & de Uvula.

Enumerantur glandulæ salivales præcipuæ.

GLandulæ salivales sunt pene innumeræ. Effunduntur undequaque non modo per linguam, verum etiam per membranas faucium, æque ac palati carnosas, per carnem gingivarum fibrosam, nec non etiam per uvulam. Eoquod salivam in oris capacitatem insudent, *salivales* dicuntur: humo-

morem videlicet infudant tenuem, lymphaticum, subdulcem, qui alimenta in ore solvit, diluitque ut facilius deglutita, facilius quoque in stomacho, æque ac in intestinis digerantur. Hinc non injuria prima alimentorum digestio in ore fieri dicitur. Minime licet sint utplurimum glandulæ salivales, nihilominus maximas quoque præ cæteris observamus *parotides*, *tonsillas*, sive *amygdalas*, *maxillares*, *sublinguales*.

Describuntur parotides.

Parotides statim sub tegumentis conduntur utrimque ad radicem auris exterioris. Pluribus aliis glandulis minoribus conglomerantur, quarum singula excretoria in unum conveniunt maximum commune, quod per genas ex utroque latere oblique descendit ad labiorum confinia, non procul a dentibus molaribus, ubi salivam eructant.

Describuntur tonsillæ.

Tonsillæ, quæ a figura sua exteriori quoque vocantur amygdalæ, binæ sunt, & ipsæ quidem conglomeratæ. Occurrunt in faucibus ad latera uvulæ in regione faucium superna, ibique humorem emittunt albicantem crassiusculum, & glutinosum, qui quandoque stagnat in sinibus quibusdam ovalibus, qui in faucibus aperiuntur.

Describuntur maxillares.

Ex maxillaribus aliæ sunt exteriores, interiores aliæ. Exteriores binæ, longe tamen minores. Extrinsecus utrimque sub tegumentis aptantur maxillis mediis. Interiores majores, quæ quoque binæ sunt, sub musculis deprehenduntur geniohyoideis. Trunci harum communes excretorii non procul a frænulo prope dentes molares interiores salivam expuunt.

Describuntur sublinguales.

Sublinguales, tametsi minores, quam maxillares internæ, conglomeratæ itidem sunt. Deprehenduntur sub membranis ad latera frænuli. Glandulæ præfatæ ob musculorum contractionem compressæ, non procul a gingivis infernis salivam emittunt.

Glandularum salivalium vasa, & usus.

Glandulæ omnes salivales suscipiunt propagines sanguiferas a carotidibus, & jugularibus externis, nervos a paribus quinto, sexto, septimo, necnon etiam octavo, & præsertim parotides. Ita inter musculos oris, æque ac maxillarum inseruntur, ut musculis agentibus, & sese vicissim contrahentibus, valide comprimantur. Quocirca uberiorem eructare solent salivam in oris cavum tum, quum alimentis digerendis ea magis indigeamus.

Describitur uvula.

Ex fornice palati laxe propendet, glandis adinstar perexiguæ, atque oblongæ, corpus aliud glandosum, quod *uvula* nuncupatur, *columella*, *gurgulio*. Tunica foris obducitur carnea, quæ provenit a tunica proxima palati. Sub tunica, substantia obversatur valde mollis, & spongiosa, quæ minimis ubique coacervatur glandulis, quarum ductus excretorii exteriorem subeunt membranam, atque humorem infudant lymphaticum, salivalem, perquam tenuem, qui fauces humectat, pharyngem, æque, ac laryngem præsertim, ut vox clarior emergat.

Uvulæ usus, & musculi.

Usus columellæ præcipuus videtur vocis formandæ, quatenus aer emissus ab aspera arteria impingit in uvulam ictibus creberrimis, infringitur, ac varie repercutitur. Quamobrem varie commovetur uvula antrorsum, item & retrorsum, musculorum ope, qui vocantur *peristaphylini*. Quatuor sunt perexiles membranacei. Anteriores bini. Bini posteriores. A partibus supernis explicantur per ambitum universum uvulæ exteriorem. Vasa suscipiunt tum

musculi, tum uvulæ substantia a partibus proximis sanguifera, æque ac nervosa.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit blæsitas, & aphonia.

PLeraque organorum vitia, quæ in oris capacitate continentur, sunt *frenum*, *ranula*, *fissuræ*, *pustulæ*, *verrucæ*, *aphonia*, & *blæsitas*; quæque quum infantibus, pueriſque solemnia esse soleant, tum quum de infantum, ac puerorum affectionibus deinceps dicturi exponenda forent, nihil est, quod & hic recenseamus. Paucis iccirco quid sint aphonia, & blæsitas impræsentiarum animadvertendum dumtaxat ducimus. Nihil aliud est aphonia, quam vocis defectus, qui, organis aut voci articulandæ, aut respirationi inservientibus læsis, ægrotantibus supervenire solet. Dicitur quoque *anaphthia*; quæ quoniam multiplex esse potest, in varias distinguitur species: in *hæsitantiam* videlicet, vel *blaterismum*: *blæsitatem*, vel *balbutiem*. Hæsitare tum dicitur, quum qui loquitur, nisi linguam prius aliquoties moveat, loquendi initium capere nequit; aut tum quum loqui inceperit, progredi nequaquam valet, nisi vocem inceptam quamsæpissime repetat. Id dicitur quoque titubare, & blaterare. Dicitur blæsitas, item & balbuties, tum quum inter loquendum aut litera, aut syllaba quædam absorbetur, ac prope supprimitur, quod potissimum literam *R*, aut *L* balbutientibus proferre enixis contingit. Affectiones prædictæ, nisi ex prava organorum extent structura, quo in casu curationem omnem respuunt, aliarum ægritudinum symptomata utplurimum sunt, quibus in Praxi medica directe, prospiciendum, de quibus proinde ante jam diximus, & imposterum, ter Optimo Maximo permittente Numine, fuse dicendum.

LIBRI

LIBRI TERTII

SECTIO SECUNDA.

De Organis internis, & externis in utroque sexu generationi inservientibus; deque iis, quæ ratione eorum tum secundum, tum præter naturam in corpore humano vitam habente exoriri possunt.

CAPUT I.

De Testibus.

Describuntur testes.

TEstes, sive *testiculi* nuncupantur *globuli glandosi, molles, spongiosi, qui scroto inclusi, ad radicem penis, pro seminis generatione laxe propendunt*. Figuram habent ovalem: numero fere semper bini, raro unus, & maximus: longe rarius tres. Dexter in corpore humano major aliquantulum esse solet, quam sinister. Hinc dexter, calidior a Galenicis olim habebatur; in quo proinde, ad eorum sententiam, maribus concipiendis, idoneum semen conficitur.

Testium structura.

Testes apud nonnullos Recentiores glandulæ sunt conglobatæ vasculares. Tunicis foris vestiuntur, vasculis intus complicantur, villos habent ubique, item & tubulos quosdam, qui vasa videntur testium excretoria.

Tunicæ testium exteriores.

Duplici tunica testes singuli amiciuntur. Exterior communis carnea, a nonnullis nuncupatur *vaginalis*, tenuis est, rubicunda, nonnihil pellucida, egreditur a peritonæo. Interior vocatur *propria albuginea*, *capsularis*, a nonnullis quoque *nervosa*, sive *tendinea*, eoquod crassior sit, alba, & validior. Testium substantiam mollem continet, firmat, & perinde ac capsula includit.

Tunicæ testium interiores.

Præter tunicas hasce exteriores occurrunt ubique per testium substantiam aliæ tunicæ interiores, quæ, si recta per medium secentur testes, secundum latitudinem, plures tamquam stellæ radii, qui a centro testium ad circumferentiam pergunt, obversantur.

Enumerantur vasa testium.

Membranis amotis exterioribus, nudam sese profert testium substantia. Hæc primo intuitu pultis adinstar mollis, quasi medulla videtur; attamen vasculis undequaque ita complicatur minimis, ut de facili, non secus ac filorum varie conglomeratorum glomer explicari possit, dummodo tamen paullatim, & sensim eam explicando leniter exolves. Id nobis in brutis præ cæteris accuratissime palam fecit Regnerus de Graaf. Vasa autem, quæ per testium substantiam, uti monuimus, complicantur, diversi sunt generis. Arteriolæ nimirum, venulæ, nervuli, ductus lymphatici, vascula seminalia.

Arteriæ, & venæ spermaticæ, & corpora pampiniformia.

Arteriæ, & venæ dicuntur *spermaticæ*. Arteriæ spermaticæ ex communi fere principio egrediuntur a trunco aortæ descendentis, digitos circiter duos transversos infra emulgentes. Exinde pluribus dirimuntur ramusculis per testium substantiam universam, non aliter, ac venæ spermaticæ; quarum dextera, non secus ac arteriæ spermaticæ, statim utplurimum egreditur a trunco venæ cavæ descendentis, paulo supra arteriarum exordium. Sinistra tamen ab emulgente ejusdem lateris, fere semper emergit. Non procul ab exortu, in utroque latere, arteriæ, & venæ spermaticæ coeunt. Mox tunicam peritonæi interiorem subeunt, atque inter utramque ad testes, una cum reliquis vasis per processus peritonæi cavos deferuntur. Venæ spermaticæ pluribus luxuriant propaginibus per ipsam abdominis capacitatem; quibus tamen hinc inde, membranulis quibusdam intercedentibus, rursus conveniunt. Hinc paulo supra testes ea contexunt corpora, quæ dicuntur *pampiniformia*, sive *pyramidalia*.

Testium nervi, vasa lymphatica, & seminalia.

Nervos accipiunt testes a plexibus pelvis, necnon etiam a pari secundo lumborum. Vasa lymphatica penes Stenonium, & Ruyschium a testibus tendunt ad capsulam chyli, id præsertim ex structura, ac positione valvularum peculiari redarguentes, quæ in præfatis ductibus lymphaticis aperiuntur dumtaxat versus cisternam Pecqueti. Vasa seminalia, sive ductus seminales, filorum ad instar tenues, atque albicantes, ita in testibus implicantur, ut inexplicabile sit prorsus eorum principium, palam licet desinant omnes in Epididymes. Existimavit tamen quispiam ab arteriis testium extremis capillaribus statim exoriri.

Describuntur epididymes.

Epididymes, sive Parastatæ, ea dicuntur corpora oblonga, duriuscula, albicantia, testibus singulis, veluti appendices, in dorso apposita, cui accrescunt interventu tunicæ albugineæ testibus præsertim extremis. Testibus, dicimus, extremis, in medio enim laxe adeo cohærent, ut & ex facili avellas. Iisdem fere tubulis seminalibus, eodemque ferme modo complicatis, ut testes, congregari videntur, qui tamen omnes in unum coeunt ductum communem, *Vas seminale*, sive *deferens* dictum.

Musculi cremasteres.

Testibus adnascuntur extrinsecus musculi membranacei, singulis unus, dicuntur *Cremasteres*, sive *suspensorii*. Proficiscuntur a ligamentis ossis pubis; inde per faciem vaginalis exteriorem usque infra testes producti, explicatique, partibus supernis testes suspendunt, eosque pro seminis opportuna expressione blande comprimunt.

Usus testium, & quid sit sperma.

In testibus a sanguine secedit semen, & per vasa deferentia deducitur in vesiculas seminales. Nil aliud est semen, quam humor albugineus, concretus, & glutinosus, qui conficitur, sive potius secernitur in testibus, atque a testibus, ut innuimus, defertur per vasa deferentia in vesiculas seminales, ut per membrum virile ad uterum in coitu, pro opportuna fœtus conceptione, immittatur. Semen, sperma a Physiologicis passim appellari consuevit. Sunt qui sperma in brutis varii generis, microscopii beneficio, non ita pridem accuratius perscrutati, variis minimis animalculis congregari tradiderunt; an id autem in omnibus succedat, adhuc ambigimus.

Va-

Describuntur vesiculæ seminales.

Vasa deferentia a testibus per processus peritonæi cavos ascendunt in vesiculas seminales, quo semen provehunt. Vesiculæ seminales deprehenduntur veluti binæ capsulæ membranaceæ, utrinque ad cervicem vesicæ in parte vesicæ posteriori, ubi quum semine turgent, quodammodo intorquentur, minima propterea avium intestinula æmulantes. Cavæ intus sunt, earum capacitas in cellulas plures distinguitur mutuo sibi communicantes. Cellularum parietes minimis irrigantur sanguiferorum propaginibus. Nervos habent præterea, ductusque lymphaticos, qui a cellulis tendunt ad chyli capsulam communem. Per ductus hosce minimos lymphaticos, nisi crebro per penem semen excernatur, refluit a vesiculis seminalibus incisternam Pecqueti, ut una cum chylo ad cor in sanguinem redeat; quod nisi certissimum sit, ex pluribus tamen conjecturis, non sine maxima probabilitate percepimus.

Vesicularum seminalium usus.

Vesiculæ seminales semen a testibus excipiunt, exceptum servant pro conceptione futura. Hæ, quum æstuat libido, contrahuntur, ac semen contentum in urethram immittunt per ductus peculiares, qui per medias prostatas transeunt in urethram, in quam aperiuntur versus collum vesicæ non procul a grano hordeaceo, quod, uti dicendum erit, tamquam valvula præstat, ne semen per urethram semel effusum in vesiculas seminales retrocedere queat.

Quid sint prostatæ.

Prostatæ sunt corpus glandosum, molle, spongiosum, figuræ triangularis, magnitudinis nucis propemodum juglandis. Foris situm est in collo vesicæ statim sub vesiculis seminalibus. Membrana vestitur fibrosa, quæ provenit a vesica. Sub hac membrana, propria conditur prostatarum substantia, quæ minimis compingitur glandulis. Inter glandulas sparsim hinc inde occurrunt vesiculæ, sive hydatides pellucidæ, humore quodam albugineo, & quasi spermatico plenæ, longe tamen tenujori; qui provenit a glandulis circumpositis, quarum vascula tenuissima excretoria desinunt in hydatides. Si comprimas hydatides, humorem eructant contentum in urethram per tubulos perquam exiles, qui non procul a grano hordeaceo osculis suis minimis aperiuntur.

Quid sit granum hordeaceum.

Granum hordeaceum est caruncula quædam hordei adinstar acini, ex urethra interiori digito fere transverso sub collo vesicæ, extuberans, ibique valvulæ prope munere functa, præstat ne semen jugiter perfluat, & ne semen, ipsaque urina, penes nonnulos, semel per urethram effusa in cavum vesicæ relabatur.

Prostatarum usus.

Tunica prostatarum exterior, item & parietes vesicularum seminalium interiores, non videntur, nisi musculus membranaceus, cujus fibræ motrices contrahuntur in æstu venereo, ut semen exprimant contentum, una, & succum prostatarum, qui in ejectione seminis verum sperma fere semper præcedere solet. Id, ni fallor, ut per quos effundi debet semen, meatus opportune lubricet, ipsumque semen diluat, solvatque, ut per penem in uteri vaginam facilius ejici, atque immitti queat.

CAPUT II.

De Pene, & Scroto.

Describitur penis.

PEnis idem est, ac membrum virile, pars videlicet organica, non ubique sibi similis, oblonga, ex tereti latiuscula, laxe propendens extrorsum ex imo ventre sub finem pubis; ex quo identidem opportunam nactus tensionem erigitur, ut semen in coitu emissum ad uteri orificium commode deferat. Organica pars est; siquidem ablato, sive intime læso impotentes evadunt mares. Non ubique sibi similis; variis quippe constat partibus diversis, quarum aliæ exteriores sunt, interiores aliæ. Tamquam exteriores tegumenta penis, ex quibus producitur *præputium*, habendæ sunt. Præputium ea dicitur membrana exterior duplicata, mobilis ad verticem penis in circumcisione religiose olim recidenda. Pinguedine caret penis, ne torpide erigatur, atque ne sensus illius alioqui peracutus retundatur.

Describuntur corpora penis nervosa.

Veluti partes interiores penis enumerari solent *corpora bina nervosa*, *sceptum*, *glans*, *urethra*, *trunci vasorum præcipui*, *& musculi*. Corpora nervosa dissitis radicibus veluti capsulæ binæ spongiosæ ab ossibus pubis inferioribus egrediuntur. Exinde cohærent, & mutuo sese contingunt per longitudinem penis universam septo intercedente; adeo ut corpora nervosa universam fere penis compagem interiorem, mollem, flaccescentemque extra erectionem, compingant. Eorum substantia spongiosa membrana foris contegitur carnea, fibris intus intexitur quoque carneis, obscuris tamen, sive fædis potius, aut livescentibus, uti affirmant nonnulli, eas quamvis sanguine florido suffusas pene semper observavimus. Inter fibras excipit vasorum propagines prope innumeras, sanguiferorum præsertim. Hinc fibris color intense rubicundus. Corpora nervosa sunt profecto, quæ præ cæteris intumescunt producuntur, duritiem sibi comparant, atque eriguntur, ut peropportuna ad coitum fiat penis erectio.

Describitur penis septum.

Septum penis est membrana quædam fibrosa, quæ a radice penis, inter utrumque corpus nervosum, ad apicem producitur. A primo ad ultimum sensim extenuatur, quoad penitus evanescat. Quamobrem corpora præfata nervosa in unum quasi, versus penem extremum, coalescere videntur, ubi caput penis, sive glandem constituunt.

Describitur glans penis.

Pars glandis inferior amplior nuncupatur *corona* cui laxe injungitur præputium per vinculum carnosum, quod vocatur *frænulum*. Glans foris vestitur membrana tenuissima, nervosa potius, quam carnea, quæ per foramen glandis oblongum provenit, atque explicatur a membrana urethræ interiori, idest a membrana vesicæ nervosa. Quocirca in affectionibus vesicæ interioribus, in ulcere videlicet, lithiasi, cæterisque læsionibus, urina præsertim emissa, acriter prurire solet glans.

Describitur urethra.

Urethra, vel meatus urinarius non videtur, nisi collum vesicæ in fistulam extenuatum, productumque, quod per penem medium, inter utrumque corpus nervosum, subtus tamen, ad glandem tendit, desinitque in foramen glandis oblongum. Parietes crassiores habet, quam vesica, spongiosos item, & fibrosos, ut una cum corporibus nervosis intumescere, rigidamque fieri valeat

leat in erectione penis. Est musculus, sive tendo productus, & cavus ipsius vesicæ, cujus contractio urinæ excretionem, seminisque emissionem adjuvat. Non recta producitur a collo vesicæ per longitudinem penis, quinimmo reflectitur veluti Litera *S* majuscula. Etenim descendit primo infra ossa pubis, mox per eumdem penem, quum laxe tamen propendet, incurvatur, atque in glandem descendit.

Describuntur vasa penis.

Vasa penis sunt binæ arteriæ, binæ venæ, & bini nervi, quæ per partes penis universas, sive per ambitum penis universum, tum intus, tum foris effunduntur: hoc tamen discrimine, quod arteriæ uberrimæ, & fere solæ distribuantur per corpora nervosa penis interiora, venæ per partes tantum exteriores. Tum venæ, tum arteriæ originem ducunt ab hypogastricis. Venæ ad unionem corporum nervosorum ipsæ quoque uniuntur. Exinde prosequuntur per dorsum penis uno tantum ductu communi, per penem exteriorem propaginibus variis sese undequaque dirimentes. Nervos habet penis a plexibus pelvis, necnon etiam a conjugatione vertebrarum dorsalium posteriorum.

Describuntur musculi penis.

Musculi penis quatuor sunt. Erectores appellantur, quum per ipsos fieri præsertim videatur penis erectio. Bini producuntur a sede inferiori ossium pubis, & non procul ab origine desinunt ad penis radicem, sese inserentes fibrulis pluribus inter vasa penis sanguifera. Bini egrediuntur ab ani sphinctere, & non secus ac priores tendunt in eadem corpora nervosa, non procul ab eorum mutuo contactu, sese tamen fibris pluribus ad latera urethræ fere ad glandem usque producentes.

Quo pacto intenditur, atque erigitur penis.

Penis in erectione primo inflatur, atque producitur. Mox rigidus fit. Ac tandem erigitur. Iccirco inferre possumus, prurientibus libidine organis, contrahi fibras musculorum ad radicem penis, ubi vasa comprimunt sanguifera, & venas fortasse magis, quam arterias. Quod fieri minime potest, quominus sanguis stagnans, & compressus per substantiam spongiosam corporum nervosorum universam, eam inflet, extendat, & rigidam faciat; quæ postmodum necesse est ut erigatur, idest ut ab inferioribus vergat ad superiora, tendinibus musculorum ad invicem accedentibus per contractionem fibrarum validiorem. Id pluribus experimentis non ita pridem palam facere studuimus in cadaveribus variis, quæ in Theatro anatomico almæ Urbis publice secuimus.

Describitur Scrotum.

Ad calcem penis laxe propendet marsupium membranaceum, variis ubique rugis refertum, quod dicitur *Scrotum*. Scrotum linea quadam intermedia, quæ futura nuncupatur, in partem dexteram, atque sinistram extrinsecus finditur. Finditur quoque intus in duplicem sinum lateralem per sepimentum quoddam membranaceum, quod assurgens per medium scrotum a futura ad radicem usque penis, cui adhæret, alterum ab altero testem secludit. Substantia scroti nihil aliud est, quam integumentorum laxa soboles sine interventu panniculi adiposi. Habet a partibus proximis vasa triplicis generis, venas præcipue, quæ in varices per cutem scroti frequentissime assurgunt.

Quid sit dartus in scroto.

Panniculus carnosus fibris in scroto gaudet uberrimis, quarum beneficio musculi vices quodam-

modo

modo gerit. *Dartus* vocatur a Veteribus; tametsi dartus, penes nonnullos, musculus sit cutaneus membranaceus, quem in scroto a panniculo carnoso distinguere consueverunt. Panniculus carnosus ad suturam scroti duplicatur, suaque duplicitate, septum producit, quod vocatur mediastinum scroti, vel diaphragma. De hoc Regnerus de Graaf, necnon & Ruischius, quantum scio, loquutus est primus.

Usus scroti. Quod ad usum attinet scroti, affirmare possumus testes scrotum fovere, eosque ab incommodis exterioribus tueri. Substinet præterea, intercedente septo, cui fibrulis utrinque carneis suspenduntur, ne laxe nimis propendeant, testes. Sunt qui insuper existimant, ideo diaphragmate testes sejungi, ne mutuo lædantur affrictu. Ad hæc opinari quoque possumus, scrotum veluti musculum membranaceum identidem contrahi, rugosum fieri, ac testes blande comprimere, quo semen, aliosque humores per testium tubulos validius impellat.

CAPUT III.

De Gonorrhœa.

Definitio, & Diagnosis. PLura sunt, quæ aut seminis, aut cæterorum humorum vitio, generationis organa maribus intus lædere valent, & universam quandoque humani corporis viventis œconomiam turbare; semen quippe, vel exuberans, vel deficiens, vel fœdatum modo concrescit, modo intempestive profluit, modo tubulos, quibus continetur, laxat, disrumpit, exedit, & lacerat. Hinc tumores, inflammationes, ulcera, tabes, & reliqua, quæ sive seminis, sive aliorum fluidorum culpa, partes hasce inficiunt, corpus universum extenuant, & febres interdum, quas postquam, tum chronicas, tum acutas procreaverint, fovent, atque educant. Inter ægritudines hasce ea præ cæteris obversatur, quæ passim *gonorrhœa* nuncupatur. Nihil aliud est gonorrhœa, quam *excretio quædam præter naturam intempestiva, ac diutina materiæ seminalis*; quæ, quoniam modo non immutata profluit, modo autem corrupta, fœdataque, effecit, ut bifariam in *veram*, & *notham* gonorrhœam Clinici distinxerint. Tum dicitur vera, quum, quod in gonorrhœa profluit semen, optime sit constitutum, & nullum pravitatis extrinsecus præferat indicium. Contra dicitur notha, tum quum, aut semen fœdatum, aut quivis alter humor pravæ indolis excretus guttatim excidat. De vera in hoc capite unice agendum decrevimus, de notha, sive benigna, sive maligna sit, in sequentibus acturi.

Causa. Gonorrhœæ veræ indicia ipsa tradidit definitio. Causa ex quadruplici fonte haurienda videtur; etenim in recessibus, si redundet semen, si acre nimis evadat, si extenuatum prætermodum fluat, si capsulis, quibus continetur, laxatis, non opportune coerceatur, veram id omne facere poterit gonorrhœam. Postremum gonorrhœæ genus incontinentes, & molles, ii videlicet, qui libidini [redacted], quam sæpissime contrahunt.

Prognosis. Talis gonorrhœa, ea videlicet, quæ vera dicitur, etiamsi facilius, quam reliquæ gonorrhœæ

rhœæ ſpecies ſiſtatur, periculo tamen non ſemper vacabit; ſiquidem tum quum eam, aut plana neglexeris, aut pervicax operam medicam neutiquam reformidaverit, febrem hecticam, tabem extremam, veramque phthiſim faciet. Ab exuberante tamen ſi extiterit ſemine, ne ſtatim comprimas, caveto; immature quippe compreſſa teſtes non ſemel tumeſecit, & vel plethoram, vel cacochymiam procreavit.

Curatio. Ut prope curetur, cauſa, unde originem duxit, eſt eximenda. Quamobrem in plethoricis, aut tenui victu, aut venam ſecando, aut utroque præſidio ſanguinem imminue. Si nimium effervefcant humores, eorum fervorem refrigerantibus cohibe. Si tenuitatem ſibi maximam nactum prætermodum fluat ſemen, rebus craſſis, ac glutinoſis aliquam craſſitudinem ei blande compara. Si ſpermatis receptacula ob nimiam laxitatem, ne profluat ſemen non cohibent, adſtringentibus ea leniter robora, quod interioribus non minus, quam exterioribus præſtare curabis; de quibus univerſis, & in præcedentibus ſuſe jam dictum, & in ſequentibus dicendum.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Declarantur nonnulla ſymptomata, quæ in gonorrhœa benigna ſuccedunt.

QUI gonorrhœa tentantur, vera licet, ac benigna ſit, diu modo perſtiterit, emaciati ſqualent non raro, contabeſcunt, excarnes, exſuccique fiunt, & prætermodum languent. Iis inſuper incavantur, & liveſcunt oculi, & reliqua ſuperveniunt incommoda, quæ ex eo fieri autumamus, quod ſemine in gonorrhœa copioſe abſumpto, excretoque, ſanguini, cæteriſque humoribus deſit ſuccus ille balſaminus, blande volatilis, maxime idoneus, ut in alimoniam partium cedat, atque ſpiritus, ſuccumque nerveum in cerebro extenuatum reſocillet. Nil mirum igitur, ſi eo in caſu macreſcat corpus, ſi tabes membra corripiat, ſi ſplendor oculorum evaneſcat &c.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid ſit ſatyriaſis, ſive priapiſmus.

SEmen optime quamvis conſtitutum, organa mulierum pro conceptione fœtus minime fœcundaret, niſi debite, ac opportune ex veſiculis ſeminalibus per membrum virile in vaginam muliebrem immitteretur. Hinc, ſi vel intempeſtive effundatur, vel diutius, quam par eſt, intus coercitum, ſi obnixe reſiſtat ne profundatur, eas parit affectiones, quæ debitam, ac maturam ſeminis retentionem, atque excretionem reſpiciunt. Semen itaque citra quandoque coitum, nulla cauſa extrinſecus agente manifeſta, ſponte, ut ita dicam, ſua, ex partibus interioribus exciſum defluit, quandoque, & in ipſo coitu cito nimis profunditur, quandoque, aut tarde, aut numquam emittitur. In ſomnis non raro, titillatione intus illudente impura, ſemen excluditur; quod, quoniam præter voluntatem, & noctu præcipue contingere ſolet, *pollutio* dicitur *involuntaria*, ſive *nocturna*, quæ proinde inter ægritudines haud recenſetur. Verum tum, quum ab omni libidinis fomite procul, ac voluptate, nullaque prævia titillatione ſuis ex receptaculis excidat, & foras per urethram, aut in guttas depluat, aut alio quovis pacto diu emanet, id proprie gonorrhœa dicitur,

tur, idest seminis genitalis fluxus. Quoniam autem ejusmodi fluor, qui, & præter voluntatem, & præter naturam contingit, intento quandoque, & quandoque flaccescente extillat pudendo, *simplex* iccirco modo dicitur gonorrhœa, modo cum *priapismo*, idest *complicata*. Priapismus, satyriasis, tentigo, membri virilis nuncupatur erectio, sive intensio quædam convulsiva, vel spasmodica, quæ aut nervis, aut nervorum plexibus, sive in pene, sive in proximo lacessitis utplurimum concitatur. Dicitur priapismus a Priapo Liberi, Venerisque filio inter numina inepte Veteribus habito; quem, ut hortis præesset stulte olim fecerunt.

Et Custos furum, atque avium cum falce saligna,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Virgilius.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber incertus scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido, nam fures dextra coercet &c.
Horatius.

Satyriasis vocatur a Satyris Numinibus agrestibus, utpote qui salaciores in luxuriam proni effingerentur.

CAPUT IV.

De Gonorrhœa notha tum benigna, tum maligna.

Definitio, & Diagnosis.

GOnorrhœa, quæ notha dicitur, item & spuria, quæque nihil aliud est, ut ante innuimus, quam aut seminis præter naturam immutati, depravati, coinquinati, fœdatique proluvies per urethram profluens, vel extillans, aut puris, vel alterius cujusque humoris profluvium, sive potius stillicidium, in benignam, & malignam, quæ & virulenta nuncupatur iterum distinguitur. Tum notha benigna dicitur, quum humor peccans sub forma aut liquaminis cujusdam, aut fluoris tenuis aquosi citra pruritum, ac penis tentiginem effluit. Talis gonorrhœa, etiam si nullus præcesserit impuritatis concubitus, quandoque contrahitur, & fluxui mulierum albo, de quo imposterum, quodammodo respondet. Gonorrhœam notham malignam virulentam, & celticam eam contra vocamus, quam ex impuro concubitu celtica labes excepta molitur. In hac materia, quæ profluit, aut est semen fœdatum, aut est sanies, sive ichor acris, & mordicans, quem ulcus intus progenuit, qui partes proinde genitales irritando, ac varie lædendo plurimum ægrotanti esse solet infestus.

Causa.

Utriusque gonorrhœæ signa ex hactenus dictis satis elucescunt. Notham benignam triplici ex causa fieri opinamur: nimirum vel ex semine, quod in capsulis exuberans stagnet, ibique effervescat, immutationem quamdam subeat, & colliquescat: vel ex redundantia, ac pravitate alterius cujusque humoris, qui secernitur in glandulis prostatarum ad penis radicem: vel ex eo, quod, laxata, aut obstructa, aut alia quavis ratione, præfatarum partium læsa structura, succus ibi collectus depravetur, ac depravatus extillet. In primo, non minus, quam in secundo casu critice non semel profluxisse gonorrhœam vidimus, quæ proinde immature minime sistenda. Attamen, tametsi periculi

culi expers ut plurimum sit, symptomatica in tertio semper habenda est. Gonorrhœa virulenta, sive maligna, quæ, uti monuimus, ex impuro concubitu quamsæpissime contracta, humores universos coinquinat, quibus luem proinde veneream confestim impertitur, ex virulento per pudenda quodam afflatu provenit; qui genitalia interiora, & prostatas potissimum in coitu vitiavit, eaque sordidis ulceribus infecit.

Prognosis. Id gonorrhœæ genus pessimum est, cui nisi mature occurratur sanguinem fœdat, ac celticam infert labem, quæ, ejusmodi præcedente gonorrhœa, suas utplurimum in humoribus agit radices, ac uberrime pullulat.

Curatio. Ad eam eximendam antivenerea conveniunt præsidia, de quibus in historia sequenti, & ubi de morbo venereo ex professo agendum, fuse postmodum dicam. Id interim scias oportet, terebinthinam ea lege, quam ante præscripsimus, alvo prius exterta, ac humoribus rite præparatis, propinatam, gonorrhœæ subducendæ præsenti fore remedio. Alvum itaque prius blande solve, & renes inde, vesicam, meatusque proximos leniter dilue, ut terebinthinam tutius postremo præbere possis. Quamobrem, aut cassiam recens extractam, aut mel violatum solvens, insimul & permultam aquæ dulcis copiam hauriendam præscribito. Mox decoctiones emollientes malvarum, violarum cum syrupis ejusdem generis, violato videlicet violaceo, de althea Fernelii, necnon etiam aquas ex iisdem rebus per distillationem elicitas exhibeto, emulsiones ex seminibus melonum præcipue, & cucurbitarum cum aqua, aut malvarum, aut violarum, aut portulacæ frequenter haustæ humorum acrimoniam, quæ in gonorrhœa partes affectas lacessit, mirifice temperant; atque adeo symptomata, quæ intulit, plurimum lenire valent. Quum id non profecerit, ad aquas bolosas, chalybeatas, salmacidas, quæ partem affectam extergunt, confugiendum. Aqua calcis vivæ, de qua in capitibus superioribus mentionem fecimus, tum epota, tum per siringam in urethram immissa gonorrhœam virulentam pervicacissimam non semel compressit. De terebinthina id præcipue animadvertito, ejus abusum in gonorrhœa, quoniam plurimum calefecit, & fluidorum æstus concitavit, una cum febre ardentissima, & mictum cruentum interdum lethale movere potuit.

Historia I.

Quicquid, gonorrhœa medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

EUtychus perquam nobilis adolescens, habitu gracili, calido, siccoque, ac prope igneo temperamento donatus, octavum, & decimum nondum compleverat ætatis annum, quum mense decembri ab impuro biduum circiter concubitu, penem intus, a glande non procul, acriter ex improviso sibi prurire sensit. Pruritus mingendo acrior adhuc evasit; quinimmo, & ardor subinde, tametsi lenis, ad penis radicem suscitatur. Non multum post ichor ex urethra principio tenuis, mox crassior, ac purulentus extillare cœpit; qui temporis processu tantam sibi comparavit acredinem, ut dolor, qui partibus inde genitalibus concitabatur, incendens esset, ac pene inurens. Aderat insuper ea permolesta tentigo, sive spasmodica penis intensio, qua identidem, & noctu præ-

præsertim, excruciabatur æger. Renes, & lumbi incendebantur. Tumidi erant testes, & reliqua adjiciebantur, quæ gonorrhœa maligna Eutychum infectum satis superque declarabant. Ob pudorem labem jam ante contractam ad dies fere quindecim occultavit; quibus elapsis symptomatum atrocitate ductus, nos tandem consultum venit. Omnibus igitur sedulo exploratis, ægrotantem Eutychum tractare aggressi, quæ insequuntur, ad talem gonorrhœam evincendam, præscripsimus. Optime erat constitutus, & priusquam ejusmodi lue inficeretur, in omnibus bene valuerat, opipare vesci solitus, ac mero indulgens. Cassiam itaque recentem atque in bolos, ut legitur in A, coactam deglutiendam ei confecimus; cui, ut quum primum alvum blande concitaverit, aquæ simplicis superbibendæ copiam fecimus; quinimmo, & ut eamdem aquam iterum, iterumque perbiberet curavimus; quo, & alvum eluimus, & renes, & meatus in proximo sitos extersimus. Aquam postridie per levem infusionem sarsæ parillæ ad libras quatuor, & ultra cum syrupo de althea Fernelii paratam per dies octo quotidie, ita ut legitur in B, hauriendam præscripsimus, quam optimo cum successu in urinam semper excrevit; siquidem humor peccans, uberior licet eatenus profluxisset, longe mitior tamen factus, nec adeo ut antea partes affectas incendebat, nec tantam intus perniciem, ut ex indiciis facile haurire quisque potuisset, moliebatur. Post aquæ prædictæ usum, quem, uti monuimus, ad dies octo prosequutus est, intestinorum sordibus, cassia & aqua, ut antea elutis, ad usum devenimus per dies quindecim terebinthinæ hac ratione C digestæ. Victus, quo id temporis vescebatur, tenuis erat, humidus, concoctuque facilis. Infusione ex optima sarsa parilla ita ut indicat D, pro potu quotidie utebatur; ac sub vesperam emulsionem E diebus singulis hauriebat. Quibus peractis, rebus in melius semper procedentibus, melle hispano cum aqua calcis vivæ, ita ut legitur in F, soluto, gonorrhœam omnino fustulimus. Nihilosecius, ut celtica labes per gonorrhœam intus infusa radicitus evelleretur, Eutycho, vere proximo, per dies quadraginta, & ultra præsidia antivenerea, de quibus suo loco, ubi de lue venerea, adhibuimus.

A ℞. *Cass. rec. extr. drach. vj., cremor. tart. drach. ii., semin. cit. mund. drach. j. m. reform. bol. s. a. cap. ut m.*

B ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis. unc. ss., glycirrhiz. drach. j., cinnam. opt. scrup. i., aq. commun. lib. iv. M. f. inf. per noctem ciner. calid. s. a. colet., & adde syrup. de althea Fern. unc. ii. cap. ut m.*

C ℞. *Syr. de terebinth. s. a. parat. unc. j., aq. malva. lib. ss. M., & cap. in Aurora quotid., ut mon.*

D ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis. unc. j., glycirrhiz. drach. ii., cinnam. opt. drach. ss., aquæ commun. lib. iv. M. f. inf., & macer. s. a. per noctem, leviter bulliat, coletur, pro potu quotidiano ut m.*

E ℞. *Semin. melon. unc. j., cucurbitarum unc. ss., aquæ malvarum q. s. M. f. emul. s. a., & adde syr. viol. viol. unc. j., cap. ut m.*

F ℞. *Calcis vivæ ex conchis paratæ unc. j., aq. commun. chalyb. lib. iv. M. effervescat, colet. & adde mel. hisp. unc. iv., quam capiat ad unc. vi. horis mediis quotidie.*

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Abusus erodentium ad gonorrhœam sistendam.

IN gonorrhœa virulenta, sive maligna, prostatas præcipue minimis ulceribus affectas oculis nostris in cadaveribus sectis pluries introspeximus. Quinimmo, & vasorum oscula circumcirca granum hordeaceum iis exesa microscopio admoto non semel lustravimus. Id inter cæteros & Bartholino item innotuit; qui eamdem nobis in Centuriis tradidit rem. Ex quo pessime sane gonorrhœa laborantibus eos consuluisse patet, qui stillicidium comprimere erodentibus conati, aut granum hordeaceum corraserunt, aut partes proximas contriverunt, atque adeo gonorrhœam non modo effecerunt perennem, verum etiam, ex ulceribus cicatrice obductis, vestigio cicatricis calloso exuberante, deploratam urinæ difficultatem intulerunt; quam, quum cicatricem causticis postmodum consumpserint, majorem utique in dies effecerunt.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

In exordio gonorrhœa nequaquam sistenda.

GOnorrhœam cujusvis generis sit, in exordio ne comprimas unquam caveto, quinimmo & ut abunde profluat sinito; quoties enim eam immature compresseris, noxam toties plurimam molitus fueris. Hinc solemnis Empiricorum error, qui adstringentibus gonorrhœas sistere confestim enixi, humores universos incaute infectant. Quapropter ventrem blande solvere prius expedit, ac diluendo, emolliendoque postmodum partes infectas diluere, atque emollire, æque ac succorum acrimoniam temperare, atque infringere; quo solo, etiamsi adstringentia temere non adhibueris, gonorrhœam, licet pervicacissimam, prorsus non raro subreptam observabis.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Describuntur variæ herniæ species.

INter cæteras affectiones, quæ ob immature compressum in gonorrhœa effluxum extare consueverunt, sunt testium tumores, qui, in nodos quandoque fungosos extuberantes, id herniæ genus procreant, quod *sarcocele*, vel *hernia carnosa* a Chirurgis appellatur, quandoque in varices sese intorquentes, herniam inducunt varicosam, quæ *cirsocele* dicitur. Insuper quamsæpissime contingit, ut vel minimis fractis lymphaticis, vel sanguiferorum tunicis laxatis, lympha, sive serum intus in tunicis testes vestientibus exudans, & cumulata, eas prætermodum extendat, eamque iccirco herniæ speciem progeneret, quæ *hydrocele*, aut *aquosa* vocatur. At si lymphæ, sive loco, ob flatum inclusum tunicæ præfatæ intumescant, hernia, quæ exinde provenit, dicitur *ventosa*, sive *pneumatocele*. Quoniam autem testibus præter naturam aut extentis, aut extrinsecus adauctis, aut intumescentibus, & scrotum item extendatur, augeatur, & intumescat, necesse est; hinc fit, ut scrotum taliter affectum, quod *oschos* Græcis nuncupatur, herniis item laborare dicatur, quæ propterea, in *oscheo sarcocelen*, *oscheo cirsocelen*, *oscheo hydrocelen*, *oscheo pneumatocelen* distinguuntur. Ulterius, quia idem scrotum non raro omento, aut intestinis prolapsis prætermodum extenditur, duobus aliis herniæ gene-

generibus obnoxium evadit; quorum alterum *oscheo epiplocele*, alterum *oscheo enterocele* appellatur. Illud fit ab omento, quod *epiploon* quoque dicitur. Hoc ab intestinis, quæ *enterea* etiam nuncupantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit in maribus impotentia.

GOnorrhœa, & præsertim maligna, satyriasin creberrime facit. Cur id succedat ex dictis educere facile quisquè poterit. Interdum tamen, rarius licet, musculorum paralysin, & vasorum obstructiones inducendo, atque organa aliter lædendo, erectionem, debitamque penis intensionem infirmat, quinimmo & prorsus enervat. Hinc ob gonorrhœam impotentes quandoque evadimus; impotens quippe is dicitur, cui quicquid virum decet perficere minime datum est. Talis autem impotentia pluribus aliis ex causis extare quoque potest. Nam citra ejusmodi labem, aut sanguinis copia, aliorumque fluidorum pravitas, aut etiam organorum præpostera constitutio, nervos penis comprimere, eosque obstruere, musculos lædere, corpora nervosa infarcire, ac impotentiam proinde virilem procreare poterit; quam propterea eximes, si peropportune occurras ea adhibendo, quæ aut sanguinis copiam imminuunt, aut paralysin solvunt, aut vasa obstructa recludunt, aut partes enerves roborant, de quibus universis ante jam diximus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Describuntur variæ penis affectiones exteriores.

AD hæc, quæ mox recensuimus, eorum, qui gonorrhœa tentantur, penis aliis quoque pluribus affici solet incommodis; modo quippe ulceribus foris item laborat, convulsivas distorsiones modo patitur, modo inflammatur &c. Hinc *lipodermus*, *phimosis*, *paraphimosis*, *inflatio*, *verrucæ*, & reliqua, quæ ad Chirurgiam quoque proprie spectant. Lipodermus est, quum præputium ulcere absumptum, aut omnino deest, vel alia quavis ex causa ita contrahitur, ut glandem amplius tegere nequeat, in quo casu paraphimosis appellatur; sicut contra phimosis dicitur, quum glandi ita inhæreat, ut reduci nequeat. Penis inflatio, quæ, & penis tympanitis nuncupatur, fit tum, quum vapores ab humoribus penis interioris emissi, atque in flatus rarefacti, membranas penis exteriores extendunt. Verrucæ, sive excrescentiæ sunt varii generis tubercula, mollia nimirum, fungosa, quandoque fœtentia, quæ & in glandis summo, & circa glandis ambitum, & sub ipso præputio extuberant. Tales affectiones, ex gallica labe intus immissa, foris utplurimum pullulant; atque adeo ea requirunt præsidia, quæ ad labem præfatam delendam conferunt, de quibus suo loco.

CA-

CAPUT V.

De organis Mulierum generationi inservientibus. Ac primo de Utero.

Quid venit in fœminis, penes nos, pudendi nomine.

SEmen in coitu per membrum virile, ut vel in utero, vel in partibus utero annexis fœtus excitentur rudimenta, in pudendum muliebre immitti debet. Id nominis *pudendum*, *vulvam* denotat in fœminis, æque ac *vulvæ* partes annexas. Id est *vaginam*, *uterum*, *testes muliebres*, sive *ovaria*, *tubas*, & reliqua. In hypogastrio infra pubem supra perinæum inter inguina aperitur vulva. Vulvæ principium statim infra pubem, eoquod ob adipem plurimum aliquantulum promineat, *monticulus* nuncupatur *Veneris*. Sub monticulo inter labium utrumque, ibi ferme ubi adinvicem conveniunt vulvæ labia, supernæ extuberat *clitoris*: corpus scilicet carnosum, oblongum, perexiguum, glandis adinstar minoris nonnihil productum. Clitoris in æstu libidinis, non secus ac maribus penis, erigitur, quem profecto quodammodo mentiri solet; iisdem quippe partibus, urethra excepta, quasi compingitur. Glans iccirco clitoridis impervia est. Loco foraminis, obscuram tantum habet foveolam, sive parvam rimulam exteriorem. Plurimum in venerem prurit clitoris, quæ proinde sedes potissima libidinis censetur.

Describitur clitoris.

Describuntur nymphæ.

Infra clitoridem sese proferunt *nymphæ*, binæ scilicet productiones carnosæ, quæ pendulæ descendunt a glande clitoridis, cristas æmulatæ, quæ subnascuntur in gutture pullis gallinacei. Earum figura est propemodum triangularis. Rubore suffunduntur. Conduplicantur ex tunica labiorum vulvæ interiori. Adeo compactæ consurgunt virginibus, ut urinam emittant cum sibilo. Non ita iis, quæ virum semel passæ sunt, & fœtum præsertim enixæ.

Nympharum usus.

Nympharum usus penes Veteres erat, ut urinam deducerent inter geminos quasi parietes, atque aeri resisterent exteriori, ne vulvam subiret interiorem. Attamen, quia post partum non raro plane delentur, existimandum ducimus, in puerperio eas admodum explicari, ut labiis longe magis propatulis, faciliorem fœtui proxime excludendo exitum pandat uteri vagina.

Describitur fœminarum urethra.

Ex nymphis mediis, digito circiter infra clitoridem transverso, extuberat urethra muliebris, sive meatus urinarius, qui uti in maribus, ita & in fœminis producitur a collo vesicæ. In fœminis tamen unicæ inservit urinæ emittendæ. Ejus longitudo vix producitur ad digitos duos transversos. Latitudo pinnam æquat anserinam; ideoque amplior adhuc quam in maribus, nec sensu adeo pollet acuto. Hinc fit, ut facilius lapillos, sive in renibus, sive in vesica concretos, emittant fœminæ; quæ & lithiasi longe minus proinde laborare solent.

Describitur uteri vagina.

Infra meatum urinarium offendimus *uteri vaginam*, quæ a labiis vulvæ inter vesicam urinariam, atque intestinum rectum ad uterum pergit, quo in coitu penem immittit. Substantiam habet mollem, eamque spongiosam vasis pluribus sanguiferis, æque ac nervis contextam; quæ omnia tunicarum uteri soboles sunt, ut mox exponam.

Quid sint glandulæ, quæ non procul a vagina lacunas constituunt.

Per substantiam vaginæ interiorem quamplurimæ effunduntur glandulæ minimæ, prostatæ mulierum a nonnullis appellatæ; quarum ductus excretorii in cavum vaginæ osculis aperiuntur minimis, quæ veluti minima spiracula a meatu urinario non procul inhiant; ubi præterea corpus illud glandosum occurrit, quod *lacunas* appellare consuevit Regnerus de Graaf. Glandulæ minimæ lacunas componentes in æstu venereo per vascula minima excretoria humorem crassiusculum, oleaceum expuunt inter labia vulvæ, quam oblinire, & lubricam facere valet. Hinc perperam vulgo habetur, humorem præfatum sperma esse muliebre, quod a testibus mulierum interioribus in uteri capacitatem immittatur. Id humoris autem pollutæ mulieres quandoque emittunt.

Describuntur plexus retiformes, & sphincter vaginæ.

Orificium vaginæ non procul a labiis vulvæ, virginibus præcipue, non modo sphinctere membranaceo munitur, verum etiam binis gaudet corporibus carneis, quæ dicuntur *plexus retiformes*. Plexus retiformes bina sunt corpora carnosa, laxa, mollia, atque spongiosa, quæ ab ossibus pubis inferioribus assurgunt utrinque per labia vulvæ interiora ad latera vaginæ extrema. Foris contexuntur tunica carnea. Fibris intus implicantur quoque carneis. Inter fibras varias excipiunt sanguiferorum, nervorumque propagines. Quocirca nihil aliud habendi sunt plexus retiformes, quam musculi bini carnosi, qui ob libidinis æstum contracti penem arctissime comprehendunt; a quo semen propterea emissum exprimunt, & quasi emungunt. In quem finem fortasse item explicatur per faciem plexuum exteriorem, membranæ ad instar carneæ, alter musculus sphincter plexibus extrinsecus firmiter accrescens.

Quid sint vulvæ caruncularæ myrtiformes.

Parietes vaginæ interiores in rugas complicantur. Ex rugis consurgunt *carunculæ* quædam interiores, quæ *myrtiformes* dicuntur. Carunculis in puerperio fœtu transeunte explicatis, mirum in modum expanditur vagina, variis licet ubique fibris valide contrahatur, iis potissimum, quæ virum nondum exceperunt.

Quid credendum sit de clausstro veneris.

De claustro Veneris, sive de ea membranula virginitatis, quam passim in virginibus se observasse affirmant Sectores uteri orificio ex vaginæ meatu statim post carunculas myrtiformes insurgentem, explicatamque, plurimum dubitamus, ne rem morbosam, & præter naturam, pro genuino virginitatis indicio comminiscantur.

Vaginæ usus.

Vagina penem, & una cum pene semen emissum in uteri orificium immittit. Iccirco, peni intus immisso commode ut coaptetur, modo explicatur, modo coarctatur, modo producitur ope fibrarum, prout penis immissus major, vel minor sit &c. Vagina insuper mensium recrementa, fœtum, lochia, ac secundinas egerit.

Describitur uterus.

Sub finem vaginæ, occurrit *uterus*, cujus orificium vaginæ aptatur, sive potius continuum est. Uterus, organum videlicet fœminis peculiare, est pars organica, non ubique sibi similis, carnosa, cava, imi ventris, in hypogastrio, inter vesicam urinariam, atque intestinum rectum posita; ubi potissimum conceptioni, fœtusque nutritioni inservit.

Uteri situs, & connexio.

Figuram præsefert teretem, & quasi pyriformem; a lato quippe fundo, quod superius est, imminuitur in collum, quod inferne ducit in vaginæ capacitatem.

Ute-

Uteri moles in non gravidis, quamvis adultis, longe minor esse solet, quam vesica urinaria. Attamen in gravidis extra modum prolatatur. Collum, sive cervix uteri, arctissime adnascitur collo vesicæ, intestino recto, aliisque partibus proximis. Fundum nullibi alligatur, ut libere explicari queat. E lateribus suspenditur partibus supernis, æque ac infernis, vinculis varii generis intercedentibus, quæ quatuor sunt. Bina dicuntur *lata* a figura. Bina *teretia*, sive *oblonga*.

Describuntur uteri ligamenta.

Ligamenta uteri lata sunt membranacea, mollia, admodum valida, fibrosa. Egrediuntur utrinque a peritonæo in ossibus iliacis conduplicato. Inde explicantur usque ad uteri fundum, cui firmiter alligantur. Eoquod alas vespertiliomum mentiri quodammodo soleant, *alæ* vocantur. Teretia, sive ligamenta uteri *lumbricalia*, sunt ligamenta quædam carnea, quæ ab uteri fundo ex utroque latere, statim infra alas proficiscuntur. Per peritonæum duplicatum ad inguina descendunt. In inguinibus per processus peritonæi cavos perforant tendines musculorum abdominis. Exinde sub tegumentis ad clitoridem reflectuntur. Priusquam clitoridem attingant in fibrulas effunduntur carneas, quæ in clitoride, partibusque absumuntur finitimis.

Describitur uteri textura.

Uteri substantia, membranis ita obvolvitur, fibris ita intexitur, & vasis item irrigatur ita, ut muscularis prope videatur. Duplici contegitur membrana. Exterior carnea producitur a ligamentis uteri latis, hoc est a peritonæo. Per faciem uteri, æque ac vaginæ exteriorem explicatur ad labia usque vulvæ. In labiis extenuata evadit nervosa, sese postmodum extendens per faciem vaginæ, uterique interiorem universam. In uteri fundo levis est. In collo in rugas varie complicatur. Per uteri substantiam interiorem, crassam, æque ac spongiosam, inter vasa, & fibras carnosas, glandulæ plurimæ miliares disseminantur; quarum pleraque vascula excretoria tendunt in rugas cervicis uterinæ interiores; quibus laticem identidem insudant tenuem, atque acrem, qui organa molliter titillat, scalpit, & libidinem incitat. Uberior iccirco in salacioribus deprehenditur.

Describitur uteri capacitas.

Uteri capacitas utero non gerentibus, adeo obversatur angusta, ut fabam majusculam capere vix queat. Attamen valde explicatur gestationis tempore, fœtu, ejusque exuviis increscentibus. At falsum prorsus ducimus, observationibus innixi, quicquid & ipsi credebamus olim: nimirum parietes uterinos crassiores fieri tum, quum gestationis tempore in dies capacitas interior amplior evadit. Etenim eos longe tenujores non semel vidimus tempore gestationis, & a fœtu excluso non procul.

Vasa uteri.

Orificium uteri, quod in vaginam aperitur, perquam angustum est. Hinc virginibus, nisi fluant menses, styli apicem admittere vix unquam quit. Gravidis longe amplius, & potissimum non procul a puerperio, mucore licet quodam plane stipetur. Orificium uteri nonnihil extuberat in cavum vaginæ; siquidem uteri collum quodammodo duplicatur, & ita duplicatum sese profert paullulum intus in vaginam, in qua veluti apicem, sive finem glandis virilis inversum emulatur. Vasa cujuslibet generis effunduntur, tum per uteri, tum per vaginæ

substantiam. Arteriæ scilicet, & venæ ab hypogastricis, spermaticis, atque umbilicalibus. Lymphæ ductus maxima ex parte dirimuntur per faciem uteri exteriorem; atque a truncis minoribus in majores coeunt, quibus in cisternam Pecqueti tandem desinunt. De arteriis uteri id maxime adnotemus oportet, eas per anastomosin, non modo cum venis, verum etiam inter se, videlicet cum arteriis injungi, adeo ut, inflato arteriarum ramulo, qui dirimitur per uteri substantiam, inflatas illico arterias omnes, tum uteri, tum vaginæ intuearis. Attamen inflatis venarum truncis intumescit uteri cavum, & flatus immissus ex osculo uteri, crepitando in vaginam, sensim erumpit. Ex quo opinari rationi consonum est, venas uteri, sanguine nimio turgidas, menses per uterum in vaginam egerere.

Usus uteri. Nihil aliud esse videtur uterus, quam musculus cavus, qui & semen suscipit a viro in coitu pro conceptione excitanda, & fœtum conceptum fovet, alit, tutatur; quem subinde musculis abdominis æque ac diaphragmate contractis, ipse contractus, & undique pressus, una & lochia, & secundinas excludit. Statis insuper temporibus menses egerit. Concipere dicitur, sive fœcundari uterus, quum seminis auram tenuissimam, sive vim færacem a viro intus admiserit. Hanc tamen rite servare, eamque fovere, cæterisque organis, atque humoribus impertiri debet, ut deinceps expositurí sumus.

CAPUT VI.

De Testibus Mulierum, sive Ovariis.

Quid sint testes Mulierum, sive ovaria Recentiorum.

TEstes mulierum bina dicuntur corpora quædam membranacea, mollia, oblonga, semidepressa, quæ utrinque producuntur ab uteri fundo proxime supra ligamenta uteri lata, quibus firmiter adhærent. Eorum substantia spongiosa pluribus compingitur membranulis perquam exilibus, quæ in minimas ubique cellulas coarctantur. Cellulis insunt hydatides, & vesiculæ quædam pellucidæ, quæ humorem excipiunt defœcatissimum a glandulis, ni fallor, minimis, hinc, atque illinc sparsim per eamdem testium substantiam membraneam circumpositis. Humor vesicularum ex observationibus Graffii, ad ignem admotus veluti albumen ovorum tenuissimum concrescit. Quocirca præfatæ vesiculæ tamquam ovula habentur a Recentioribus, ut & testes muliebres tamquam ovaria. De ovulis hisce saltem in corpore humano loquutus est primus, quantum scio, Joannes van-Horne anno Domini 1668., quæ postmodum observavit quoque Regnerus de Graaf, necnon etiam Nicolaus Steno in pluribus aliis animalibus cujuslibet generis.

Describuntur vasa testium in fœminis. Tum testes mulierum, tum hydatides, sive ovula arterias habent, item & venas a spermaticis, quæ & in fœminis, & in maribus producuntur a truncis descendentibus, necnon & ab emulgentibus. Quinimmo venæ ita implicantur supra testes, ut in fœminis quoque corpora efficiant pyramidalia, sive pampiniformia.

Infra

Describuntur tubæ, sive ovi ductus.

Infra testes ab eodem uteri fundo proficiscuntur *tubæ*, quæ dicuntur: *Falloppianæ* a Falloppio, qui primus de iis verba fecit: *oviductus* a munere, quod iis adscribi solet. Sunt ductus bini membranacei, qui principio admodum angusto originem ducunt ab uteri cavo, a quo sensim explicantur tubarum ad instar, sese hinc inde inflectentes in arcus, quibus e longinquo, intercedentibus nimirum ligamentis uteri latis, testes complectuntur, ac tandem in fimbrias lacere ad testes accedunt.

Tubarum usus.

Tubarum parietes duplici compinguntur membrana. Exterior carnosa producitur a tunica uteri exteriori. Interior nervosa soboles est tunicæ uteri interioris. Tubarum usus penes Priscos fuit, ut sperma muliebre in æstu libidinis exciperent a testibus mulierum, eumque in uteri recessus immitterent. Id tamen falsum plane deprehenditur. Testes quippe mulierum non sunt revera testes, uti monuimus, sed capsulæ potius, sive alvearia, quæ vesiculas excipiunt, non secus ac in pullis gallinaceis ovaria excipere solent ovula. Quapropter sibi suadent Recentiores plerique, ovula fœcundata in ovariis, delabi per tubas in uterum, ut ibi foveantur, alantur, increscant; donec fœtus ex ovulis, maturitate confecta, tandem excludatur.

CAPUT VII.

De Mensium defectu, imminutione, & suppressione.

Definitio, diagnosis, & causa.

INter animantes, hominum tantum, & simiarum fœmina, per menses a pubertate ad senium, sese repurgare solet; eo quippe tempore statis temporibus, ac periodice sanguinem quemdam impurum, sive potius laticem cruentum ex utero utplurimum egerit; qui quoniam singulis quasi mensibus excernitur, *menstrualis* dicitur. Hujusmodi naturalis excretio, quamplurimas tum acutas, tum chronicas adimit ægritudines; quæ fœminas utique pessime torquerent, nisi humor peccans intus cumulatus peropportune identidem, ita ut innuimus, ex pudendis subduceretur. Hinc fluxus iste, si præter naturam deficiat, si supprimatur, vel si tantum etiam imminuatur, œconomiam animalem iis quandoque prorsus evertit. Id duplici ex causa evenire potest: fluidorum nimirum, uterique vitio. Num autem humores peccent secernendi, num peccet uterus, organum videlicet, per quod fieri debet ea secretio, non ex facili discernes. Attamen hisce in casibus, antequam judicium proferas, id potissimum observabis, an mulier affecta sensus quosdam intus quandoque percipiat, qui sanguinem quasi ostendant impetum facere ad partes infernas, & inde ad supernas resilire, & quasi retrocedere. Tum enim indicium tibi propemodum evidens erit, uteri vasa, sive infarcta, sive compressa, sive alia quavis ex causa nimis angusta, & perexigua, obices nectere, ne humor excernendus per menses erumpat. Quod insuper eo magis conjicies, si ad hæc lumbi doleant, hypogastrium intendatur, tumefiat abdomen, difficilis evadat respiratio, vires torpescant universæ, obmurmurent intestina, rugitus edant hypochondria, & præcipue si sanguis, tum vel ex naribus profluat, vel ex ore, vel ex aliis emittatur partibus. Id

quippe uteri vitio menses deficere pene semper declarat. Sin autem, tametsi nullum ex enarratis mulier patiatur incommodum, menses adhuc non fluxerint, tum ideo restitisse inferre poteris, quoniam imbecillis est sanguinis facultas; quæ sane tum infirmatur, quum vel in qualitate, vel in quantitate sanguis deficiat; in utroque enim casu, quum motus sibi per meatus consuetos exercere libere nequeat, nil mirum, si vasorum obstructiones in utero fiant, & si menses proinde sistantur.

Prognosis. Ex his mensium tum deficientium, tum etiam suppressorum diagnosin, & causas quum abunde habeas, ad prognosin transeundum; pro qua ad ea, quæ nos olim docuit Senex, animum primo adverte. *Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint* (a). Deficientibus igitur mensibus, & podagra, & aliæ non absimiles affectiones ei accidere possunt. Et subsistentibus morbi eveniunt, nisi tamen aut utero gerat, aut lac habeat in mammis. Quo in casu persæpe contingit ut citra noxam menses deficiant. Qua de re inde idem addit Senex. (b) *Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibique fastidia ei accidant, prægnantem esse puta*. Mensium defectus, si uteri sit vitio, atque ex vitiata præsertim ejusdem uteri structura, tales procreabit ægritudines, quales evincere haud poteris. Facilius eas subduces, tum quum menses deficiant, aut supprimantur uteri vasis obstructis; & facilius adhuc, si humoribus vitium inhæreat. Cæterum ex mensibus, aut compressis, aut parce fluentibus, gravissimi persæpe incitantur morbi; siquidem ex eo passim cachecticæ, hydropicæ, phthisicæ evadunt fœminæ, contabescunt item, apoplecticæ, & epilepticæ fiunt, hystericæ; articulorum doloribus tentantur, ulceribus, scabie, aliisque pene ejusmodi incommodis infestantur.

Curatio. Ex quacumque causa menses non profluant, deobstruentibus eos leniter ciere juvabit, ideoque alvo prius extersa, ac oleo recens in jure aliquantulum amaro per dies aliquot propinato, rhabarbarum, radices, folia, flores, semina, cortices, & id generis reliqua, quæ dicuntur aperientia, commendamus. Mirifice inde prosunt aquæ tum simplices, tum ex rebus prædictis præparatæ, item & salmacidæ, inter quas Villensis, & Tetutiana imprimis, tum potissimum, quum large adeo ingerantur, ut vel per urinam, vel ex alvo brevi postmodum dejectæ, egerantur. Verum antequam hisce præsidiis uteri, aliorumque viscerum, si adsint obstructiones, recludere aggrediaris, operæ pretium est, crassos, glutinososque in meatibus stagnantes humores emollire, & quodammodo subigere, ut resolventibus, atque impellentibus minus inde reluctentur. Quo in casu oleum recens, sive ex amygdalis dulcibus, sive ex seminibus melonum, necnon etiam lini extractum, decoctiones aut malvarum, aut violarum, hisque similia frequenrer adhibe. Inter exteriora ad menses, aut inertes ciendos, aut ad compressos revocandos apprime conducunt fotus, suffitus, pediluvia, balnea, defricationes &c. Plurimum confert quoque motus, qui fiat per amœna, aere præsertim sudo,

(a) *Aph.* 29. *sect.* 6.

(b) *Aph.* 62. *sect.* 5.

sudo, aut leniter incedendo, aut equitando, aut navigando &c. Quibus ex ordine præmissis, & nihilosecius, si pervicax nondum profluat sanguis, venam iterum, atque iterum, quum urgeant symptomata, secabis.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quomodo propinandum est mel hispanum ad menses ciendos.

QUoniam tum, quum, aut imminuti, aut compressi, aut alia quavis ratione vitiati, defecerint menses, variæ, ut ante jam diximus, exinde insurgunt permolestæ affectiones, de quibus imposterum dicendum, quæque eamdem licet æque habeant originem, non omnes æque tamen eadem prorsus exigunt præsidia; iccirco quicquid de auxiliis medicis hic superesse videtur, suo loco deinceps proferre est animus. Interim adnotare oportet, nil ante hac, mensibus quocumque modo aut compressis, aut imminutis, ciendis, revocandisque, magis idoneum nos unquam expertos esse, quam mel hispanum, de quo fuse in præcedentibus jam loquuti, nihil est, quod ad nauseam impræsentiarum, eadem recoquamus. Methodus, & formulæ, quibus hisce in casibus mel præscribere consuevimus, sunt, quæ insequuntur.

℞. *mell. hisp. opt. unc. j.*, *aut j. ss.*, *aut ij.*, *cap. in Aurora*, *cui statim superbibat jusculi*, *sive insulsi*, *sive cum seminibus citri*, *sive cum foliis pimpinellæ*, *cicborei*, *floribus hyperici*, *necnon etiam quandoque centaurei minoris*, *& summitatibus absinthii unc. aut viij.*, *aut x.*, *& ultra*. *Id per dies quindecim*, *triginta*, *quadraginta &c.* Loco juris insulsi, optimo cum successu, serum lactis, aut chalybeatum, aut aliter medicatum quandoque præbuimus. Quibus viscera arefacta tabem propemodum moliri videbantur, jusculum præfatum insulsum, aut aquam nucerianam, aut chalybeatam, bis, ter, & quater diebus singulis, horis congruis, præterea propinavimus. Aliis, ut validius adhuc ageret mel, rhabarbaro ita, ut sequitur, mellis facultatem acuimus.

℞. *Rhabarb. elect. in pollin. redact. scrup. j.*, *sal. tart. scrup. ss.*, *mell. hisp. q. s. M. f. bol. s. a.*, *quem cap. in Aurora*, *cui mel statim superbibat ut supra*. Et nihilominus, quum affectio adhuc restitisset, bolis ex rhabarbaro paratis crocum martis cum aqua pluviatili, sive rore majali, uti docet Ettmullerus, elicitum ad grana x., xij., xviij., quandoque adjecimus. Insuper ad tussim siccam ex mensibus suppressis exortam, penitus eximendam mel hispanum cum decoctionibus, aut infusionibus ex corticibus resinosis juniperi felicissime non raro præscripsimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quicquid præstandum est ad sistendum fluxum mensium nimium.

EVenit non semel, ut vel exuberans sanguis, vel nimiam sibi nactus acrimoniam, vel prætermodum servens, vasorum parietes in utero, aut urgeat, aut disrumpat, aut concidat; atque adeo, ut immodice profluat. Hinc sanguinis fluxus nimius, qui quandoque eo devenit, & maxime in adultis, ut exsangues decedant.

Hujusmodi fluxus præternaturalis, atque immodicus, ut opportune sistatur, eadem plane requirit, quæ ad sistendam hæmoptysin in præcedentibus fuse jam exposuimus. Quinimmo, & in fluxu mensium, non secus ac diximus in hæmoptysi, ideo humores plerumque peccant, quia in tubulis concrescentes obstructiones faciunt, atque adeo sanguini resistunt, ne per venas libere fluat, qui proinde, retrocedendo, in valvulas impingit, ad latera vasorum impetum facit, membranis continentibus vim insert; quæ tandem laxatæ, & fatiscentes dehiscunt. Hinc aut osculis adapertis, aut pluribus obversantibus rimis, intempestive, large, & enormiter profluit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Inter ubera, & uterum maximum interest consortium.

Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone; docuit olim Hippocrates (a), & usui nos id non semel respondisse percepimus. Maximum profecto cum mammis consortium uterus habet; quæ, quum lacte turgent, sanguinem ex pudendis profluentem, utplurimum sistunt. Sicuti e converso sanguis, qui ex pudendis profluit, lac mammis pene semper adimit. Præterea, quæ scirrho in utero laborant, non absimili tumore in mammis pene semper tentantur. Ad hæc, quæ virum primum passa semine suscepto fœcundatur, per extuberantes mammarum papillas, aliasque varias istarum partium immutationes, certissima conceptionis quandoque præbet indicia. Quæ omnia maximam sane cum mammis affinitatem, & nervis, & vasis intercedentibus, in rerum exordio uterum contraxisse designant.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit fluor mulierum albus.

PRO sanguine menstruo, ex uteri vagina, præternaturam licet, aliquid aliud quandoque fluit, quod a præfato sanguine tum colore, tum consistentia, tum cæteris qualitatibus longe distat. Talis excretio, quum sit humoris cujusdam, qui serum crassiusculum, albicans utplurimum æmulatur, eam utique fœminis solemnem facit ægritudinem, quæ *fluor mulierum albus* nuncupatur, tametsi colorem album non semper habeat. Quo circa *humoris pituitosi subinde crassioris, albi plerumque, nec non etiam alterius quandoque coloris sine dolore copiosam, ac frequentem excretionem esse, vulgo describitur*. Vocatur item *menstruum mulierum album, & gonorrhœa non virulenta*; valde tamen improprie, quum nec mensibus singulis periodice recurrere soleat, nec gonorrhœæ quidem naturæ cohærere, etiamsi gonorrhœa fluxum hujusmodi interdum insequatur. Id generis fluxus, & ante pubertatem, & mensium egestionibus jam exactis, & in senio quamsæpissime incitatur. Ratione symptomatum in *benignum & malignum* distinguitur. Benignus dicitur, qui citra multam noxam, præterquam quod graviora nimirum inferat symptomata, diu vel fluxerit, vel fluere possit. Ma-

(a) *Aph.* 50. *sect.* 5.

Malignus tum contra vocatur, quum pervicax sit, una, & corpus emaciet, vires extenuet, febriculas incitet, aliasque non leves inferat ægritudines. De fluxus præfati origine plura fabulati Majores sunt, qui uterum utpote aliis partibus subjectum, imbecilliorem, quam reliqua viscera effecerunt, sibi proinde suadentes, a cerebro, ventriculo, hepate, liene, mesenterio &c., recrementa pituitosa recipere, eaque subinde in fluorem album per vaginam egerere. Alii contra frigidam ejusdem uteri in eo morbo culpantes intemperiem, pituitam per id intus in vasis primum ibi cumulari, ac mox secerni &c. At nos potius autumabimus, ejusmodi pravum fluorem a latice albugineo fieri, qui in glandulis uteri secernitur, quique vulgo tamquam sperma muliebre perperam habetur; talis quippe latex, aut in glandulis, aut extra exuberans, vel aliis ex causis vitiatus, atque ex glandulis in uteri cavum insudans, præfato fluori pariundo non impar videtur. Fluor mulierum albus, periculi utplurimum licet expers, tum præcipue, quum nulla malignitatis præseferat indicia, difficile tamen evincitur, in vetulis maxime, cachecticis, iisque, quibus diu substiterint menses. Longe difficilius restitisse observavimus, ubi ex vitiata in abortu, sive pariundi difficultate, sive in molarum egestione, cæterisque tum foris, tum intus agentibus causis, uteri structura provenerit. Quæ pro gonorrhœa virili simplici, ac benigna subripienda jam ante proposuimus, quæque ad chlorosin extirpandam imposterum proponenda existimavimus, & hic quoque conveniunt. Quoniam autem fluor, ante dictus, experientia teste, ex utero obstructo, aliisque infarctis visceribus, frequentissime oritur, nil utique mirum, si deobstruentibus ex rhabarbaro potissimum, cæterisque rebus amaris confectis passim sistatur. At enim vero, quum fluor iste ex nimio sanguinis sero moveatur, tum serum exundans, aut per sudorem, aut per urinam, aut ex alvo blande subducere juvabit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit, & quomodo curetur gonorrhœa muliebris.

FLuor mulierum, qui dicitur albus, tantam sibi quandoque comparat labem, ut varia hinc inde minima sparsim in utero procreans ulcera, glandularum oscula ubique depascat, atque in veram gonorrhœam convertatur. Hujusmodi gonorrhœa, *muliebris* vocatur; & ubi ex impuro concubitu contrahatur, vel in fœminis, dicitur *venerea*, quæ profecto item & ex minimis glandulis insudat, quas, aut in utero aut in vagina, aut non procul a meatu urinario, virus celticum ulcere affecit. Gonorrhœa muliebris, æque ac virilis eadem prorsus requirunt præsidia. Ne adstringentibus tamen immature sistas unquam admoneo, ne pro gonorrhœa, imprudens, uteri scirrhum moliaris.

CAPUT VIII.

De Affectione Hysterica.

Definitio. AFfectio hysterica, ex eo *suffocatio* quoque dicitur *uterina*, quod uteri vitio excitari passim vulgo credatur. Hinc & *asthma uterinum* ab Helmontio appellata est; quum inter Majores nostros non defuerit, qui eam describendo, *congeriem* esse protulerit *symptomatum, quæ per periodos oppugnant, & modo naturales, modo animales, & persæpe vitales spiritus afficiunt, sive potius facultates lædunt, uteri prurientis vitio*.

Diagnosis. Plura, & admodum varia sunt, quæ affectionem hystericam, & anteire, & comitari solent, symptomata. Creberrima tamen sunt, quæ insequuntur. Spirandi labor, faucium angustia, borborygmi, atque rugitus per hypochondria evagantes, nausea, non raro vomitus, cardialgia, anxietas, cordis palpitatio &c. Ea sunt profecto, quæ vehementiorem paroxysmum præcedere observamus. At, ubi invalescat ægritudo, ad hæc imminuitur pulsus, & quandoque plane quasi deletur. Oris supervenit squalor, una & frigus per universum corpus effunditur. Convelluntur viscera, quæ in glomum prope coacta, ex imo ventre, sursum quasi conscendere deprehenduntur. Inde vulgi, inter mulieres præcipue, futilis vulgata opinio, perperam sibi suadentis, uterum, ex ima sede, in paroxysmo hysterico, interdum avulsum, ad fauces in sublime ferri. Spasmodice non semel tentantur membra exteriora &c.

Causa. Vetus opinio fuit, a vaporibus quibusdam malignis, ac pene veneficis, qui vel a sanguine, vel a semine in utero putrescente, corruptoque, emittuntur, affectiones hystericas incitari. Quod prorsus inficiari nequaquam aggredior; quum uterus, ut ex Anatome clare patet, organum utique sit præcipuum, quod, nervis intercedentibus, cum cæteris organis plurimam habet affinitatem. Hinc ab humoribus pravis lacessitus variam, tum sibi proxime, tum cæteris visceribus, ac partibus noxam ex consortio, remote, ut ita dicam, moliri valet. Verumtamen, quoniam & mares, uteri quamvis expertes, non absimilibus obnoxios incommodis frequenter vidimus, inferri posse non videtur abs re, uterum in fœminis affectione hysterica, proxime saltem, non semper affici; quinimmo, ut & de morbo hypochondriaco in maribus ante jam diximus, ita & de hysterico in fœminis dicendum ducimus, cerebrum, nervorumque genus esse, quod quamsæpissime a spiritibus, succoque nerveo, aliisque humoribus prave excandescentibus percitum, musculos convellat, viscera torqueat, facultates omnes turbet, ac universam œconomiam animalem evertat. Hinc non injuria in affectione hysterica, & mesenterii plexus quandoque culpantur; qui per consensum a succis intestinorum præter naturam effervescentibus, non raro affecti, ejusmodi turbas mulierum hystericas movent.

Prognosis. Affectiones hystericæ, tametsi periculo utplurimum vacent, non est tamen, quod necem interdum non intulerint. Quum sive certis, sive incertis recurrant periodis, tum potissimum difficile solvuntur. Virginibus, &

& præsertim post pubertatem, aliisque, quæ otiose vivunt, solemnes esse solent, magisque pervicaces; nec non etiam iis, quibus menses, aut nondum effluxerint, aut defecerint, aut suppressi plane restiterint. Puerperis, uteroque gerentibus noxam plurimam moliri semper consueverunt. In epilepsiam, apoplexiam, maniam, aliasque pessimas ægritudines, eas non semel cessisse vidimus. Ructibus creberrimis, atque sternutationibus erumpentibus, persæpe solvitur paroxysmus. *Mulieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio bonum*. Hippoc. (a).

Curatio. Quicquid tum hypochondriacis, tum epilepticis affectionibus, & in paroxysmo, & extra paroxysmum curandis, in præcedentibus attulimus, & hystericis adamussim conferre videtur; quum a contractionibus musculorum, & membranarum spasmodicis æque omnes procedere arbitremur. Si menses debite non profluxerint, saphena iterum, iterumque soluta, aut hirudinibus pudendis admotis, sanguinem imminue. Fotus, suffitus, qui *anthysterici* vocantur, pediluvia, balnea, aquæ tum dulces, tum martiales large epotæ mirum in modum prosunt. Oleum recens crebro ingestum, decoctiones emollientes, aquas, quæ vulgo nervinæ appellantur, uti sunt matricariæ, peoniæ, totius citri, cerasorum nigrorum, theriacalia, & reliqua, hisce in casibus, tum, quum maxime invadit accessio, neutiquam spernes. Nec confectiones hyacinthinas, alkermes sine odore, trypheram magnam, mithridatum, camphoram, castoreum, opiata, myrrhata, & reliqua ejusmodi, utpote quæ non improspere cessisse quandoque vidimus, omnino improbabis. Quæ graveolent, naribus subjecta nervos olfactus insuaviter irritando, humorem pravum a partibus in paroxysmo convulsis aliorsum amovent. Cæterum catartica, nisi leniter admodum egerint, eaque omnia, quæ viscera valde irritant, ex longævo plurium annorum in hunc diem, quantum percepimus, usu, hysterice laborantibus prætermodum semper offecerunt.

(a) *Aph.* 35. *Sect.* 5.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Affectio hysterica, ut a suffocatione, quæ faucibus ob hystericam convulsionem valde contractis, interdum imminet, *suffocatio* vocatur *uterina*; ita & a vesania quadam, qua furibundæ ac pene bacchantes virum non raro expetunt mulieres hystericæ, *furor*, nuncupatur *uterinus*; quem proinde dici potest, *sensum libidinis acerrimum esse, qua in venerem fœmina perdite accensa, ac vehementer percita, nisi plane insanierit, ad insaniam prope redigatur*. Indicia furoris uterini plurimum variant; aliæ quippe mœrore, ac taciturnitate, veneream prementes cupidinem, contabescunt; aliæ procul ab omni ratione, pudore, & consilio inepte garriunt; in iram nonnullæ succenduntur, in risum modo, modo in lacrymas funduntur &c. Uterini furoris origo etiamsi penes Galenicos extet, aut a copia, aut a caliditate, aut ab acore seminis mulierum, nos tamen delirii speciem furorem uterinum esse

Quid sit furor uterinus.

se rati, cerebrum, & nervos in eo primum affici quamsæpissime, autumamus; non negantes equidem, id utplurimum uteri causa quoque fieri; uterus enim succo prostatarum acriori quandoque concitatus, & nervos lædere, & cerebrum afficere, & spiritus animales ita commovere poterit, ut talem, ac tantum efferatum libidinis æstum suscitet, foveatque. Ejusmodi furor, nisi conjugio opportune cohibeatur, in maniam deploratam frequentissime transit.

CAPUT IX.

De Chlorosi.

Definitio. CHlorosis, *color* videlicet *mulierum a naturali recedens*, *febris alba*, *illeritia alba*, *morbus virgineus*, unum, idemque penes Clinicos sunt; vocibus quippe iis eam designant in fœminis ægritudinem, in qua *earum facies præter naturam immutata*, *decolor*, *squalens*, *& ad viridem quasi persæpe inclinans*, *pravam fluidorum ex humoribus prave congestis indicat indolem*, *mensium defectu quamsæpissime contractam*.

Diagnosis. Quæ chlorosi laborant præter oris, totiusque corporis colorem fœdum, lente identidem febriunt, ingenti cum labore respirant, capitis dolore persæpe anguntur, cibos fastidiunt, evomunt, languent, doloribus per articulos tentantur vagis, mœrentes, desides, & anxiæ sunt. Ad hæc iis palpitat cor, intenduntur hypochondria, obmurmurant, rugiunt, atque inflantur intestina &c.

Causa. Viscera mensium retentione infarcta, quum in gyrum per ea libere circumvehi nequeant humores, chlorosin faciunt; quam iccirco, non nisi deobstruentibus, ut postmodum dicendum eradicare unquam poteris.

Prognosis. Chlorosis frequens licet sit, & contumax, lethalis esse non solet; hydropem tamen nonnumquam facit, hecticam, aliasque chronicas parit ægritudines. Ubi mensibus adapertis, pravæ indolis recrementa, quæ humores coinquinaverant, statis temporibus, periodice, ac debite ex pudendis egeruntur, plerumque solvitur.

Curatio. Quocirca, ut talis affectio eximatur, ea omnia adhibere juvat, quæ menses blande movent, viscerum obstructiones recludunt, ac labem ex humoribus pravis intus congestis jam ante contractam eluunt. De iis sermonem pridem fecimus, ac in historia mox facturi sumus.

Historia II.

PHilenium, perquam elegans Corcyræ virgo, ex oris ægeis, inter barbaros piratas, aliorsum transvecta, nescio quodam fato, Venetiis ad Urbem tandem appulit. Ætate tum florebat, & morum probitas, ejusque in arduis abunde spectata honestas, effecit, ut aliis quibusdam associata virginibus, in cœtu quodam pio jamdiu conviveret, manibus victum sibi comparans, & religiose, ac pudice Divinis interim vacans. Fortis erat, procera, lacertosa, & ad id temporis optime valens. At animo ex improviso vehementer commota, plura exinde passa est incommoda. Quinimmo, & menses, qui pridem large semper fluxerant, ad annum, & ultra restiterant. Hinc macie pene confecta, ac præter modum languens, una & torpens febrire cœpit. Febris, nec erat

Quicquid, chlorosi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

erat continua, nec sibi semper æqualis; quinimmo, & procul ab omni certa periodo, modo minor, modo major erratice recurrebat. Attamen nauseabunda pene semper erat, nisibus vomendi irritis frequenter obnoxia. De capitis insuper doloribus quibusdam lancinantibus, qui die inclinato præsertim vigebant, conquerebatur. Pulsus erat imbecillis, urinæ albæ, ac tenues. Oedemate affecta, genæ, manus, & pedes non nihil intumuerant. Sitiebat, ac viribus plane fractis, irrequieta, atque insomnis dies, noctesque plurimas jam traduxerat, sibimetipsi, non minus, quam adstantibus infesta. Dies erat morbi decima octava, quum Philenium ita febrientem invisimus. Et quoniam primævum ejus colorem omnino immutatum vidimus, ex roseo quippe pallens, & prope livescens consuetam Philenio venustatem ademerat, eam chlorosi fœdatam esse conjecimus; atque adeo, ut chlorosi afflictam, ita ut sequitur, Philenium tractare cœpimus. Adstricta erat alvus, urinas uberrimas excernebat, plurimumque, noctu præcipue, cum ingenti spirandi labore insudabat. Quamobrem enemate ex aqua simplici mellita prius indito, eoque alternis ad dies quindecim circiter deinceps iterum, iterumque immisso, insusionem hanc A antelucanis horis quotidie sumendam ei præscripsimus. Mensis erat Septembris post æquinoctium, quum ea nobis sese tractandam tradidit; sero iccirco caprillo, ut in eadem A exponitur, medicato, ad ejusmodi subripiendam ægritudinem usi fuimus. Diebus viginti exactis, ad usum martis, ita, ut declaramus in B, propinati devenimus. At enim vero in melius rebus semper procedentibus, & viribus plurimum restauratis, ad aquam subinde, primum villensem, mox tetutianam, quam ita, ut legitur in C, per dies plures hausit, transivimus. Ac postremo, ad libram circiter in varias vices ex pudendis sanguine educto, ac cute universa crebro desricata, & cucurbitulis quamsæpissime per inferiora apprehensa, distractaque, de more refluxerunt menses, atque universis viscerum solutis obstructionibus, antequam ad diem quinquagesimam pervenisset, plane morbus evanuit.

A ℞. *Rhabarb. elec. scrup. j., sal. tart. scrup. ss., seri cap. lib. j. M. f. levis infu., & mac. S. A., & adde fol. cichor., pimpinel., borrag. anà pug. j. bul. leviter. Colet., & adde crystal. mont. præp. drach. j., mel. bisp. unc. j. cap. quotidie in Auror., ut m. per dies xx.*

B ℞. *Croc. mart. cum ror. majali parat. scrup. ss., sal. tart. gr. vij., mel. bisp. q. s. M. refor. bol. deaur. S. A.; & cap. quotidie in Auror., cui suberbib. seri capril. per extinctionem ferri candentis S.A. chalyb. lib. j., syr. de cichor. cum rhabarb. unc. j. per dies xv.*

C ℞. *Syr. flor. persic. unc. iij., aq. villens. q. s. M. f. pot., & cap. in Auror. cui superb. per intervalla ejusdem aq. villens. lib. iv., alternis diebus per vices tres.*

Item ℞. *Syr. flor. persic. unc. iv. aq. tetut. q. s. M. f. pot., & cap. in Auror., diebus tamen sex ab usu aquæ villens. exactis, cui superb. ejusdem aq. tetut. lib. iv. per intervalla ut supra. At pro una vice tantum.*

ANI-

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid præstet ferrum in usu medico, & quomodo propinetur.

MArtis nomine ferrum, penes Chymicos, ideo sonat, quia, vel a truci Martis lumine suos ab alto in terris excipere influxus commenti sunt, vel pleraque in officinis ex ferro bellandi cuduntur instrumenta. Inter præsidia medica, non infimum sane, vel antiquitus obtinuit locum. *Sale* quodam congregatur acido, atque austero, quem *vitriolicum* vocant, *sulphure*, & *terra*; quæ sibi invicem adeo laxe in ferro injunguntur, ut facile analysi chymica dissolvantur. In usum medicum, tum consistens, tum susum, sive potius solutum præbetur. Ubi ferrum consistens propinare nobis artisit, *croco*, qui dicitur *martis* passim utebamur. At ubi per modum liquoris, id metalli genus exhibere placuit, tum tincturam, pomorum succo, ex marte elicitam, utpote quæ blandior nobis visa sit, frequentius, quam alias martis solutiones, præscripsimus. Crocus martis, sive ferrugo, nihil aliud est, quam portio quædam ipsius ferri, sive chalybis in pollinem tenuissimum per aerem humidum passim extenuata. *Calx ferri*, non improprie, a nonnullis dicitur, eoquod non aliud sit porro, quam ferrum in calcem, aut natura, aut arte subactum. A croceo, quem objicit colorem, crocus ab aliis nuncupatur. Duplicis generis est. Ab effectu alter aperiens, adstringens alter appellatur. De aperiente hic loquimur. De adstringente postmodum. Aperiens est, qui vel sua, ut ita dicam, sponte, aere udo, vel data opera, aut aqua pluviatili, aut sulphure ignito educitur. Ejus dosis nobis consueta, est a granis duodecim, ad decem & octo, & ad scrupulum. Blande agit, obstructiones recludit, viscerum vim enervem roborat, aliosque optimos, cito, ac tuto, non præposterе modo propinetur, præstat effectus. Id equidem idem, non æque tamen semper prospere adeo, ex usu martis pomorum succo soluti, percepimus; qui eadem circiter dosi, idest a guttis quindecim, ad vigintiquinque, & triginta propinari solet. De ferro, chalybe, vel marte, naturam, facultates, officinas, & reliqua, quisquis callere velit, Ettmullerum, Lemery, aliosque complures, qui ea de re susius scripserunt, adeat. Tyrones interim monitos velim, ne corpore non rite purgato, neque humoribus non antea diu subactis, ac non bene dilutis, martem unquam propinent. Mars enim in visceribus impetum facit, atque adeo in recessibus humani corporis vitam habentis, nisi facile cedat humor peccans, agendo sese intus intrudit, in tubulorum parietes ictus ruditer impingit, fibras convellit, membranas impellit, lacerat, infringit, meatus magis magisque quandoque infarcit, abscessus, scirrhos, sanguinis, lymphæque profusiones interiores, inflammationes, cruciatus, tormina, aliasque plurimas perquam molestas, & persæpe lethales inducit affectiones.

Quid sit, & quo pacto crocus martis aperiens eliciatur.

Crocus, sive ferrugo, quæ dicitur aperiens, tum ex ferro, tum ex chalybe, madidis, sive saltem humidis, non alia elicitur de causa, nisi quod spiramenta, sive meatus ejus insensiles, humiditate obstructi, materia secundi generis ex æthere amota,

ta, eam primi generis solam intus excipiunt, ætherem nempe excipiunt tenuissimum, concitatissimum*, atque ob maximam, quam solus exercet, celeritatem, validissimum; qui propterea per eas minimas intercapedines sese pernicissime exagitando, meatus indefinenter corradit, ac prope limat, molecularum compagem, quas offendit, ubique comminuit, extenuatque. Hinc ferri durissima licet substantia, paullatim subacta, ac pene dicam putris, in pollinem solvitur, atque in minutissimam quasi, aut cumulatur, aut decidit, scobem. Hinc ferrugo &c. En quo pacto in rubiginem reliqua omnia metalla item converti credimus. En quo pacto in abditis terræ visceribus in calcem, vel in pumicem, lapides quandoque vertuntur. En quo pacto subterranea suscitantur incendia, aquarum æstus, terremotus & reliqua, de quibus, si ter Optimus Maximus dederit, suo loco dicendum. Si quis hæc interim luculentius percipere cupiat, Tractatum nostrum Physico-mathematicum, quem de motu non ita pridem evulgavimus, adeat. At ubi crocum ex ferro elicere quamcitissime velis, scobem, quam aut ex ferro, aut ex chalybe subtiliter limaveris, in disco ad solem ardentissimum æstivum subdio expone, eamque, sive rore majali, sive aqua, vel pluviatili, vel communi, identidem, ut quum exiccetur, iterum, iterumque consperge, & scobem in ferruginem ubique friabilem brevi conversam deprehendes. At si talem ferruginem ad solem deinceps adhuc, ut antea, consperges, ea ulterius solvitur; verum, croceo extincto colore, atra demum evadit, odorem sibi vitrioli, sive potius atramenti nacta.

Quid sit crocus martis adstringens.

Crocus martis adstringens, nihil aliud est, quam ferrugo, ope sulphuris accensi, uti diximus, prius educta, quæ subinde aceto fortiori diu subacta, ac igne vehementiori mox perusta, vim sibi adstringendi comparat. Hæc ad granorum quindecim, viginti, triginta circiter dosin propinata, quoscumque sanguinis fluxus sistit immodicos. Verumtamen, vel in hoc caute admodum incedas oportet, ne sanguinem cohibendo, inflammationes facias, atque abscessus. Crocus martis, inflammati sulphuris vi, elicitus aliquantulum præponderat: evidens indicium, aut a sulphure ignito, aut ab ipso igne sibi aliquid immixtum suscepisse, quod eidem croco inhærens, insimul & gravitet, & agat.

Ad usum medicum ferrum magis, quam chalybs probatur.

Chalybem ferrum esse arte magis coactum, magisque subactum, expolitumque, lippis, & tonsoribus abunde notum est. Chalybs igitur, eoquod longe majorem, quam ferrum adhuc rude, duritiem habeat, magis resistit, subtilius elimatur, & elegantius levigatur, cui proinde nitor maximus ab Opifice detergendo comparatur. Ex quo utique fit, ut quemadmodum chalybs utensilibus nonnullis exterioribus perficiendis idoneus magis sit, quam ferrum, ita ferrum, quoniam facilius solvitur, ad labem in visceribus destruendam, vires suas facilius exerat. Eorum, qui, affectionibus destruendis martialibus intus utuntur, fæces egestæ subnigra quadam inficiuntur uligine; quam ex eo, ut opinor, martialium sale vitriolico, ut ita dicam, nanciscuntur; is quippe cum succis intestinorum acerbis immixtus, speciem ibi quamdam elicit atramenti.

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

In quo casu ad cachexiam subducendam conveniat sanguinis missio.

AD eam, quam in Phylenio Chlorosin nuper tractavimus, penitus eximendam, sanguinis copiam ad libram usque ex pudendis imminuimus; quo tandem ægritudinem, in ea quamvis humores pravi cachexiæ speciem jam fecissent, plane extenuavimus. Id si quispiam improbare velit, ad ea, quæ paucis mox proferre est animus, mentem quæso adhibeat. Scimus & nos, in cachecticis sanguinem large educere, rem fore persæpe, aut irritam, aut periculi plenam. Attamen medicinam facientes, didicimus quoque, usu potissimum ducti, in virginibus præsertim, mensium fluxu compresso oppletis, didicimus inquam, non modo simplicem chlorosin, quinimmo, & hydropem pene confirmatam, hirudinibus pudendo admotis, & sanguine uberrime hausto, actutum quasi evanuisse. Nec id quidem mirum alicui esse debet, modo advertat, pravam humorum qualitatem, quæ, & cachexiam, & hydropem tum facit, non aliunde extitisse, nisi a quantitate sanguinis nimia intus præter naturam retenti; qui nisi opportune subreptus esset, intus adhuc viguisset causa morbi primaria. Enim vero nobis, qui in clinice exercenda naturæ instituta, & consuetudines scrupulose, ut ita dicam, imitari debemus, perquam sæpe observasse datum est, affectiones hujusmodi, etiamsi inveteratas, hæmorroidibus, vel mensibus diu ante obstructis, libere tandem aliquando redeuntibus, omnino cessisse.

CAPUT X.

Quicquid de Fœtu observamus mensibus gestationis posterioribus.

Quid sint membranæ fœtum extrinsecus obvolventes.

FŒtus in utero, posterioribus saltem gestationis mensibus, duplici obvolvitur tunica, quæ propemodum ovi cujusdam maximi putamen, quum adhuc molle est, æmulari solet. Exterior dicitur *Chorion Amnion* interior. Exterior utero accrescit per *placentam*, cui quasi agglutinatur, modo anterius, modo posterius, modo inferne, nec non etiam quandoque superne.

Quid sit placenta.

Placenta est massa quædam carnea, rubicunda, mollis, quæ figura exteriori scutellam æmulari solet planiorem, cujus altera facies paullulum cava est, altera convexa. Facies placentæ cava chorio foris adamussim aptatur. Gibba utero intus. Ejus longitudo, fœtu perfecto, ad sexqui pedem plerumque extenditur. Crassities ad digitos duos circiter transversos. Substantia contexitur maxima arteriarum copia, æque ac venarum, quæ producuntur a truncis umbilicalibus.

Describuntur in fœtu vasa umbilicalia.

Binæ sunt arteriæ umbilicales. Originem ducunt utrimque ab aorta descendente non procul a divisione iliaca. Exinde per latera vesicæ urinariæ in umbilicum tendunt, ibique conveniunt. Mox funiculorum adinstar mutuo intorquentur extra fœtum ad placentam usque, in quam dirimuntur propaginibus pene innumeris, quarum nonnullæ effunduntur quoque per chorion, & amnion. Binis hisce arteriis una tantum respondet vena, quæ tamen amplior est, quam binæ arteriæ simul sumptæ. Vena umbilicalis ab hepate

pate fœtus, per mediam videlicet hepatis fissuram, ad umbilicum fœtus excurrit; ubi cum arteriis convenit umbilicalibus, unaque cum iis ad placentam usque intorquetur; per quam non aliter, ac arteriæ umbilicales pluribus propaginibus effunditur.

Quid sint funiculus, sive ligamentum umbilicale, urachus, & allantoides.

Arteriæ, & venæ umbilicales ab umbilico complicatæ, sive intortæ ad placentam usque, vinculum illud efficiunt laxum, & molle, quod dicitur *funiculus*. In quo præterea observamus *urachum*: ligamentum scilicet, quod a fundo vesicæ, per umbilicum fœtus funiculum, subit; ac per funiculum, in bobus saltem, hædis, atque ovibus producitur ad *allantoidem*. Allantoides altera est membrana, sarciminis adinstar cava in quibusdam, in aliis varias habet cellulas, quæ serum continent urinæ non absimile. Interest in brutis inter chorion, & amnion. In homine nondum sane id luculenter nobis innotuit. Insuper in quadrupedibus plerisque majoribus cavus est revera urachus; quem tamen impervium in homine antehac semper offendimus. Qua de re serum licet in allantoidem quadrupedum deferatur a vesica urinaria per urachum, id tamen in fœtu humano affirmare neutiquam audemus.

Quid sentiendum sit de nervis, ductibusq; chyliferis, ratione funiculi.

De nervis umbilicalibus, universi quamvis fileant Sectores, eos tamen adesse affirmare non dubitamus, si sensibus nostris fides habenda est, necnon & ductus chyliferos; quod Bidloo, item & Verhejen quoque non ita pridem innotuit.

Placentæ usus, & quomodo in utero nutriatur fœtus.

Usus placentæ ad mentem Priscorum erat, ut fœtui utero concluso alimoniam compararet, quæ penes eos per placentam a venis non minus, quam ab arteriis umbilicalibus prægnantis subit venas, atque arterias umbilicales fœtus. Hæc tamen opinio, temporibus nostris reperto motu sanguinis circulari, neglecta plane corruisse videtur. Observamus quippe, sanguinem per arterias umbilicales effundi a corde fœtus ad placentam, quam quaquaversum irrigat, & tametsi vel minimum sanguini communicet materno, refluit a placenta fœtus per venam umbilicalem in idem corculum fœtus, uti luculentissime ex pluribus colligere possumus observationibus ocularibus. Ex quibus insuper habemus, fœtum revera per osculum alii, labiis suis identidem exugentem humorem tenuem albugineum, qui colligitur in amnii capacitate, quo propterea fœtus circumfunditur immersus. Humor præfatus a glandulis minimis hinc inde dispersis per substantiam uteri interiorem, ni fallor, depluit, quarum oscula excretoria aptantur chorii spiraculis; a quibus per transudationem, uti opinor, humorem præfatum in amnii cavum immittunt.

Enumerantur foramina cordis fœtui peculiaria.

Quia fœtus, uti monuimus, quum adhuc vivit in utero latici præfato immersus, respirare neutiquam potest, iccirco sanguis libere a dextero cordis ventriculo effundi haud potest per arteriam pneumonicam in substantiam pulmonum, ut inde per venam pneumonicam refluat in auriculam cordis sinistram. Hinc per *foramen*, quod dicitur *ovale*, nec non etiam per *tubum*, qui vocatur *arteriosus*, defluit aliorsum, ut mox dicendum. Tum foramen ovale, tum tubus arteriosus sunt meatus quidam fœtui ferme peculiares, donec utero concluditur. Mox autem, quum spiritum extra uterum libere ducit, plane occluduntur.

Quid sit foramen ovale.

Foramen ovale occurrit in cavo auriculæ dexteræ a ventriculo dextro non procul. Figuram habet ovalem, atque ex auricula dextra per basim cordis ducit in auriculam cordis sinistram non procul a vena pneumonica, in quam aperitur, ut in auriculam cordis sinistram sanguinem evomat; adeo ut pars sanguinis maxima, quæ a reliquis corporis partibus refluere debet per venam cavam in auriculam cordis dexteram, ab auricula cordis dextera nequaquam descendit in ventriculum cordis dexterum, ut exinde ad pulmones dirimatur per arteriam pneumonicam; quinimmo per foramen ovale defertur statim ab auricula cordis dextera in auriculam cordis sinistram, a qua in ventriculum sinistrum mox descendit.

Quid sit tubus arteriosus.

Tubus arteriosus est alter ductus, qui non procul a principio arteriæ pneumonicæ, duobus circiter digitis transversis, supra basim cordis, statim producitur ab arteria ipsa pneumonica ad principium trunci aortæ descendentis. Quamobrem pars maxima sanguinis, qui per arteriam pneumonicam irrigare deberet pulmones, a trunco arteriæ pneumonicæ deflectit per tubum arteriosum ad principium trunci aortæ descendentis, in quam sese exonerat.

Quare ductus præfati, respirante fœtu, occluduntur.

Ductus præfati, fœtu in lucem edito, ut spiritum libere ducere cœperit, paullatim laxe subsidunt; concidunt, concrescunt, & occluduntur; eoquod sanguis, quum per pulmones facilius deinceps transire possit, a ductibus præfatis, quos magis obliquos offendit, plane declinet.

CAPUT XI.

De Vita Fœtus in Utero, ac nutritione, necnon etiam de Partu.

Quo pacto vivat fœtus in Utero.

SI quis ea, quæ de fœtu utero adhuc concluso innuimus, accurate perpendat, inferre poterit, fœtum ante conceptionem, *virtualiter* saltem in ovariis vitam vivere genitricis. Exinde *formaliter* vivere post conceptionem vitam suam quoque propriam: vitam tamen dumtaxat animalem prioribus gestationis diebus; quum ex alimentis, ex succo videlicet in amnii cavo collecto, quem labiis exugit, conficit in stomacho, æque ac in intestinulis chylum quemdam tenuissimum, desœcatissimumque; qui postmodum vasa subit lactea, ac per vasa lactea reliquos tubulos universos &c. Adeo ut, modo tamen vera sit ovaristarum sententia, non secus ac pullus in ovo fœcundato propriam sibi conservet vitam, quam non ita pridem semen in coitu immissum excitavit. Hanc præterea fovet blandus, ut ita dicam, uteri calor. Vitam dicimus vivere tantum animalem fœtum prioribus gestationis diebus, quum deinceps vivere incipiat vitam quoque sensitivam, & rationalem, ope mentis illius incorporeæ, quæ tamquam forma substantialis corporis humani viventis divino excitatur afflatu, atque embrione consecto, organis infunditur corporeis. Nihilominus tum dormitat infans in utero, ob denegatam objectorum sensibilium actionem, quæ libere in organis agere minime queunt, tum ob parietes uterinos, tum ob membranas fœtum includentes, tum ob humorem, quo undequaque alluitur.

Quo

Quo pacto fœtus excludatur in puerperio.

Quo grandior fit fœtus in utero, eo magis, ceu vas continens, in omnem dimensionem extenditur uterus; adeo ut posterioribus gestationis mensibus, maximam molem acquirat; sed quum explicari amplius nequeat increscentem fœtum quodammodo coercet; qui ob varia proinde, quæ patitur incommoda, expergefactus, intorquetur, exagitatur, angitur, ac tandem calcitrans membranas discindit, lacerat exuvias, provocat partum; &, capite utplurimum deorsum inverso, per osculum uteri exitum sibi pandit. Hinc caput Infantis plerumque prius egreditur. Membranis fractis, ut facilior sit exitus, fit illico aquarum effluxus, quibus accedit puerperæ labor, quæ tum inspirando, & diaphragma deorsum movendo, tum musculos abdominis contrahendo, uterum adeo comprimit, ut fœtum tandem excludat. Id in homine contingere solet mense post conceptionem nono exacto, aut sub finem, vel decimo incipiente. Interdum, raro licet, partus fit mense septimo, & præsertim in primiparis. Partus hujusmodi, qui propterea *septimestris* vocatur, quasdam habet persæpe imperfectionis notas in auriculis, in ore, necnon etiam in digitis; quæ partes in fœtu omnium novissime perficiuntur. Non semel contingit quoque, ut prægnans vetula, sive imbecillis, sive ob imbecillitatem fœtus, ultra mensem decimum differat partum. An tamen eo in casu vitalis sit nec ne, perquam difficile est judicare, quum non raro prægnantem fallant conceptionis indicia.

Quo pacto movetur fœtus, ut pariundi nisum provocet.

Causa, sive stimulus, qui in utero fœtum excitat, atque, ut ita dicam, adigit, ut partum moveat, penes Auctores varius est. Probabilius tamen id operis adscribitur, & spirandi angustiæ, & fœcibus acrioribus in cavo intestinorum cumulatis. Sanguis enim exuberans, quum per pulmones libere transire nequeat, in præcordiis stagnando, impetum facit, irritat fœtum, & per fœtum nisum provocat pariundi. Nil itaque mirum, si utprimum egreditur fœtus, respirare incipiat. Ad hæc fieri quoque potest, ut fæces, ex eo, quo nutritur humore, defœcatissimo licet, sensim intus adauctæ, tantam sibi processu temporis acrimoniam acquirant, ut cruciatus, tormina, & fœcum egerendarum stimulos moveant; quibus Infans experrectus, exuvias pandat, atque in lucem prodeat.

Quid Secundinarum nomine vulgo veniat.

Fœtu egresso, subsequuntur membranæ obvolventes, sive fœtus exuviæ, item & placenta, quæ per funiculum umbilicalem fœtui adhuc alligantur. Hæc omnia vulgo dicuntur *Secundinæ*, *Secundæ*, Græcis *Deuterion*, eoquod secundo loco post fœtum quantocius eximantur oporteat, ne uteri contracto orificio earum occludatur egressus; quæ intus proinde putrescentes lethalem humoribus labem inferrent.

Quid sint post partum uteri repurgamenta, sive lochia.

Interea temporis uteri parietes ab increscente fœtu plurimum jam extenti, eo excluso, fibrarum ope in dies contrahuntur. Hinc tubulos comprimunt, & glandulas; a quibus propterea humores congestos, ibique gestationis tempore coactos validius exprimunt. Ex quo fit, ut post partum uteri profluant repurgamenta, sive *lochia*. Effluit prius humor cruentus, sive sanguis purus. Mox sanguis longe magis dilutus, loturæ adinstar carnis ob copiam seri maximam sibi immixtam.

Postremo insudat, sive potius depluit materia quædam mucosa, alba, quæ nil aliud esse solet, quam reliquiæ succi alibilis, quo vescebatur in utero fœtus. Fluxus hujusmodi, ratione temporis, plurimum variare solet, pro varietate constitutionis puerperæ. In nonnullis quippe prosequitur ad dies quindecim. Citius in aliis cessat, nimirum die octava elapsa. In aliis ad mensem quoque, & ultra producitur. Uterus dum ita sese repurgat, subinde contrahitur, & ut ita dicam extenuatur, quoad, repurgatione confecta, ad molem suam naturalem in formam pyri propemodum reducatur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Variæ circa generationis opus opinio-

MUlierum partes generationi inservientes, ubi semen ferax opportune a viro excepetint, exceptum servent, detineant, condant, foveantque, necnon etiam aliis, prout exegerit natura, partibus immittant, *fœcundari* dicuntur. Inde *conceptio*, quam Galenus *motum esse* tradidit *contractionis uteri, dum semen in seipsum ejaculatum amplectitur veluti manu quadam avidissime*. Num autem ex solo viri semine, num ex utriusque miscela id operis absolvatur vel apud priscos olim in dubium venerat. Quatuor ea de re præcipuas hactenus, quantum teneo, accepimus sententias. Binæ vetustatem sapiunt. Binæ recens excogitatæ, & fortasse commentæ, varias temporibus nostris inter Philosophos altercationes acuerunt. Vetustissima eorum fuit, qui ex solo spermate virili fœtum extare rati, veluti agellum feracem, in quo tamquam ex jacto semine, fœtus rudimenta germinarent, uterum habuerunt. Alii exinde, inter quos Aristoteles, conceptionem in utero ex immixtione utriusque seminis fieri affirmabant. At non ita pridem oculatæ Recentiorum indagines *Ovaristas* excitarunt; quibus, quum ab ovo omnia exoriri autumaverint, & hominem ipsum ex ovo excludere placuit. Nec inter eos defuit, qui membra humani corporis futuri universa, ruditer quasi elicita, atque in puncto, ut ita dicam, minimo coercita, ovulo jamdiu inesse opinabantur; adeout per ipsos, præter Animam incorpoream, nil in fœtu, post conceptionem, de novo unquam eliciatur. Iccirco conceptio penes eos in afflatu quodam consistit spermatis intus ex coitu immissi; cujus ope fœtus, qui pridem in ovulo informis erat, & motum, & formam, & vitam, & incrementum subinde nactus, tandem absolvitur. Id obiter his verbis attigisse videtur idem Seneca. *In semine omnis futuri ratio hominis comprehensa est, & legem barbæ, & canorum nondum natus Infans habet; totius enim corporis, & sequentis ætatis in parvo, occultoque lineamenta sunt*. At enim vero de fœtus conceptione, nemo, quoad rescivimus, adeo hactenus allucinatus fuit, quam qui acriter in spermate tubis opticis pugillaribus inquirendo, plurium minimorum animalculorum viventium, vel in homine, congeriem esse effinxit; fidenter inde affirmans, unum ex iis, aut uteri cavum, aut unum ex ovulis, in coitu subire, ibique foveri, augeri, atque in embrionem corporis humani postmodum aptari. In re tam ardua, tamque obscura, ac pene dicam prorsus inextricabili, prout sibi libuerit,

rit, modo tamen a Sacrosanctis Orthodoxæ Fidei Doctrinis ne minimum quidem philosophando distare audeat, opinari quisque poterit. Nos interim, utpote quæ inter Sectores vulgata magis videatur, Ovaristarum sententiam paucis exponere juvabit.

Explicatur conceptio, incrementum, & ortus infantis juxta mentem Ovaristarum.

Ponamus igitur per modum simplicis hypothesis inter vivipara & homines ipsos ex ovo insurrexisse: ex aliqua nempe inter tot minimas vesiculas, pellucidas, sive hydatides, quas sparsim hinc inde excipiunt testium mulierum fibrosa alvearia. Hoc posito, semen in coitu per membrum virile ad uterum propellitur. Pars ejus tenujor per calorem extenuata exaltatur. Per tubas Falloppianas, per meatus uterinos, aut per quosdam alios canaliculos in vaporem evecta, & ad sanguinem, & ad mulierum testes effunditur; in quibus ex ovulis illud tantum fœcundat, quod ibi offendit maturitate digestum. Ovulum ita fœcundatum magis, magisque digeritur, atque subigitur, quoad, veluti pomum ad supremam maturitatem perductum, ex stipitibus suis in tubas excidat, ac in uterum per tubas devehatur, ut in utero sensim in dies augeatur. Hinc involventes tunicæ quaquaversum explicantur. Majorem sibi molem inducit placenta. Producitur, & pinguescit funiculus. Intus in ovulo cuduntur embrionis stamina. Anima divinitus intime perfunditur embrio. Corculum jam pulsat. Micant arteriæ, ac per eas sanguis ad membra provehitur, unde per venas ad idem cor reducitur. In cerebro secernuntur spiritus, per nervos radiant. fibras undique tendentes, ac varios in organis motus excitantes, quorum ope, & in utero fœtus jam vivit. Vivit utique vivit; siquidem cogitat, variis tentatur doloribus, intorquetur, exagitatur, angitur, ac tandem calcitrans membranas frangit; atque ingemiscens in puerpera provocat partum, quo foras depromitur. Provocat partum, quippe & calcitrando, & sese hinc inde intorquendo uterinos incurit parietes, nervorum plexus afficit, prægnantis musculos convellit, tormina, dejiciendi, pariundique nisus procreat; quibus compulsus, & undique pressus tandem egeritur. Egeritur Infans, ratione præditum videlicet animal, corpore organico affabre instructum; quod organorum beneficio, uti ante jam diximus, mirifice agit. Id corporis quæso iterum, iterumque Tyrones perpendite, ne diutius *cætera miremur, cum simus ipsi mirandi*. Mirandi non modo, quod hoc mortali, fragilique corpore, incorporeum, & iccirco immortalem complectimur animum; verum etiam, quod ipsomet defuncturo corpore, Eterni, Sapientissimique Opificis ubique pandimus indicia; quippe tam apposite concinnati, ut caro nostra, tametsi natura exanimis, & iners, intrinsece tamen movetur, vivit, nutritur, augetur, incedit, & propagatur: idque dumtaxat organorum ope, nullo alio agente sensibili, quo illa moveantur, extrinsecus adjuvante. Accedat huc insipiens, accedat; & ne in corde suo dictitet ulterius, *non est Deus*, corticem, ut ita dicam, corporis istius recens nati primum intueatur, & per corticem intime conspersa digiti Omnipotentis vestigia abunde deprehendet. Hic quippe tegumenta com-

pegit, eaque fibrulis, nervulis, vasculis, spiraculis, papillulis, & glandulis apposite instruxit. Pilis ubique conseruit. Ad pilorum radices, & bulbos, & calices, & reliqua mirum in modum aptavit. Sub tegumentis musculos. Inter musculos glandulas. Sub musculis, & glandulis ossa compegit. Ossibus viscera subjegit. Viscera humoribus irrigavit, quæ omnia ita eleganter muneribus suis obeundis aptantur; ut exinde potissimum eluceat, vel mechanices imperitissimis, quanta industria, quantaque elegantia corporis organa fabrefecit Sapientissimus ille Providus Naturæ Parens Omnipotens. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis. Singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi Creator*, natis suis dictitabat olim ut a Sacris habemus Paginis, divinitus afflata Genitrix, multo, quam Philosophus aptius, penes quem *Sol, & Homo generat Hominem*.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quo pacto placenta posterioribus gestationis mensibus ab utero sensim excidit.

LOcus, qua utero placenta inhæret, est utique incertus, nec in omnibus idem. Interdum ei quippe injungitur in latere dextero, interdum in sinistro, quandoque anterius, quandoque posterius &c. Quod effecit, ut Regnerus de Graaf plane senserit, certum, & determinatum adhæsionis placentæ locum neutiquam assignari posse. Id tamen ex Diemerbroech, aliisque tum Veteribus, tum Recentioribus Anatomicis maxime adnotandum, placentam, prioribus gestationis diebus soluta licet, ac libera deprehendatur, posterioribus sane utero firmiter adeo accrescere, ut fructus videatur quasi stipiti immature infixus, sive potius fungus arboris cortici arctissime inhærens. At paulatim subinde laxatur, atque ab utero sensim recedens in puerperio, non secus ac fructus jam maturus facile avellitur, & proprio quasi excedit pondere.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quare fœtus nascendo caput ut plurimum edat prius.

FŒtus caput utplurimum prius, quam reliqua membra ab utero, uti innuimus, emittit. Id fit, ni fallor, quoniam caput in fœtu, habita reliqui corporis ratione, longe majus est, quam in adultis, & iccirco gravitat nimis. Quamobrem, si ab ea positione, quam in fluido æquilibratus servare solet in utero, vel paullulum recedat, præponderat caput deorsum tendens, & reliqua sibi abripit membra superiora: ea nimirum, quæ supra centrum gravitatis posita sunt. Hinc in puerperio quum fœtus enititur declinat caput, tum quum pedes, & reliqua membra inferiora in sublime feruntur. Nil mirum itaque, si caput prius, dum nascitur, in lucem plerumque proferat. Quocirca perbelle Plinius (a) *ritu naturæ capite hominem gignimus est, pedibus efferri*.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Unde provenit affinitas inter fœtum, & prægnantem.

DE nervis umbilicalibus, ut vel ipse Verheyen sector Lovaniensis nuper monuit, ad tempora usque nostra omnes fere siluerunt; eos tamen, ut ante jam innuimus, nonnulli, & nos item, po-

(a) *Lib. 7. cap. 8.*

postremo, si oculis nostris credendum sit, vidimus; eosque filorum ad instar tenues, atque albicantes per universam funiculi longitudinem ad placentam usque produci, ibique distribui paullatim, & sensim evanescere, atque occultari observavimus. An autem per nervos hosce, an per humores, an aliqua alia de causa eveniat, ut ea maxima, quam cum prægnante affinitatem habet fœtus, in utero conservetur, id hactenus incertum est. Certum est tamen, prægnantem, & fœtum in commotionibus universis, tum animi, tum corporis alternis affici. Hinc persæpe abortus. Hinc monstra. Hinc habitus a nativitate. Hinc affectiones, quæ dicuntur *avitæ*. Hinc notæ ingenitæ, insita vestigia, & reliqua, quibus in utero afficitur fœtus, quæque præ cæteris scriptor Gallus pereleganter non ita pridem exposuit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit sterilitas.

QUum aut uteri, aut proximarum partium, aut humorum, quibus uterus, & prædictæ partes irrigari solent, vitio, tametsi cum viro debite congrediatur mulier, concipere tamen haud nequeat, id proprie *sterilitas* nuncupatur, quæ non injuria mulierum morbis annumeratur. Steriles fore fœminas præsertim judicamus ex lumbis adstrictis, ex mensibus, aut omnino suppressis, aut plane deficientibus, aut de more non fluentibus, ex temperatura, ut vulgo dicitur, frigida, ex defectu pilorum, iisque similibus; quæ tamen omnia quamsæpissime fallunt. Sterilitas, & maxime avita, difficile evincitur. Et quoniam persæpe vitium est, quod ab aliis provenit affectionibus, iis primum in curatione respiciendum est.

CAPUT XII.

De Symptomatibus Prægnantium, & Abortu.

Abortus definitio.

QUumprimum conceperit fœmina, variis tentari solet incommodis; quæ tum ab organorum facultatibus, suscepto semine fœcundo, intus immutatis, tum a mensibus compressis, subinde suscitantur; organorum etenim facultas, genitalibus fœcundatis, mutationem statim subit, & menses utplurimum omnino sistuntur. Prægnans igitur nauseare primum incipit, mox evomere, cibos fastidire, picacea evadere, torminibus, alvi profluvio, dentium dolore, vertiginibus, cephalalgia, aliisque pluribus molestiis torqueri, quæ ab enarratis causis originem ducunt. Medio gestationis tempore tussi crebro infestatur, cordis palpitatione, frequenti syncope, spirandique labore, qui subinde a primo ad ultimum magis, magisque viget, ob uteri molem increscentem; quæ longe, lateque sese prolatans, reliqua ad latera comprimit viscera, sublevat diaphragma, ac thoracem constringit. Ex hoc itidem fit, ut posterioribus gestationis diebus cum difficultate mingat prægnans, atque ex alvo ægre dejiciat. Quinimmo, & ex præpedito sanguinis per venas inferiores refluxu, tumefiunt ei crura, sanguinem expuit, febris succenditur &c.; quæ eo quandoque perveniunt, ut fœtum immature, idest nondum sane confectum excludat. Quo in casu *abortire* dicitur; abortire quippe

pe nihil aliud est, præterquam *fœtum nondum confectum, atque ante tempus, sive vivum, sive mortuum ab utero excludere*.

Diagnosis. Abortus jam facti ex ipso fœtu immature egesto petenda sunt indicia: ratione, tum temporis, quippe ut dicatur abortus, egeri debet ante septimum, vel nonum gestationis mensem, tum corporis, cujus membra nonnullas pene semper præbere solent imperfectionis notas. Imminentem autem abortum fore, indicare solent horror, & rigor quidam; qui, nulla extrinsecus data occasione, per universum prægnantis corpus perfunditur, quemque calor insequitur quidam tenuis, nausea, lumborum dolores, virium repentina solutio, extremorum perfrigeratio, ac pondus ad imum ventrem quasi descendens. Menses insuper quandoque recurrunt, vel pro mensibus fluor albus; qui abortu imminente longe uberior fluere solet, ac postremo, fractis membranis, effunditur aqua partus &c.

Causa. Præter enarrata symptomata, quæ abortum movere possunt, quæque tamquam causæ interiores respiciendæ sunt, veluti exteriores considerari debent lapsus, cespitationes, corporis defatigationes immodicæ, ictus validiores, equitationes, navigationes, concussiones, tripudia, animi emotiones &c.

Prognosis. Abortus citra prægnantis periculum nequaquam erumpit; angor siquidem, & labor longe gravior in abortu, quam in partu maturo esse solet. Id, ni fallor, quia non sponte, ut ita dicam, sua, sed vi, tamquam pomum non maturum, violenter avulsus excidit fœtus, & foras elabitur. Enim vero plures, decies se parere malle, quam semel abortire testantur. In abortu uterus facilius exulceratur; hinc inflammationes, febres acutæ, convulsiones, largæ sanguinis profusiones &c. Primiparæ ex abortu difficilius evadunt, tum maxime, quum membra convelluntur; quo in casu mortem neminem unquam effugisse affirmat Harvæus.

Cutatio. Ne sequatur abortus, ea omnia, quæ fluidorum motus intus nimium concitant, quoad possumus, amovenda sunt. Si sanguis exuberat, quod passim contingere solet, is tum diæta, tum venæ sectione opportune imminuendus. Motus licet nimius utero gestantibus noceat, nocet quoque nimia quies, otium nimium, & vita, ut ita dicam, umbratilis, ob recrementorum congestionem; quæ nisi blanda exercitatione discutiantur, in vasis cumulata, pravas suscitant fermentationes, atque abortum facile provocant. At nihilosecius, si abortus succedat, tum obnixe curandum, ne febris succendatur, ne sanguinis fluxus intempestive compressus viscerum faciat inflammationes, ne exuberans ægrotam enervet. Quamobrem victus tenuis esse debet, humectans, refrigerans, concoctuque facilis. Nisi lochia debite fluant, blande impellantur discutientibus, antipleuriticis, de quibus in superioribus fuse jam egimus. Optima sunt oleosa, & emollientia, tum intus, tum foris admota. Si sanguis nimis fluat, blande cohibendus, non aliter quam de fluxu mensium immodico ante jam diximus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Nil satius ad abortum

NE abortus insequatur, atque ut prægnantium sympto-

cohibendum adhuc adhibuimus, quam opportunam, sanguinis missionem.

ptomata leniantur, nullum unquam antehac, quod blandius, tutius, ac citius suum præstiterit effectum, adhibuimus præsidium, id licet hactenus omnes pene improbaverint Majores, quam venæ sectionem. Venam prægnantibus alii, mense tertio gestationis exacto, ad septimum usque citra periculum solvi posse hodie prædicant, id tum ante, tum post id tempus omnino interdicentes. Non procul a nono dumtaxat sanguinem alii mittunt. Nos autem usu diutino edocti, tum Romæ, tum Florentiæ, tum Perusiæ quolibet mense, a primo ad nonum, quoties id necessitas exegerit, prægnantibus indiscriminatim optimo semper cum successu sanguinem educere consuevimus; & nihilominus, si abortum quandoque, quod tamen raro admodum contigit, sistere nequivimus, abortientem sane opportuna sanguinis missione ita adjuvimus, ut feliciter semper, nisi memoria nos fallat, evaserit. Quinimmo, & quæ abortum pati pridem semper consueverant, singulis mensibus venam iis apposite secando, successisse non semel vidimus, ut ad mensem nonum feliciter partum distulerint. At enim vero ad id præsidii genus hisce in casibus audacter unquam nemo confugiat, ne abortum, tametsi non immineat, sanguinem educendo, moveat. Ubi conveniat, tum paullatim, ne cum impetu exiliat, ex partibus supernis potius, quam ex infernis educendus. Cæterum quicquid aliud, præter sanguinis missionem ad abortum cohibendum imminentem præstitimus, huc usque in irritum cessisse percepimus.

CAPUT XIII.

De Conceptu falso, sive Mola.

Definitio.

MOla, penes Clinicos, non sonat, nisi *massam quamdam informem, exanimem, compactam in utero, sine ossibus, & sine visceribus, quæ ex concubitu quandoque concepta, fœtum quodammodo mentitur*. Quocirca dicitur quandoque *conceptus fatuus*, item & *falsus*. Molas quispiam cum ovis gallinaceis irritis, & ventosis, quæ proprie *hypenemia* vocantur, comparare solitus fuit; hypenemia quamvis, vel citra coitum, gallina extra matricem procreet. Molæ tum numero, tum figura, tum mole, tum substantia, tum concretione, tum exclusionis tempore plurimum variant, plerumque licet tertio gestationis mense excludantur. Plerumque diximus, quum & citra id temporis, & ultra, & non raro per totum vitæ decursum in utero commorentur.

Diagnosis.

Mola concepta, præsertim in exordio, indicia plurimum habet ambigua, quæ profecto ab indiciis veræ conceptionis minime distant; menses quippe vel in conceptione molæ supprimuntur, supervenit ciborum fastidium, nausea, vomitus &c. Distinguuntur autem subinde molæ a conceptione vera, eoquod in mola ex mammis, quamvis intumescant, nihil lactis, ut in vera conceptione, exprimi queat. In mola præterea motus nullus, aut pene nullus percipitur, qui vitalis sit, sed gravis, & molestus, non aliter ac si lapidis pondus ab uno in alterum latus identidem delaberetur. Ad hæc, molæ id proprium esse solet, ut si manibus comprimatur, de latere in latus extrudi

di possit, quod fœtui vere concepto nequaquam accidit. Insuper molam utero gerenti, motus quidam rei cujusdam vehementer intus subsultantis, ante mensem tertium frequenter occurrit. Non ita quum vere prægnet, ubi fœtus, aut numquam, aut raro admodum ante quartum movetur. Uterus postremo mola extentus ideo ab hydrope distinguitur, quia in mola, tametsi intumescat alvus, manus tamen, item & pedes, graciliores in dies evadunt. Contra in hydrope observatur.

Causa. Molam coagmentari Veteres opinabantur vitio seminis, vel maris, vel fœminæ, vel utriusque. Vitium autem in eo situm esse sibi suadebant, quod facultas seminis, ad procreandum idonea, nimis esset imbecillis. Neque id plane improbandum videtur, si pro semine muliebri, etiam hydatides, sive ovula Recentiorum considerentur; quæ, pluribus ex causis vitiata, in molas coaptari, atque insurgere possunt. Non omnino tamen negandum ducimus, aut ex sero, aut ex lympha depravatis, aliisque humoribus crassis, glutinosisque molas interdum concrescere. Nullum unquam inter animantes, præter hominum fœminam, molam concepisse, tradidit Aristoteles.

Prognosis. Mola nequaquam citra periculum concipitur; nihilominus, quum ut inutile pondus, & recrementum opportune egeratur, salutem infert. Symptomata, quæ molæ egestionem præire solent, lethalia plerumque sunt: pessima quippe pene semper, & adhuc atrociora, quam quæ partum legitimum, & abortum ipsum præcedunt. Hinc necem frequentius moliuntur. Adsunt quippe utplurimum deliquia extrema, sudores frigidi, convulsiones perquam molestæ, & reliqua; quæ organa præcipua misere torquent, vires conterunt, atque animum frangunt.

Curatio. Ubi certum plane sit, quod perquam difficile porro existimamus, molam utero concretam inesse, pro viribus opera danda est, ut sub finem mensis tertii, aut in exordio quarti, leniter, quantum fieri possit, excludatur. In quem finem ea omnia, quæ menses blande movent, & hic commendamus; oleosa in primis, & reliqua emollientia, quæ tum intus, tum foris adhibenda sunt. In paroxysmo optimo cum successu ad symptomata vehementiora compescenda sanguinem semper emisimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Indicia molæ in utero existentis sunt valde ambigua. MOlæ in utero existentis indicia plurimum fore ambigua, experientia nuper edocti, procul ab omni hæsitatione proferre non dubitavimus. In nuptis quibusdam ex nobili, inclyta, avitaque progenie molas non ita pridem Romæ conceptas vidimus, cum notis omnibus, per tres integros menses, optimæ gestationis; quoad, molarum sumptomatibus ex improviso accedentibus, molæ tandem excisæ, atque emissæ rem manifesto protulerint. Quinimmo una ex iis molas postremo placidissime ex utero ejecit.

CAPUT XIV.

De Partu difficili, sive cum Labore.

Definitio. PArtus difficilis, sive cum labore is dicitur, ubi *cum maximo tum sui, tum fœtus periculo, symptomatibus ingravescentibus, aut tum quum diutius, quam par est, in partu edendo, puerpera laborat.*

Diagnosis. Difficilem autem partum futurum

rum indicant dolores præcipue, qui aut nulli, aut admodum languentes principio incitantur; quique per longa redierint intervalla, atque ab ima pudendi sede ad dorsum potius ascendunt, quam a dorso, sive lumbis ad pudenda descendunt. *Quibus alvum tormina vehementer exercent, citissime pariunt; quæ lumbos dolent, vix pariunt, quæ ventrem imum facilius, & citius.* Id olim docuit etiam Aristoteles. (a) Difficile quoque, aut cum labore censetur, puerperam eniti, tum quum ultra spatium viginti-quatuor horarum partum differat; vel quum aut ante partum, aut in partu, aut etiam post, acriter torqueatur, vel si febris succendatur ardens, vel si vires prætermodum solvantur.

Causa. Difficile, & cum labore enititur puerpera culpa aut sui, aut fœtus, aut obstetricis, aliarumque causarum, quæ extrinsecus agunt. Culpa fit sui, tum quum aut adeo sit imbecillis, ut nervos valide intendere nequeat pro nisu pariundi, aut tum quum perangusti, valde inepti, & difficiles sint meatus, unde fœtus egredi debet. Culpa fit fœtus tum quum vel ejus moles major sit, quam ut commode per meatus consuetos egredi queat, vel placenta utero arcte nimis inhæreat, vel tunicæ obvolventes, ne disrumpantur plurimum resistant, vel ipse admodum languens, ut excludatur, pro viribus agere nequeat. Culpa fit obstetricis, si vel negligens, vel imperita, vel garrula, omnia pervertat &c., de quibus fusius infra.

Prognosis. *Mulieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio, bonum* (b). *Quæcumque præter naturam crassæ non concipiunt utero; his omentum os uteri comprimit, & priusquam extenuatæ fuerint non concipiunt. Vel si concipiunt*, addunt alii, *difficile pariunt* (c). *Quæcumque utero gerentes a febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, & abortum facientes periclitantur* (d). *Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum* (e). Ex labore partus, qui ingens sit, difficilius evadunt languentes; tum maxime, quum aliis vehementioribus laboret morbis puerpera, & quum aut nondum adoleverit, aut ætate valde processerit. Cæterum partus, qui cum labore magno excluditur, nisi aut puerperam, aut fœtum, aut utrumque extinguat, alias, ob nisum pariundi validiorem, crebrioremque, quamsæpissime facit ægritudines, & præsertim uteri, omenti, atque intestinorum prolapsus. Fœtus, qui, antequam egeratur, extinguitur, puerperam facile extinguit; quippe qui tum, ne vel minimum quidem nitendo, sui egestionem coadjuvare queat.

Curatio. Quæ partu laborat puerpera, operam potius accuratæ, ac sagacis exigit obstetricis, quam Medici; cui, ne tamen erret, præsideat Medicus. Victus puerperis laborantibus tenuis sit, quinimmo quandoque perquam tenuis, & nullus; hisce quippe in casibus, si usui credendum, puerperas in labore partus quo magis nutries, eo magis lædes. Nihilominus, ubi vires sint admodum perfractæ, ad eas recreandas optima sunt juscula blande aromatica, confectiones cardiacæ, elixir proprietatis, & reliqua ejusmodi, modo

(a) *Arist. hist. animal. 7. cap. 8.*
(b) *Hipp. lib. 5. aph. 35.*
(c) *lib. 5. aph. 46.*
(d) *lib. 5. aph. 50.*
(e) *lib. 5. aph. 6.*

do tamen ne vel minimum quidem oleant; odores enim quamsæpissime soli, affectionibus hystericis incitatis, Romæ saltem, puerperas extinxere. Conferunt item balnea, fotus, suffitus, & cataplasmata ejusdem generis parata; necnon etiam meatus, qua egredi debet fœtus, injectionibus blandis lubricentur. Si ad nisus pariundi motus viscerum adjiciantur spasmodici, atque epilepticæ membrorum contractiones, convenit oleum recens aut in jure, aut alio quovis pacto identidem propinatum. Conveniunt item decoctiones emollientes ex foliis malvarum, violarum &c. Si succendatur febris, eaque si ardens sit, atque adeo, si viscera inflammari indicet, vena secetur iterum, iterumque, quum id necessitas requirat. Verum ubi eveniat, ut Puerpera nondum enixa decedat, fœtus, utero secto, adhuc vivens extrahatur. Talis extractio ab eo, qui ex Julia progenie non aliter in lucem prodiisse fertur, *cæsarea* in Chirurgia vocatur. Alii quamvis, quod ita sectum Parentis abdomen ex Julia stirpe aliquem olim pepererit, id posteris Cæsaris cognomen inditum opinentur.

Historia III.

Quicquid, in partu difficili præstandum erit, historia declaramus.

PErquam nobilis ex vetustissima Italiæ familia, olim Romæ nupta quædam Elmira, modicæ staturæ, pinguis, ac vegeta, quintum & vigesimum nondum ætatis compleverat annum, quum, postquam bis feliciter jam pepererat, denuo conceperit. A primo ad ultimum gestationis se optime semper gessit. Nec aliud quidem, præter excretionem quamdam pauci sanguinis menstrualis, quem, singulo quoque nondum exacto mense, periodice egerebat, pati consuevit incommodum. At sub finem mensis noni, syrio vehementer eo anno æstuante, ex improviso, die inclinato, talis sanguinis egestio prætermodum exuberans profluit. Accedunt subinde, inter pariundi nisus, deliquia creberrima, sudores frigidi, una & maxima præcordiorum angustia. Vires insuper omnino solvuntur. Concidit animus. Accurrunt omnes. Accurrimus & nos. Atque in carpo, & ad tempora pulsum explorantes, arterias vix micare, quinimmo & persæpe plane intermittere percepimus. Algebant membra universa. Cum labore maximo Puerpera respirabat. Sanguis, qui eatenus prætermodum profluxerat, omnino restitit. Intumuerat alvus; & quasi consopita, nec mente, nec sensibus, constabat. At nihilominus pariundi nisibus, languentibus licet, identidem excitata, languore brevi penitus confectam fore, conquerebatur. Quamobrem ex ea sella reclinatoria, parturientibus vulgo concinnata, cui assidebat, ut in lecto commode recumberet, actutum effecimus; & ad vires resolutas quodammodo revocandas id conditum A ei, una & oleum ex seminibus melonum recens expressum, quod cum aqua cinnamomi nonnihil acuimus, alternis per intervalla propinavimus, interdicentes interim, ne obstetricis, aliorumque opera, vel quid minimum præter jusculum aut insulsum, aut cum magisterio margaritarum, aut cum seminibus citri, aut cum modico cinnamomo paratum, puerperæ unquam præberetur. Postridie diluculo, pariundi nisibus ut quum maxime vigentibus, fœtus molis sane ingentis, & ob meatus, ratione prædictæ molis, angustiam, & ob sanguinem nimium; qui ad pudenda confluxerat, præso-

focatus in lucem tandem excluditur. Lochia, & secundinæ non multum post feliciter prodierunt, ac puerpera nonnihil resipiscens aliquantulum incaluit, & febrire cœpit. Ad eximendam igitur febrem ejusmodi ex improviso succensam, quum prætermodum adhuc langueret Elmira, nihil aliud præstitimus, nisi quod, ut sensim in dies tenui victu, eoque idoneo resecta vires perfractas paullatim sibi resumeret. Febris ad diem decimamquartam, & ultra, nihilominus sese produxit. Virium languor ad mensem circiter fuit semper extremus. Sanguis post partum ad libras multas effluxit, & nonnisi alvi profluvio post diem vigesimam primam superveniente, plane restitit. Res subinde semper in melius processerunt, eo usque dum Ægrotans tandem omnino convaluerit. Victus, quo prioribus morbi diebus utebatur, jusculum erat cum ovorum vitello recenti quassato, ac pane in eodem jure elixato, & subinde fortiter expresso; quod ter, aut quater in die horis congruis in refectionem sumebat. Pro potu, quoniam plurimum sitiens erat, aquam hordeaceam cum cinnamomo, ac corticibus citri non insuaviter paratam, tepentem, parce tamen, ad usum the identidem sorbuit. Die septima elapsa, ut aliquantulum copiosius vesceretur, operam dedimus. Nec vini, nisi post diem quadragesimam, ei potestatem fecimus.

A ℞. *Margarit. præpar. drach. ij.; confect. hyac., alKerm. sine odore ana drach. iij., sirup. de capill. vener. unc. ij., aquar. matric., peoniæ, cerasf. nigr. ana unc. j. M. f. lond. S. A., & cap. cochleatim identidem, ut m.*

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN SPECTANTES.

NIL profecto partus crebrius difficiliores facit, quam imperitæ, ac negotiosæ obstetricis audacia, quæ plurimum in ea re aut præstare, aut saltem videri gestiat; quæque insuper superstitiosa quadam garrulitate, & puerperam deterreat, & adstantibus imponat, & Clinicorum item quandoque rationem pervertat. Obstetrices ejusmodi cane pejus, & angue in puerperio vitandæ; de quibus quicquid de Lesbia Terentiana olim in Andria dictum, & hic merito dicendum. Quicquid in puerperio præstare debet obstetrix.

Audivi, Archillis, jamdudum. Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ:
Quia compotrix ejus est. Dii date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.

Nil sane facilius in Re medica, quam obstetricis munere optime fungi, modo nihil aliud agat, quam manibus blande prodeuntem infantem excipere, mox lavare, ac leniter mundare. Enim vero sine obstetrice reliqua pariunt animantia, sine obstetrice felicissime pepererunt olim in rerum exordio primi nostri Parentes, sine obstetrice quotidie inter Barbaros felicissime pariunt plerique, & sine obstetrice facile passim enituntur agrestes; nam ut aliæ corporis humani viventis excretiones, ita & fœtus exclusio, sunt opus naturæ; quod, mechanica organo-

norum structura ab humoribus opportune lacessita, perficitur.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Qualis esse debeat puerperarum victus.

SUnt qui & in puerperio, & ante, & etiam post puerperium, ad vires, ut inquiunt, substinendas, roborandasque, generosiorem, uberiorem, optimique succi victum præbent, juscula præcipue valde concreta, meracum optimum, carnes pullorum contusas, atque ex iis succos expressos, & id generis alia; quæ copiose ingesta, organa jam labefactata, magis magisque defatigando, pergravant potius, quam restaurant. Ipsi contra, ratione, usuque ducti, ut puerperarum victus tenuis esset, concoctuque facilis, optimo cum successu, operam dedimus. Et quoniam longe minus cum labore abstemias peperisse observavimus, puerperis ideo vinum pene semper interdiximus. Non est tamen, quod ad excitandos spiritus prætermodum vanescentes, & vinum, & chocolatam sine odore, & juscula modice aromatica quandoque, parce licet, feliciter non propinaverim. Sinimus præterea, atque indulgemus, ut hisce in casibus confectiones consuetæ, margaritæ præparatæ, & reliqua ejusmodi, quæ, ut & alias diximus, nisi multum profecerint, officere tamen haud poterunt, sinimus inquam æquo animo, ut propinentur; necnon etiam ipsi pluribus ex causis, quas ante jam exposuimus, nonnumquam propinavimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid præstandum sit, quum lochia post puerperium aut præter modum fluxerint, aut immature steterint.

IN puerperio membranis obvolventibus, sive exuviis, ut ante innuimus, fractis, humor primum albugineus, qui cumulatus in amnii cavo stagnabat, effunditur. Mox una cum humore profuso elabitur infans; non tamen solutus, sed per ligamentum umbilicale placentæ innexus, quod, nisi quamprimum placenta egeratur, de more recidendum est. Placenta, item & membranæ perfractæ una cum reliquo funiculo, ne intus corrumpantur, leniter eximendæ sunt. Ea, uti diximus, eoquod alterum quasi partum efficiant, *secundinæ* appellantur. Secundinis egestis, nescio an quia placenta excisa, uteri vasa dehiscant, an quia contractus in puerperio, & undique pressus uterus, humores ex tubulis validius expresserit, uberrima fit sanguinis effusio, idest *lochiorum*. Lochia quibusdam biduo uberrime fluunt, quibusdam triduo, aliis quatriduo, necnon etiam, ut ante jam diximus, ad dies octo, decem, quindecim, triginta, & quadraginta. Hæc, nisi debite excernantur, febres incitant acutas, item & malignas, viscerum ardores, pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, sopores lethales, apoplexiam, epilepsiam, colicam, aliasque perquam molestas ægritudines moliuntur. Contra, si ultra mensuram egerantur, puerperam enervant, extenuant, maciem extremam, & hydropem inferunt. In primo casu, universo corpore leniter defricato, ac pedibus blande fotis, saphenam ilicet solvere oportet, item & pudendis, si opus

opus fuerit, hirudines admovere. Inde ea omnia, quæ ad pleuritidem discutiendam non ita pridem proposuimus, tum intus, tum foris, poteris adhibere. Fotus tamen, atque inunctiones hypogastrio potius apponito. In secundo casu alia conferunt, quæ mensium fluori nimio sistendo conducere in superioribus affirmavimus.

Quid præstandum sit, ubi placenta mature non excludatur.

Quia placenta arcte nimis utero non raro adhærescit, vel quia aut imbecille nimis est ligamentum umbilicale, atque adeo priusquam egerantur exuviæ, eo immature, ut ita dicam, avulso, aut quia languens nimium puerpera validius eniti nequiverit, secundinæ, fœtu licet emisso, nequaquam excluduntur; quæ proinde, si diu intus in utero commorantur, brevi putrefiunt, & puerperam quamprimum enecant. Hinc quo eximantur ocius, eo melius. In quo tamen tum obstetrix, tum chirurgus, caute admodum semper incedat. Satius enim est, eas blande, ac leniter emolliendo, laxandoque, paullatim, ac sensim educere, quam mordicus, ut ita dicam, ac per vim extrahere; etenim si uteri substantiam excerpas, convulsiones mortiferas, inflammationes pessimas, & sanguinis profusiones extremas illico excitabis.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid præstandum sit in affectionibus mammarum post puerperium.

EX dictis abunde liquet, Puerperas acriter utplurimum torqueri; omnes quippe dolores patiuntur immanes, omnes fere torminibus identidem divexantur, omnes affligit rigor lactis, quem febris utplurimum insequitur. Plerisque in mammis lac ita redundat, ut subinde concrescens in tubulis sistatur, tumores inducens, pruritus acerrimos, erysipelata, abscessus, scirrhos, & carcinomata, quæ mortem non raro accersunt. Ex his pleraque, lochia debite excreta subducunt. Hinc siquid morbidi, lochiis licet uberrime egestis, adhuc persistat, minime negligendum; nam tametsi lenitatem quandoque præsetulerit, eo nihilominus processu temporis devenit, ut operam exinde medicam neutiquam reformidaverit. Febris, quæ provenit ex lacte nimio in mammis congesto, nihil unquam, nisi perperam tractata, portendere consuevit mali. At enim vero sedulo præcavebis, ne semel ex ipso lacte conceptus febrilis æstus, exasperetur; neve omnino neglectus, qualitatem sibi longe pejoris induat notæ. Febrem hanc diæta potissimum extenuabis. Verum, ne lac turgeat nimis in mammis, ne ibi stagnando concrescat, & corrumpatur, blande extrahendum. Mammæ, si dolent, decoctionibus, fovendæ. Si maximam præseferant duritiem, & inunctionibus emolliendæ. Nos autem optimo cum successu, mammis prius, cum spongiis aqua tepente madidis, iterum, iterumque fotis, id linimentum A stupa eo intime imbuta non semel adhibuimus.

A ℞. *Mell. hisp. unc. iv., sperm. cet. drach. ij., camph. scrup. ss., ol. amyg. dul. rece., & sine igne extr. unc. ij. M. pro linimento mammis apponendo.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid præstandum sit, quum

TUM puerpera periclitari, multoque magis angi solet, quum fœtus ægrotans in utero, aut admodum languet, aut, antequam in-

fœtus mortuum esse in utero dignoscatur.

inter vivos egrediatur, ex vivis jam decesserit. Fœtum in utero languere, atque ægrotare indicia potissima sunt: motus infantis admodum imbecillis: sanguis, qui, veluti per menses, ante partum effluxerit: secundinæ ante fœtum egestæ: & quum mammæ, quæ lacte prius turgebant, ex improviso collapsæ flaccescant prætermodum extenuatæ, & maxime si lac uberius, ac valde dilutum fundant. *Mulieri utero gerenti, si lac multum e mammis effluat, fœtum imbecillem significat; si vero mammæ solidæ fuerint fœtum significat saniorem.* (a) *Quæ corruptæ sunt fœtus, his mammæ extenuantur &c.* (b) At ubi mortuus est, alia ad hæc perplura accedunt. Prægnantibus enim eo in casu, & frigent insuper pudenda, abdomen, & nasus; universa identidem inhorrescunt corporis organa; livescunt oculi, ac nitorem consuetum amittunt; decolor, ac squalens fit facies &c. Præterea non amplius in utero vegetus subsultat fœtus; at veluti pondus iners de latere in latus levi ex causa eum delabi prægnans percipit; quinimmo, tum ut quum maxime gravitans deorsum semper impensius inclinare. Ichor ulterius ex pudendis, aut alius humor, sive uligo quædam putrida, & fœtens ex cadavere intus liquata fluit. Palpitat prægnantis cor, delinquit animus, necnon etiam febris ei quandoque suscitatur. In his circumstantiis, ne, ex putrescente fœtu pridem extincto, labem contrahant prægnantis viscera, ut quamocissime eximatur, opera danda est; neque aliud in hoc præstare oportet, quam ea sedulo adhibere, quæ pro ejectione molæ in utero jam concretæ paulo ante probavimus.

(a) *Hipp. lib. 5. aph. 53.*

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Describuntur mammæ, earumque papilla, & areola.

UT de mammis, ita & de lacte, frequens quoniam & incidit, & incidet dicendi occasio, quid nam sit lac, item & mammarum structura, paucis hic absolvere alienum non erit. *Mammæ*, quæ & *ubera* passim dicuntur, maribus, æque ac fœminis communes licet sint, in maribus tamen, quum usus admodum obscuri, incertique semper fuerint, in fœminis præcipue eas hactenus perscrutati sunt Sectores. Partes igitur sunt organicæ, non ubique sibi similes sub tegumentis ex pectore summo sexui muliebri non indecore utrimque assurgentes, sive potius extuberantes; in quibus lac in primis pro nutritione prolis conficitur, & asservatur; ut postmodum in alimoniam ei, papillarum ope, opportune præbeatur. Ea mammarum pars, quæ in capitulum ex mediis eminet mammis, proprie dicitur *papilla*. Virginibus, ac bene valentibus, hæc rubore suffunditur. Lactantibus livescit. Nigricat effœtis. Una cum reliqua mammarum substantia intumescit ad invicem, & detumescit: erigitur nempe, subsidetque. Ob maximam nervorum, qui in eam coeuntes desinunt, copiam, sensu pollet acri. Pluribus ubique minimis non impervia deprehenditur foraminibus, quibus ductus lactei, de quibus mox dicendum, extremi uberrime aptantur, atque inhiant. Ea regio, quæ, ad papillæ basin in gyrum circumjecta, a reliqua mammarum substantia tum mollitie, tum colore, manifesto distinguitur, appellatur *areola*. Hæc in virginibus pallidam, in prægnantibus, lactan-

(b) *lib. 5. aph. 54.*

ctantibusque subnigram, & nigram plane in vetulis sese perhibet.

Enumerantur mammarum vasa, & præcipue describuntur sanguifera.

Quatuor sunt præcipue, quæ mammarum substantiam interiorem graphice compingunt, glandulæ nimirum, vasa, globuli adiposi, ac fibræ. Glandulæ mole admodum variant; omnes æquæ tamen ætate florentibus, quum nondum macies eas consecerit, candore plurimum nitent. Senescentibus contra flavedine quadam livescunt. A partibus proximis, necnon etiam a remotis, vasa mammæ cujuslibet generis nactæ, variis ubique alluuntur humoribus, sanguine nimirum, spiritibus, sive succo nervorum, limpha, adipe plurimo, & lacte. Arterias iccirco, & venas habent, nervos, ductus lymphaticos, adiposos, & chyliferos, aut lacteos. Arterias, & venas suscipiunt præcipuas a subclaviis, ab intercostalibus, atque thoracicis, necnon etiam, ut admodum verisimile videtur, ab hypogastricis. Admodum diximus *verisimile*; id quippe, in cadavere licet humano clare hactenus numquam assequuti, certo affirmare nequeamus, in canibus autem lactantibus, ovibus, capris, ac vaccis recens interfectis, sanguifera ab hypogastricis ad ubera dirimi, non semel abunde perspeximus. Arteriæ, & venæ, quæ a subclaviis ad mammas proficiscuntur, quæque *mammariæ* dictæ sunt, sub osse sterno incedentes ex utroque latere per exteriora potissimum mammarum effunduntur. Vasa hujusmodi, lactantibus ante omnes, plurimo sanguine turgent.

Mammarum nervi.

Nervos præcipuos suscipiunt mammæ a pari quinto ex dorsalibus conjugationibus, a plexu nervorum quodam, qui inter clavicules dirimitur, & ut opinor, ab aliis quoque paribus; quibus intercedentibus, maximam cum aliis partibus, & cum pudendis imprimis, affinitatem contraxisse videntur. Ratione nervorum, qui per mammas uberrimi effunduntur, imprimis est, quod lac exuberans, consistens, atque acorem quemdam in iisdem mammis contrahens, eos post puerperium creberrimos plerumque concitet rigores, qui *lactis* nuncupantur.

Lymphæ ductus.

Minimi lymphæ ductus, qui in uberibus, vaccarum, saltem, admodum conspicui obversantur, ex uberibus in ductum thoracicum desinunt. Num id tamen, & in homine contingat, adhuc incertum est.

Ductus adiposi.

Quoniam autem plurima pinguedo in globulos distracta, ubique per mammas, tum intus, tum foris sub tegumentis effunditur, opinari ideo possumus, inter vasa præfata etiam ductus adiposos dirimi.

Ductus lactei.

Ductus lactei sunt ductus quidam chyliferis non absimiles, qui surculis pluribus perquam exilibus a glandulis mammarum profecti, ac in truncos majores inde coeuntes, ad papillas osculis hyantibus utcumque tendunt, earumque compagem maxima ex parte conficiunt. De iis tamen id maxime adnotandum, non ubique æquales esse; sed in minimas cellulas passim tumefieri, quæ lac tamquam plurima minima continent receptacula; quinimmo & in papillis, ne sua sponte lac diffluat, nonnihil contrahuntur. Ductus lactei, antequam papillam attingant, frequenti per mammarum substantiam uniuntur anastomosi: idque, ni fallor, ut altero ductu obstructo, aut compresso, alter in papillas lac derivare queat.

Papillæ mammarum tenuibus foris quibusdam fibrosis vestiuntur involucris; quorum fibræ pene innumeræ sparsim undequaque carnosæ per mammarum substantiam procedunt, tubulos lacteos varie circumligantes, eosque fortasse, prout exigit mammarum munus, alternis modo laxantes, modo contrahentes.

Mammarum usus.

Non defuerunt, qui ex tubulis lacteis, nonnullos saltem, nihil aliud esse sibi suaserint, præterquam ductus chyliferos, qui & a ductu thoracico, & a receptaculo chyli communi, chylum ad mammas proxime provehunt; atque adeo nihil lac aliud esse, quam chylum ab alimentis ingestis recens in intestinis æductum, & per ductus chyliferos, antequam cum sanguine immisceatur, ad mammas traductum. Nobis autem eo usque dum res clarior fiat, opinari potius liceat, lac chylum esse perquam tenuem, subactum, ac ope triplici sanguinis motus plurimum defœcatum; qui ab eodem sanguine in glandulis mammarum secernatur, atque a glandulis in ductibus lacteis asservetur, & per eos ad papillas deferatur. Quamobrem ex dictis concludendum videtur, mammas glandularum esse congeriem, quarum beneficio lac a sanguine pro nutritione fœtus, qui extra uterum adolescit, opportune secedit.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quare lac gestationis tempore, & præsertim sub finem augeatur.

LAC ad mammas longe uberius confluere, ibique secerni fœtu concepto, certum est. Ex quo inferre rationi valde consonum ducimus, mulierem, quum fœcundatur, ex semine intus suscepto, aliquid sibi abripi, quod, humoribus immixtum, sanguinem, spiritus, succum nervorum, lympham, item & mammarum structuram ita disponat, ut chylus a sanguine jam subactus, facilius in glandulis excidat, ibique in lac cumulatus, ductus lacteos subeat, ut aliorsum provehatur. Quod autem gestationis tempore, & præcipue sub finem, ut quum maxime lac in mammis exuberet, id fit quoque & ex mensibus diu suppressis, quorum causa in vasis redundat sanguis: & ex utero, qui ob fœtus intus increscentem, ingentem sibi nactus molem, truncos comprimit descendentes, atque ab iis in ascendentes maximam avocat ejusdem sanguinis copiam; qui proinde in mammis turgescens, glandulis longe majorem lactis proventum suppeditat, & meatibus impertitur. Nil mirum itaque, si nullum unquam inflammationibus mammarum, antequam, non sine maximo lactantis incommodo, nec procul ab omni periculo, in abscessum convertatur, discutiendis, magis præsentaneum, ac magis antiquum, quam large sanguinem ex pudendis hisce in casibus educere, præsidium adinvenimus.

CAPUT XV.

Quid sit Meconium, & quo pacto ejus causa extra uterum lædi possit recens natus Infans.

QUO pacto ab ortu ad interitum subinde lædamur, fragilem hanc in terris, atque caducam vitam viventes, graphice non minus, quam fuse tra-

tradidit Senex. (a) *In ætatibus autem talia contingunt. Parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, quæ aphthæ vocantur, vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.* (b) *In progressu vero, quum jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia, & maxime quum caninos edunt dentes, & iis præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent.* (c) *Quum vero jam magis adoleverint, tonsillæ, & vertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quas Græci asthmata vocant, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ, quas Græci acrocordonas vocant, satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.* (d) *Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluvium sanguinis.* (e) *Plurimæ autem passiones puerulis judicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ vero in annis septem, quædam vero jam ad pubem accedentibus; quæ vero permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis, quum menstrua erumpunt, consenescere consueverunt.* (f) *Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alii, sed præcipue antedicti.* (g) *Ultra hanc ætatem asthma, idest crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluvia, choleræ, difficultates intestinorum, levitates intestinorum, hæmorroides.* (h) *Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves.* Verum enim vero, quia sanguinis, chylique motu in præcedentibus, item & organorum structura insequuti, ægritudines universas, quibus jam adulti corripimur, singillatim exposuimus, ad eas ut accedamus modo superesse videtur, quibus, ut quum primum in lucem edimus, vel paulo post, obnoxii evadimus. Ex quadruplici fonte tales affectiones potissimum exoriri autumavimus, vitio nimirum *meconii*, *lactis*, *dentium eruptionis*, atque *organorum*. Meconium lædit præcipue tenella infantis intestinula. Lac stomachum proxime lædit. Dentes erumpendo gingivarum membranas afficiunt. Organa, eo quod tum imbecilliora, & nondum bene compacta sint, universam corporis œconomiam infirmant. Ex meconio exordiri est animus. Nihil aliud est meconium, quam *recrementorum congeries, quæ in intestinulis fœtus ex succo alibili, quo in utero inclusus vescitur, cumulata, fæces quasdam solutas, graveolentes, subnigras, sive potius ex viridi nigrescentes compingit*. Hinc meconium describendo Ettmullerus *crudiorem esse* dixit *caseum a reliqua nutritiva substantia sequestratum, & quasi præcipitatum*. Id meconii nomen, penes Medicos, sibi vindicavit, quoniam colore succum

Quomodo meconio lædiatur infans.

(a) *Hipp. sect. 3. Aph. 24.*
(b) *Sect. 3. Aph. 25.*
(c) *Sect. 3. Aph. 26.*
(d) *Sect. 3. Aph. 27.*
(e) *Sect. 3. aph. 28.*
(f) *Hip. sect. 3. Aph. 29.*
(g) *Sect. 3. Aph. 30.*
(h) *Sect. 3. aph. 31.*

Digitized by Google

cum quodammodo mentitur ex inciso papaveris scapo expressum, inspissatumque, quod aut opium, aut etiam meconium passim nuncupatur. Meconium igitur, nisi quamprimum egeratur, quamplurimas recens natis incitare valet affectiones persæpe funestas; ascescens quippe in intestinis; sive acre factum, eorum tunicas vellicando, tormina procreat, vomitus, inflammationes, ulcera interiora, & non raro convulsiones ex consortio epilepticas; quinimmo si per chyli ductus in vasa sanguifera sese immittat, sanguinem, & una cum sanguine humores universos inficiens, & febrem concitat; & veternum, & scabiem, & reliqua, de quibus subinde, producit.

Diagnosis. Prædicta incommoda, num meconii retenti causa, num aliunde suscitentur, tum ex iis, quæ præcesserunt, tum ex iis, quæ insequuntur, tum ex fœcibus ipsis, aut minime, aut quantitate non debita excretis, conjicere facile poteris. Felicissime utplurimum tametsi solvantur, & passim critica sint, non est tamen, quod necem interdum non inferant, aut diutina non evadant.

Curatio. Quocirca sordes intestinorum eo in casu, quamprimum id fieri possit, eluendæ sunt, aut savonea, quam ex oleo potissimum ex amygdalis recens expresso, ac saccharo, sive melle hispano conficies; aut oleo sive communi, sive ex iisdem amygdalis, sive ex aliis seminibus expresso, ac pluma illinita, ano blande indideris; aut aquam hordeaceam, aut saccharatam, aut mellitam, hisque similia, quæ alvum leniter eluunt, atque intestina placidissime lacessunt, caute submittes. Mammarum papillas oleo alii inungunt, quod una cum lacte ab infante sugente emunctum, ingestumque ventrem solvit, & meconium dejicit. Sunt qui emollientibus, laxantibusque abdomen infantis quoque fovent. At parens provida Natura lacte ipso materno, quod prioribus illis diebus quodammodo infecit, atque adeo acre nonnihil, & solvens effecit, infantis incolumitati apposite prospexit. Lac equidem illud infanti propinatum, veluti perquam lene, idoneum, atque elegans catharticum, & vomitum cit, & alvum commode solvit, quo meconium opportune possit extrudi. Id generis lac, *colostrum*, *culustrum*, sive *colaustum* proprie dicitur, atque in deliciis a Veteribus habebatur. Unde illud Martialis,

Surripuit pastor, quæ nondum stantibus hædis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Noxium igitur injuria, & præsertim eo tempore lactantibus censetur; quinimmo & impuritatibus, quas gestationis tempore contraxit, infantis alvum, uti diximus, opportune laxando; pluribus morbis imminentibus medetur. Perperam itaque proli consulunt Parentes, qui & natos suos aliis lactandos committunt, & lac vetustum ex nutricibus jamdudum effœtis iis principio comparant.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quare congeratur in visceribus fœtus meconium.

FŒtus utero conclusus ore, uti diximus, neutiquam per vasa umbilicalia, nutritur. Sugit nempe humorem albugineum, quo intus in amnio circumfunditur; qui profecto, non secus ac alimenta in adultis, per œsophagum in ventriculum ad intestina descendit. Inde ductus subit chyliferos, ac per eos chyli subit receptacula, ductum thoracicum, ac vasa sanguifera. Talis humor, etiamsi desœcatissimus sit ulterius tamen desœcetur, conficiatur, atque extenuetur fermentationis ope, tum in ventriculo, tum in intestinis oportet. Hinc tenuiores a crassioribus secedentes particulæ, dum illæ venas lacteas ingrediuntur, hæ in anfractibus intestinorum sensim in dies coacervatæ meconium compingunt. Meconium istud, gestationis tempore, ne fœtui alimoniam coinquinet, numquam egeritur, ut, ne urina quidem egeratur, necesse est. Tum urina, tum meconium fieri potest, ut sub gestationis finem ad tantam pervenerint copiam, & tantum sibi comparaverint acorem, ut visceribus infesta fœtum admodum torqueant, & provocent partum. Id perfunctorie jam ante innuimus, & hic luculentius exponere placuit.

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN SPECTANTES.

Quomodo vasa umbilicalia, in lucem edito fœtu, circumliganda, & recidenda sunt.

RECens natis umbilicus ex Hippocrate interdum inflammatur. *In ætatibus autem talia contingunt parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, quæ aphthæ vocantur, vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes &c.* Id item frequenter evenit ex obstetricis incuria in vasis umbilicalibus circumligandis, recidendisque. Iccirco fœtus in lucem editi umbilicalia, pollicis circiter intervallo ab umbilico distantia, blande prius comprimito, ac sanguinem omnem, qui inter digitos comprimentes, & umbilicum infantis intercipitur, versus interiora ejusdem infantis subinde exprimito. Funiculum mox umbilicale recidito, ac filo ad ventrem proxime blande constringito, ac vino, sive quovis alio idoneo liquore postremo abluito.

CAPUT XVI.

Quo pacto lactis vitio quandoque lædatur infans.

Optimi lactis, optimæque nutricis conditiones.

IN sui alimoniam extra uterum lac fugere recens natam prolem abunde liquet, idque ad annum, & ultra, quoad, crassioribus assueta esculentis, lac ei plane subducatur; quo tempore lactis vitio plurima sane patitur incommoda. Lac enim ingestum persæpe in visceribus aut corrumpitur, aut concrescit, aut præter naturam servet, aut acidum fit, aut alio quovis pacto fœdatur. Hinc vermes, tormina, nausea, vomitus, dejectiones, obstructiones, febres, convulsiones, & reliqua, quæ prolem immaturam, & vel in ipso limine non raro subripiunt. Ut igitur pernoscamus, an lac proli recte nutriendæ idoneum sit, nec ne, in ea, quæ insequuntur sedulo inquires: nimirum, num sit coloris candidissimum, saporis dulcissimum, odoris non in-

injucundum, & modice consistens; obscurum quippe, subviride, livescens, acidum, in grumos concrescens, tenax, vel nimio scatens sero, & graveolens, plerumque officit. Quamobrem, ubi prolem suam lactare Parentibus minime datum sit, nutrix eligatur habitus optimi, quæ a Genitrice prolis, temperamento, atque ætate non multum distet, quæ colore floreat, mores habeat honestos, nec enormiter vescatur; quæque, quum id fieri possit, alias pepererit, aliosque non improbe prius educaverit. In quibus universis plurimum equidem attenti sint Parentes necesse est; ex infecta quippe, ac prava nutrice, plurima cum lacte morborum non modo, verum etiam pravæ indolis seminia lactantes sibi insusa contraxisse satis superque constat. Hinc profecto & lues ab infantia venerea, & labes scorbutica, & phthisis, & amentia, & epilepsia, & reliqua; quinimmo & lythiasin in pueros cum lacte translatam, & legimus, & vidimus.

Quid præstandum est, ubi nutrix ægrotaverit.

Ideoque, si quæ antea sana fuerit, lactando subinde nutrix ægrotare vere cœperit, abigendus est puer, aliæque bene valenti, ut probe lactetur tradendus. Et forte fortuna, si labem ex lacte pravo prius ingesto is jam contraxerit, tum lac novæ nutricis ad eam labem delendam medicare, eumque corrigere juvabit; quod, optima potissimum victus constituta ratione consequi poteris. Caveto tamen, ne purgationibus nutricis alvum solvas: ne rebus pinguioribus, succique validioris, quæ organa plurimum defatigant, vescatur; ne carnes nimias, & vinum præcipue avide ingurgitet, aut reliqua edulia, quæ optima licet vulgo censeantur, lac tamen pessimum suppeditant, quod facile corumpitur, & vermes procreat. At enim vero, nil unquam lac nutricis intrinsecus magis inficere, ac labefacere potuit, quam animi motus validiores, & præ cæteris ira, amor, metus, & mœror. Nutrix, quæ compressa jam conceperit, lac ita sibi fœdavit, ut prolem sive suam, sive alienam inde lactando, extremam ei perniciem quamprimum intulerit.

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN SPECTANTES.

Periculum, quod semper imminet infanti, quum de nutrice in nutricem lactandus traducitur.

LAC proli alendæ præ omnibus maternum idoneum sore, procul ab omni hæsitatione, utpote quod ejusdem prolis naturæ magis accommodatum sit, pronunciandum ducimus; lac enim maternum non multum differre debet ab ea alimonia, quam in utero sugere consueverat fœtus; quum ab uno, eodemque sanguine, a quo succus ille secernebatur, & lac ipsum maternum secernatur, & quoties infantem ab alia in aliam nutricem lactandum traduci vidimus, toties plurima ex ea varietate eum pati percepimus incommoda. Hinc eorum semper improbavimus nimis scrupulosam diligentiam, qui nutricibus, ut quum primum refluxerint menses, lactantem prolem subripiunt, aliis lactandam eam commissuri. Res infantibus nequidem perquam incommoda semper fuit, lac de nutrice in nutricem iis commutare, & non semel funesta. Ideoque, nisi aut ad aliquot febrierint dies, aut aliter

ter valde ægrotaverint, nutrices, tametsi menses iis supervenerint, sinimus, ut in lacte infantibus præbendo adhuc prosequantur. Neque id hactenus nobis unquam male cessit, eam quamvis & inter Proceres, Romæ præsertim, in prole lactanda, ratione servare ad hunc diem consuevimus.

CAPUT XVII.

De Verminatione.

Verminatio quid.

INfantes, & pueros præ cæteris infestare solent vermes; quinimmo & ne fœtui quidem, quum in utero vixit, quandoque pepercerunt. Vermes nobis in fœtibus immaturæ exclusis, quos exenterare fecimus, variæ molis, varieque figuræ non semel intueri licuit. Vermes, sive lumbrici, a vermium, lumbricorumque terrestrium, quos æmulari solent figura, *animalia quædam* dicuntur, *utplurimum oblonga viventia, quæ varios occupant corporis humani recessus, ac stomachum crebrius, atque intestina*. Triplicis generis frequentiores sunt: *vulgares* nempe, *ascharides*, *& lumbrici quadrati*. Vulgares appellantur; qui teretes sunt, atque in multam longitudinem producti. Ascharides alii, qui teretes quoque sunt, ac perexigui, eorum persimiles, qui ex caseo recenti subpingui, vel ex carnibus putrescentibus non raro consurgunt. Hi recto plerumque intestino, inter plicas delitescentes, infesti plurimum esse solent. Lumbrici quadrati vocantur, qui, longissimi licet, sunt semidepressi, ac lati. Molem quandoque maximam habent, & crassis intestinis, colo præcipue, quamsæpissime inhærent.

Diagnosis.

Vermium organa lædentium indicia sunt tormina, nausea, vomitus, borborygmi, flatus per abdomen evagantes, alvi tensiones, dolores lancinantes, dejectiones fœtidæ, urinæ pallentes, acris tussicula, terror in somniis, narium pruritus, sternutatio frequens, lacrymarum stillicidium, tremores, spirandi quandoque labor; animi angustiæ &c. Ad hæc adjiciuntur persæpe facies squalens, & oculi livescentes. Os acorem interdum spirat, palpebra inferior inflatur, oculorumque gemma ceruleo anterius quasi circumducitur anulo. Emaciatur æger, contabescit, ei palpitat cor, linquit animus, & non raro convellitur. In verminatione præterea frequens est item, principio maxime ægritudinis, ut fames prætermodum augeatur, nec non etiam depravetur. Quamobrem picaceos passim vermibus infectos vidimus, eosque per ea, quæ vermes enecant, quamcitissime curavimus.

Causa.

Vermes exoriri Majores opinabantur ex pituita quadam dulci in visceribus putrescente, quæ per calorem sive innatum, sive putridum, sive fermentescentem in lumbricos disponatur, & quodammodo vivificetur, quod cum Recentioribus plane refellendum ducimus; atque ex ovulis, sive ex seminio quodam ejusdem generis, ut & cuncta animantia ita & vermes, pluribus ex causis mox exponendis, in corpore humano vitam habente, procreari autumamus.

Prognosis.

Verminatio mature cognita, si opportune tractetur, facile utplurimum evincitur. Verum si Clinicos non minus, quam adstantes eludat, ac proinde ne-

glecta si augeatur in dies, diutina fit, ingravescit subinde, & lethalis evadit: id ni fallor, quoniam vermes in visceribus aut coeundo, aut alio quovis pacto fœcundati, adeo propagantur, ut eorum species deleri vix inde queat. Ascharides, ano præsertim tametsi perquam incommodi, longe minus habent periculi. Rubicundi, & versicolores pessimi sunt vermes. In febribus quibuscumque sive superne, sive inferne ejecti non bonum omen faciunt. In febribus tamen acutis, ac pravæ indolis critice interdum, & citra grave incommodum, ut inter alios testatur Willis, excernuntur, apud quem quispiam, quem febris quidem acuta crebra syncope tentaverat, lumbricis vomitu pluribus per modum criseos egestis, omnino evasit. Verminatio intus occulta, quæ vel animi frequens inducat deliquium, & multo magis, quæ epilepsiam moveat, vel apoplexiam fecerit, non multum abest, quin infantem efferat.

Curatio. Optima victus norma præcipue incumbendum est, ut verminatio arceatur; carnes enim, lac, vernique fructus, item & æstivi, necnon etiam autumnales, qui facile putrefiunt, vermes ante omnia ingenerant. Non est tamen, quod proinde vermes ex putri ortum ducere credamus; verum ali potius, foveri, fœcundari, atque uberius excludi, veluti in solo plurimum idoneo, atque in pabulo apprime congruo positum, inter ejusmodi putrescentem materiam, verminosum seminium, proferre non dubitamus. Aquam simplicem, utpote quæ edulia præfata facilius, quam vinum solvat, corrumpatque, eique putredinem maturius accersset, vermibus procreandis, magis adhuc accommodatam censemus. Vinum nihilosecius pluribus aliis, de quibus & diximus, & dicendum, ex causis, longe majorem noxam infantibus moliri poterit. Inter ea, quæ vermibus speciatim interimendis apprime conducunt, primum equidem obtinent locum mercurialia: aqua præ cæteris ex infusione mercurii simpliciter parata, mirum in modum hisce in casibus excellit; quam profecto haustam, blande, cito, ac tuto effectum suum mirifice præstitisse semper comperimus. Talis aqua, Romæ potissimum, temporibus nostris solemnis est, quaque optimo cum successu quotidie nos saltem utimur. Infunditur mercurii crudi quantumlibet, exempli gratia, uncia una, duæ, tres &c. in aqua communi, hæc cum mercurio, quod infuderis, diu exagitatur. Gravitate ductus in fundo subsidet mercurius; & aqua, præterquam quod vel minimum, quod sensus saltem afficiat, ex mercurio sibi contrahat, mercurio limpidissima circumfunditur; quam ita limpidissimam, ut remanet, quovis tempore, quavis dosi, cuique ætati indiscriminatim propinare poteris. Id propemodum idem de mercurii facultate ad vermes enecandos, & Veteres, & Recentiores plerique, qui de vermibus scripserunt, tradidere. Vermes etiam contra vulgi opinionem interfectos persæpe vidimus saccharatis, item & mellitis, modo tamen res amaræ iis adjiciantur, ut ex. gr. aqua florum, & fructuum acerborum aurantiorum, cortices citri, rhabarbarum, semina cardamomi, radices contrajervæ, scorzoneræ, hisque similia. Vermes destruunt item aquæ

aquæ graminis, scorzoneræ, cardui benedicti; theriacalia, confectiones hyacinthinæ, alkermes, oleum Matthioli, petroleum, quod *Saxi* vocatur, quæ non modo foris inungendo, verum & intus ad guttas aliquot, nisi tamen adsit febris, adhiberi possunt. Oleum commune, amygdalarum dulcium, aut seminum melonum cochleatim cum aqua aurantiorum, & modico saccharo, sive melle propinatum, mirum in modum in verminationibus non raro prosuit. Clysteres cum lacte, aut saccharato, aut mellito lumbricos, crebro injecti, subducunt. Cæterum rerum acidarum pene semper improbavimus abusum, & spirituum præcipue sulphuris, salis, vitrioli, & id generis alia, utpote quæ stomachum contrahant, nervos irritent, febres excitent, obstructiones faciant, & humores quandoque fundant, & solvant nimis.

Historia IV.

Quicquid, verminationi medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

QUadrimus infans Nicandrus, subpinguis, optime constitutus, mense octobri, ubi cum Parentibus ruri commorabatur, ficubus, & uva recenti in refectionem pro jentaculo plurimum indulsit; cui præterea, & lactis copiam caprini Parentum incuria fecerat, & vinum subinde, abstemius licet eatenus fuisset, potare cœpit. Quæ res effecit, ut ex improviso torminibus acriter tentaretur, item & nisibus irritis vomendi. Mox solvitur alvus, & fœcibus solutis plurimum incoctis, & prætermodum graveolentibus dejectis, tormina, item & vomendi nisus evanuerunt. Attamen nauseabundus, vehementer sitit, somniculosus, tremoribus identidem levibus concutitur. Noctu terrificis crebro excitatur insomniis, nares sibi prurire sentit, modo sternutat, modo, tametsi nihil excernat, valide tussit, decolor fit facies, lividi evadunt oculi, cum labore nonnumquam respirat. Spiritus, quem expirando per os emittit, non bene olet; quinimmo & acidum, veluti triticei panis fermentum nonnihil quandoque redolet. Nihilominus, pulsus tametsi non raro intermitteret, nec febricitabat, nec alia pessima aderant symptomata, ex quibus aliquid aliud pejoris nothæ præter simplicem verminationem conjectare hic debuissem. Hinc, enemate ex lacte mellito prius indito, qui alvum blande concitavit, aquæ predictæ mercurialis ad sitim explendam potestatem fecimus, ut interim id conditum A cochleatim lamberet operam dantes. Decedente die multo melius Nicandrus se habuit. At enim vero ad sordes viscerum ulterius eluendas, ut incœnatus recumberet constituimus; quo jejunis faucibus noctu oleum amygdalarum dulcium recens, ita ut exponitur in B paratum, per intervalla deglutiret. Id sane, alvo antelucanis horis commode soluta, inter fœces plurimas & vermes multos variæ molis, variæque indolis, tum adhuc viventes, tum extinctos ejecit, atque in pristinam valetudinem actutum ægrotantem optime restituit.

A ℞. *Syr. de pom. unc. ij.*, *confec. hyac. drach. ij.*, *rad. contrajerv. in pollin. redac.*, *corall. rubr. præpar. ana drach. j.*, *aq. flor. aurant. unc. ss. M. f. cond. sumendum ut m.*

B. ℞.

B ℞. *mel. hisp. unc. j., succin. alb. præp. scrup. j., ol. amyg. dulc. rec., & s. ig. extr. unc. ij. M. sol. & cap. ut m.*

Loco mellis hispani, ubi mel infans fastidiat, syrupus de pomis commode substituatur; qui cum aqua, aut mercuriali, aut florum aurantiorum immixtus, & præsertim si coraliorum adjicias magisterium, in verminatione subducenda plurimum semper profuisse ex usu quotidiano percepimus.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quo pacto exoriri credamus vermes in corpore humano vivente.

VEtus opinio fuit, quæ ad tempora usque nostra quoad Franciscus Redi Patritius Aretinus Serenissimi Cosmi III. Hæturiæ Ducis olim inclytus Archiater, naturæ perscrutator acerrimus, id falsum esse non minus detexerit, quam evulgaverit, constanter invaluit: vermes, & alia cuncta insecta ex putri, viliora utpote animantia, procreari. Insignis autem ævi proxime elapsi Scriptor, cætera insecta, quæ extra viscera corporis viventis insurgunt, ex ovulo quamvis nasci luculenter palam fecerit, vermes tamen ope caloris innati ex putredine in recessibus corporis animati revera gigni posse, fidenter noluit improbare. At cum venia tanti Præceptoris id nobis profecto improbare adhuc liceat; quum vermes ipsos, qui in visceribus nostris educantur, nonnisi ex ovulis quidem, sive ex semine ejusdem generis originem ducere arbitremur. Intelligere quippe numquam valuimus, quo pacto eorum quoque corpora, quæ tum intus, tum foris tam eleganter, non temere, sed speciatim instruxit, & concinnavit Parens provida Natura, sine ovulis, ac sine semine saltem quodam, ex sola materia putrescente, calore aut insito, aut extrinsecus adveniente tepefacta extare unquam potuerint. Quapropter probabilius videtur ut & cætera, ita & talia insecta, aut ab ovulis, aut ex seminibus suis, vel inter cibos, vel cum aere inspirato, vel inter effluvia cutis, ingestis, intus excludi. Quicquid in hanc sententiam passim dicitur, ovula præfata, si ventriculi cavo, aut intestinorum abditis inessent, per digestiones alimentorum destructum penitus iri, nullius id plane momenti faciendum ducimus; quum calor viscerum digerendo idoneus, mitis sit, lenis, fermentescens, ac fovens; qui propterea blande agit, ac proinde prædictam vermium ex ovulis exclusionem adjuvare potius, quam corrumpere deberet; persimilis est enim caloribus iis exterioribus, quorum beneficio: & ab ovis, quibus incubat gallina febriens, excitantur pulli nascentes: & bombyces in gremio foti ex seminibus tandem emissi adolescunt: & telluri semel commissa seges, vapore jam tepefacta fœcundo pubescens, ex putri solo luxurians, cum fœnore succrescit.

CAPUT XVIII.

De Dentitione difficili.

Definitio.

DEntes, qui erumpere incipiunt, quod a mense octavo non procul evenire utplurimum solet, gingivarum membranas solvunt, ac nervos proinde irritant. Hinc ex dentibus erumpentibus varia sane incommoda, ac

ac variæ, nec sine maximo periculo, infantibus ægritudines passim extitere. Quo in casu *dentitio* vocata est *difficilis*; adeo ut nihil aliud sit dentitio difficilis, quam *ægritudo infantibus permolesta, consurgens ex symptomatum pessima congerie, ob dentes, qui cum difficultate erumpunt, prodeuntium*.

Differentia. Nonnulli, raro admodum licet, cum dentibus nascuntur. Aliis contra, quod frequentius accidit, sub finem mensis octavi, ut ante innuimus, erumpunt: priores, nempe canini, atque incisores, quos subinde utrimque alii ex ordine ad molares usque insequuntur, qui postremo pene semper insurgunt. In veram, & notham distinguitur dentitio. Vera dicitur, quæ profecto a dentibus est erumpentibus. Notha, sive spuria fit, quum gingivæ aliunde, aut inflammatione affectæ, aut ulcere exesæ, prætermodum intumescentes, dentitionem quodammodo mentiuntur.

Diagnosis. Talis ægritudinis indicia desumuntur præcipue ab eruptionis tempore, quod plurimum quandoque variat. Dentes enim licet plerique mense octavo emittamus, non est tamen, quod interdum ad annum secundum, tertium, & quartum id non differatur; quo tempore, quum gingivæ prurire incipiunt, inflari, ac inflammari, pluribus veluti vesiculis intumescere, caro iis succrescere &c., id brevi dentes erupturos denotat. At si ad hæc terror accedat, febris, insania, vigiliæ, salivatio, nisus vomendi, convulsiones, alvi proluvies, & reliqua, id dentitionem difficilem fore declarat.

Causa. Causas dentitionis difficilis, brevi non minus, quam eleganter tradidit Hippocrates (a): *quum dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvium, & maxime, quum caninos edunt dentes, & his præsertim pueris; qui crassissimi sunt, & alvos duras habent. Qui crassissimi*, inquit, *sunt, & alvos duras habent*: id ratione epilepsiæ, quæ in dentitione suscitari solet, præcipue innuit Senex, quæ facilius iis porro suscitatur, in quibus gingivarum crassities magis resistit, ne facile dentes erumpant; quæ propterea, caninis præsertim sese producentibus, utpote acutioribus, violenter scissæ, ac laceræ, convulsiones pariunt. Et convulsionibus tum adhuc magis læduntur infantes, quum eorum alvus *dura* intestinorum proluviem diu nequaquam egesserit; lacessitis enim per dentes ex gingivis prodeuntes nervorum staminibus, eo minus cætera ex consortio patiuntur organa, quo alvi sordes minus ea pergravaverint. Cæterum dentium germen, quod in maxilla interiori delitescit, ibi, lac veluti quoddam mucidum, ac tenue, in cellulis continetur, & stagnat, sensim concrescit, ac durius in dies evadit, eo usque dum maximam sibi nactum duritiem, paullatim augetur, ac sese mox exerens per alveola membranas undequaque impellit; quæ tandem fatiscentes, iis exitum pandunt.

Prognosis. Dentitio, quo difficilior, ac magis molesta, eo pejor. Hinc quo citius erumpunt dentes, eo melius. Qui acriter tussiendo dentire incipiunt, difficilius evadunt. Convulsiones, motusque spasmodici ex dentitione concitati, reliqua licet adsint leniora symptomata, necem quamsæpissime inferunt.

In

(a) *Hippoc. lib. 3. aph. 25.*

Curatio. In dentitione id in primis curandum, ne alvus compressa epilepsiam concitet. Ventrem iccirco, & oleo recenti cochleatim propinato, & per clysteres immisso, sæpesæpius laxare oportet. Si gingivarum inflammatio febrem, eamque vehementiorem succenderit, sanguinem, quum id fieri possit, opportune imminuere, plurimum semper juvabit. Vinum infanti non minus, quam nutrici plane interdicatur. Os decoctionibus emollientibus crebro abluatur, quo membranis laxatis, extenuatisque, dentium exitus facilior evadat. Humores, qui in tubulis eo in casu concrescunt, ablutionibus tepentibus ex aqua florum rhœados, sambuci, rosarum &c, discutiantur; in quem finem sanguinem quoque adhibent nonnulli hircinum, leporinum, atque ex crista galli recens recisa expressum, & reliqua ejusmodi, quibus si aut sperma ceti, aut mel commune, aut grana aliquot caphuræ, quæ vim habent resolvendi, adjeceris, parti affectæ admotis, inflammationem una & dolores cohibere poteris. Sunt qui & ad opiata, ubi convulsiones supervenerint, tamquam ad sacram anchoram confugiunt. Nos autem, saltem nisi lene admodum sit, quicquid soporem inducit, infantibus, æque ac pueris, utpote valde noxium, numquam propinare consuevimus, ne cerebrum lædat, ingenium hebetet, eos inertes faciat, & perennem mentis stuporem ea ætate moliatur. Vesicantia, sinapismata, sonticuli, atque id generis cætera exteriora, nescio quid unquam hisce in casibus proficere valuerint; nec video, qua ratione, quove consilio, id auxilii genus ad epilepsiam in dentitione eximendam tentetur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quare dentes Infantibus renoventur, & senescentibus excidant.

Dentes ab infantia emissi ad annum usque septimum alveolis infixi firmiter hærent. Mox primores vacillare incipiunt, donec excidant, ut in eorum locum alii postmodum emergant. Paullatim subinde, non aliter excidunt vicissim, atque extuberant propinquiores, ad molares usque posteriores; qui, quum non semel a virilitate non procul emergant, *intellectus*, & *sapientiæ*, necnon etiam *genuini*, & *posteriores* item nuncupantur. Dentes, qui renascuntur, sub prioribus tamquam vivi radices in formam mucoris, non secus ac priores, latitabant. Num tamen novi plane sint dentes ab aliis diversi, ut Eustachius inter cæteros, & Riolanus autumavit; num sint veluti surculi ab eadem radice pullulantes, ut sibi suasit Diemerbroechius, difficile est dijudicare. Certum est tamen, prioribus dentibus ruditer, immature, ac per vim, veluti ad radices usque penitus avulsis, novos deinceps neutiquam assurgere: evidens indicium, ideo non assurgere, quod una cum radicibus, & surculi, unde germinare debuissent, exempti, fruticare, ut ita dicam, nequiverint. Senescentibus autem dentes excisi, si non renoventur, id provenit, quia mucor, ex quo dentes succrescunt, arefactus iis olim contabuit, non secus ac arefactæ contabuerunt quoque gingivæ; quæ propterea macrescentes a radicibus recesserunt. Ex quo dentes infirmati processu temporis senibus vacillant, & excidunt.

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit epilepsia Infantum, vulgo le *infantigliole*, & quomodo curetur.

TUM meconium, quod nondum abunde egestum fuit; tum lac, quod in visceribus labem contraxerit; tum vermes, qui organa irritant; tum dentes, qui membranas, erumpendo, ruditer lacerant, nervorum genus, æque ac cerebrum adeo quandoque afficiunt, ut musculos prætermodum convellendo, veram infantibus epilepsiam arcessant; quæ propterea, uti paulo ante innuimus, epilepsia infantum, vulgo Romæ *le Infantigliole*, dicitur. Talis affectio eadem propemodum, quæ in capitibus præcedentibus epilepsiæ in genere sistendæ proposuimus, exigit remedia. Nihilosecius quoniam infantibus utplurimum sympathica esse solet, ex affinitate videlicet, quam, nervorum plexibus intercedentibus, cerebrum habet cum reliquis partibus humani corporis viventis, & potissimum cum visceribus imi ventris, ac gingivarum membranis, iis iccirco directe semper prospiciendum. Non negamus tamen, & infantibus aut cerebri, aut spirituum animalium vitio interdum incitari; quo in casu, si usui credendum, cervicem leviter inurere, ut per fonticulum ichor quidam saniosus excernatur, plurimum aliquando ejusmodi epilepsiæ generi evincendo contulisse, inficias ire nequivimus. Verum enim vero eorum abusum semper improbavimus, qui tamquam carnifices organa infantum tenella erodentibus torquere aggrediuntur. At, quum nihil sit, quod ea ætate prædictas convulsiones epilepticas moveat magis, quam usus vini, victus pinguis, rex multa nimirum carne confectus, animique perturbationes, ideo ad eas subducendas nihil unquam antiquius, ac præsentaneum magis adinvenimus, quam infantibus, æque ac nutricibus, & vinum, & edulia carnibus parata plane interdicere, æque ac hilaritatem pro viribus comparare.

Historia V.

Quicquid, epilepsiæ Infantis medendo, præstitimus, historia declaramus.

CYrus infans, qui ætatis mensem tertium, & decimum vix exegerat, lactans, optime constitutus, alvo compressa, vomere cœpit. Quicquid evomit tum colore, tum odore, tum sapore lactis acidi quid redolet, & sapit. Sistitur vomitus. Inflatur inde abdomen, ac variis flatibus male olentibus identidem emissis, prætermodum obmurmurat. Mox organis universis supervenit tremor. Convelluntur, & quatiuntur artus. Cum labore respirat, ac tandem aphonus oculorum aciem in eumdem locum quasi intentam dirigit. Stertit insuper, ac ore spumans animo demum delinquit. Ad horæ tamen quadrantem paroxysmus vix producitur. At cessans vicissim, & recurrens eadem periodo crebro deinceps alternatur. Nutrix, quæ lac infanti eatenus præbuerat, ob conjugis repentinum non ita pridem extincti interitum, mœrore prope defecerat. Ex quo lac proinde graviter infectum, talem infanti epilepsiam suscitasse, inferre rationi consonum videbatur. Quamobrem ægrotanti puero lac ejusmodi, ut confestim subduceretur, obnixe curavimus; & clystere ex hydrelæo statim submisso, oleum ex amygdalis dulcibus recens expressum cochleatim eo usque Cyro lambendum propinavimus, donec alvus soluta sordes tandem plurimas dimiserit, unaque

que cum sordibus, quicquid morbum maxima saltem ex parte fovebat, ejecerit. Enim vero intestinorum proluvie egesta, non adeo frequens ut antea, & multo mitior inde fuit semper accessio; quam ea, quæ sequitur, methodo trium dierum circiter intervallo prorsus extenuavimus. Nutrici, quæ priori successerat, vinum primum interdiximus. Pro vino decoctionem ex radicibus graminis, & chinæ, ita, ut legitur in A, paravimus. Ut carnibus sese omnino abstineret, effecimus. Quapropter fercula, quibus etiam parce vescebatur, hordei cremore, lacte caprino, ac ovorum vitellis recentibus ut instruerentur, operam dedimus. Pro jentaculo autem, ne vires plane deficerent, optimam chocolatam mane diebus singulis sorbuit. Sub vesperam emulsionem hanc B quotidie potavit; idque ne rediret affectio, ad dies quadraginta circiter prosequuta est. Modo interim sitiisset, aquæ aut graminis, aut avenaceæ, aut hordeaceæ, aut Cornu cervi, aut etiam simplicis copiam fecimus. Puero id conditum C lambendum confecimus; quod & alvum opportune laxavit, & spiritus consopitos aliquantulum excitavit, & verminationi, quæ fortasse aderat, prospexit.

A ℞. *radic. opt. chin. s. a. incis. drach. ij., glicyrhiz. drach. j., cinnam. opt. scrup. j., aq. comm. lib. iv. M. f. inf. & macer. s. a. cin. calid., & adde rad. gramin. unc. j. leviter bul. col. pro potu ut m.*

B ℞. *hord. mund. & elix. unc. ss., sem. melon. unc. j., aq. gramin. q. s. M. f. emul. s. a., quam cap.*

C ℞. *Conf. hyac., alKerm. ana drach. j., syr. de pomis, mel. hisp. ana unc. j., aq. flor. aurant. unc. ij., M. solv. & cap. lambendo ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit tussis ferina, ejusque Curatio.

EVenit persæpe, ut lactanti puero lacte subducto, nescio, an quia victus, quo tum vescitur crassior sit, an alia ex causa; evenit, inquam, ut cum hypochondriis, & universum intendatur abdomen, & tussis quædam perquam molesta, periodice quasi suscitetur; quæ diebus singulis, plerumque tum mane, tum vesperi, per horam, & amplius quandoque thoracem tanto cum impetu concutiat, ut prope sublata spirandi facultate, ac genis rubore impense suffusis, puerum suffocari minitetur. Nec ea tussis cessare solet, nisi, vomitu excitato, mucosa, albicans, indigestaque excernatur materia; quæ aut stomacho, aut intestinis inhærens, per consensum tussim eam spasmodicam, una cum reliquis incommodis, ut opinor, movebat. Ejusmodi tussi pueris, infantibusque frequenti, eoquod ingenti cum immanitate eos invadat, *ferina* nomen recens inditum est. Periculo non vacat. Solemnis est quoque fœminis hystericis, maxime non nuptis. Oleo aut ex amygdalis dulcibus, aut ex seminibus melonum recens, & sine igne expresso discutitur; quod tamen ea quantitate, ac tamdiu propinare oportet, quoad, vel alvum, vel vomitum blande concitaverit. Oleo, ut facilius agere queat, addidimus nonnumquam & sperma ceti, & mel hispanum, ita propemodum, ut legitur in A, immixtum. Grandioribus & manna ad drachmas aliquot adjicere item convenit. Si oleum fastidiat infans, oleo syrupus violatus violaceus succedaneus esse poterit. Mel hispanum, de quo alias su-

fuse verba fecimus, ad tussim ferinam in fœminis hystericis extenuandam ad unciam circiter diluculo cum ingenti copia juris insulsi ingestum, mirifice conducit. Cæterum clysteres emollientes, fotus, inunctiones exteriores, balinea, & reliqua, quæ cutem extendunt, eamque laxant, optima sunt. Confectiones anodynas, dummodo seniores eligantur, ac alvo prius, & stomacho extersis, nisi tussis, spasmodica sistatur, & præsertim theriacales, præscribere quoque poteris. Si sanguis redundet, ne paroxysmo suffocetur infans, opportune imminuatur &c.

℞. *Ol. sem. mel., aut amyg. dulc. rec. & s. ig. extr. unc. ii., sperm. ceti drach. j., mel. hisp. unc. ss. M., & cap. lambendo ut m.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sint aphthæ, & quibus auxiliis iis prospiciendum.

EX iisdem causis, unde fit epilepsia, & tussis, quam cum Recentioribus ferinam dicere placuit, exoriuntur quoque pustulæ quædam livescentes, quæ oris membranas infantibus hinc inde sparsim exedunt, quæque *aphthæ* nuncupantur. Hæ utplurimum in acumen fastigiatæ, crustam, sive excaram proferunt, quæ vicissim excidit, & renascitur. Non omnes ejusdem æque generis sunt; aliæ quippe albæ deprehenduntur, croceum aliæ perhibent colorem, lividas aliæ sese ostendunt, luridas, & fœdas, nonnullæ nigras &c. Insuper modo, ob humorem, quo scatent, molles apparent, modo arescunt, modo adeo firmiter partibus affectis adhærent, ut nonnisi per vim, pene ac altas si egerint radices, auferri possint; modo contra leviter adeo inhærescunt, ut facile avellantur, & sponte, ut ita dicam, sua, nonnumquam excidant. De iis id potissimum in genere animadvertas oportet, aphthas non tamquam vera ulcera carnem alte subjectam depascere, verum solam ut plurimum cutem afficere, eamque in superficie tantum corrumpere. A gingivis fere semper versus partes oris interiores procedunt, ad linguam nimirum, palatum, fauces, ac per œsophagum interdum ad stomachum, æque ac ad intestina sese effundentes. Critice non raro erumpunt, & præsertim humidæ, quæ leniores sunt. Ac aridæ, lividæ, & præcipue nigræ, necnon etiam quæ, quum plures sint, sub una tantum crusta coeunt, & delitescunt, pessimæ habeantur; quinimmo & lethales, tum maxime, quum veluti symptomata gravioribus ægritudinibus adjiciantur. Salivatio opportune superveniens eas nonnumquam adimit. Multa sunt, quæ ad aphthas eximendas Clinice tradidit, ea namque omnia, quæ humores acres eluunt, crassos extenuant, concretos solvunt, ea sane aphthis curandis perquam idonea censentur; de quibus ratione tum diætæ, tum pharmaciæ, tum etiam chirurgiæ, jam ante pluribus in locis verba faciendi sese præbuit occasio. Inter localia, ablutiones mirum in modum prosunt tepentes, ita ut sequitur paratæ, hisque similia.

℞. *Sarf. paril. opt. s. a. incis., glycyrrhiz. ana unc. j., aq. chalyb. lib. iv. M. f. inf. & macer. s. a. per noctem cinr. calid., & ad fol. cochlear., nast. aquat., malv. ana pug. iii., decoq. s. a. colet. pro ablutione tepenti, ut m.*

Item ℞. *aq. chalyb. lib. iv., mel. com.*

comm. opt. unc. ii., spirit. vin. rectific. unc. j., M. pro ablutione tepenti, ut m.

Item ℞. aq. bord. lib. iv., succ. limon. unc. iij., mel. comm. unc. j. M. pro ablutione, ut m.

Ablutionibus præfatis sub finem morbi optimo cum successu addidimus absorbentia, uti sunt terra nuceriana, oculi cancrorum præp., cornu cervi ustum &c.

Verum enim vero, quoniam os infantibus, intus præsertim, abluere perquam incommodum est, ideo, quum ablutionibus uti nequeamus, cochleariæ succum cochleatim propinare optimum foret; cui optimo cum successu addidimus etiam cancrorum succum recens expressum, & mellis hispani modicum. Quinimmo & ea per modum linimenti cum ovorum recenti vitello, atque oculis cancrorum præparatis quandoque congregavimus, quæ aphthis mox ita admota, earum acrimoniam mirifice sedare valuerunt; quin & eo solo remedio, eas brevi penitus evanescere non semel vidimus; &, ut efficacius ageret, guttas aliquot aut spiritus vini rectificati, aut aquæ Reginæ Hungariæ, aut quintæ essentiæ roris marini, aut drachmas aliquot aquæ calcis vivæ, non semel adjecimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit lactumen, & quomodo ingeneretur.

EArumdem rerum vitia passim effecerunt, ut infantibus, aut lactantibus, aut lacte subducto, *lactumen*, *crusta lactea*, *achores*, vernaculo sermone *lattime*, extrinsecus accrescerent; quæ quandoque ex calvaria exteriori ad tempora, ad frontem, ad genas, & etiam ulterius per membra effunduntur exteriora. Lactumen dicitur *crusta quædam sæda, quæ insurgit ex variis subjectis ulceribus, humorem acrem, & densum insudantibus, in crustam extrinsecus concrescentem*. Lactumen, ubi calvariæ partem, unde, crines luxuriant, occupat, *tinea* infantum item vocitatur. Quamsæpissime, ut & ipse animadvertit Dolæus, id exoriri a puerorum voracitate opinamur; quatenus chylus rudis, nec coctus, nec intime subactus, sanguinem coinquinet, ac una cum sanguine serum, lympham, ac succum alibilem; qui propterea acris factus cutem erodit, ejusque glandulas irritat, tubulos contrahit, aliosque ibi humores sistit; qui proinde nil mirum, si ex ulceribus exudantes concrescant, & morbosam crustam ingenerent. Hinc non perperam salutiferum vulgo censetur, quod profecto intempestive compressum epilepsiam, aliasque lethales ægritudines, ut non raro & ipsi vidimus, progenuit. Non est tamen, quod reliqua quandoque tegumenta erodendo ad osseam usque substantiam pervenerit, eamque carie affecerit. Attamen interioribus potius, quam exterioribus ei occurrendum hortamur auxiliis, & victus præcipue norma; qui sit tenuis, dulcis, humectans, atque insulsus oportet. Vini usus est pessimus.

Quid sit intertrigo, ejusque curatio.

Quicquid de crusta lactea diximus, & de parotidibus, bubonibus, scabie, intertrigine, & id generis aliis, quibus præsertim obnoxii sunt pueri, plane dicendum existimamus. Intertrigo sunt *ulcera quædam levia, sed lata, sive potius est levis cuticulæ excoriatio cum subjecta inflammatione, quæ cutem acriter inter femora potissimum incendit*. A causa ut plu-

plurimum exteriori producitur, ab acrimonia in primis recrementorum, urinæ videlicet, alvique sordium, quæ partes eas diu madefecerint, & coinquinaverint. In adultis fit etiam sudore, ac mutua femorum, incedendo, attritione. Ad intertriginem eximendam, eam maxime, quæ provenit, ut ita dicam, *ab extrinseco*, ablutiones tepentes, æque ac sotus ex aqua vel hordei, vel chalybeata, vel rosarum, vel florum sambuci apprime conducunt; cui melius adhuc prospicies, si partibus affectis ablutis, sotisque aut terram nucerianam, aut cerussam, aut sal saturni, aut reliqua id generis obsorbentia in pollinem redacta leviter insperges.

CAPUT XIX.

De Rachitide.

Definitio. RAchitis *vitium est quoddam organorum corporis humani vitam habentis, cuius causa, partibus solidis, & præsertim ossibus, ac cartilaginibus alendis succo alibili non æque distributo, efficitur, ut earum nonnullæ ob defectum extenuatæ marescant, nonnullæ autem ob copiam plus satis nutritæ in molem iusto majorem augeantur*. Rachitis dicitur a *spina*, quæ in rachitide laborantibus præ cæteris partibus utplurimum afficitur, quæque *Rachis* item Græcis appellatur.

Diagnosis. In Rachitide duræ partes, quam molles potius vitiari solent; qua de re mole prætermodum crebro augetur caput, ac variis in locis enormiter cranium extuberat. Spina persæpe, & reliqua incurvantur ossa, in nodos hic, atque illic, ex articulis præsertim, procul ab omni lege attolluntur. Intumescit non raro abdomen. Perangustus fit thorax, & spirandi labor accedit. Valde torpescunt artus, atque imbecilles adeo demum evadunt; ut, solutis viribus, moli adauctæ substinendæ prope impares fiant. Nihilo secius alacres ingenio rachitide affecti plerumque sunt, & supra ætatem prudentes.

Causa. In definitione rachitidis, organorum vitio eam fieri diximus. Quia autem organa, ut ante exposuimus, partibus solidis, & fluidis congregantur, vitium, quod rachitidem facit, tum fluidis, tum solidis, tum utrisque insidere potest. At, quum quotidie ab usu excepimus, rachitidem, quæ recens est, si recte tractetur, non semper fuisse insolubilem, fluida, quam solida in ea frequentius peccare ideo autumavimus; fieri nempe potuit, ut vel sanguis, vel cæteri humores in tubulis non æque concrescentes varias hinc inde obstructiones pepererint; unde inæqualis alimoniæ partibus alendis distributio impertita rachitidem fecerit. Et quoniam ex Anatome accepimus, ossium fibras ex fibris tendinum musculorum produci, inferre non alienum visum nobis est, humores pravos, qui rachitidem educant, musculorum tendines potissimum inæqualiter infarxisse; qui proinde ita oppleti ossium fibris alimoniam non æque suppeditare queunt.

Prognosis. Rachitis lethalis licet non habeatur, symptomatibus tamen ingravescentibus morbos quoque lethales efficere valet; quum tabes non raro, phthisis, hydrops, & maxime pulmonum, rachitide laborantes invaserit. Quo citius infantes post nativitatem corripuerit, eo pejus; & si, antequam annum ætatis quintum attigerint, haud evaserint, pe-

pene semper deinceps ægrotant. Si febris insequatur, facilius solvitur; item &, tum quum reliqua minuantur symptomata, si scabies ei supervenerit. Raro admodum adultos rachitis corripuit, eoquod partes habeant solidiores, ac metam crescendi eorum jam attigerint organa. Quæ fit partium solidarum vitio, difficilius cedit, ac præsidia medica penitus eludit.

Curatio. Si experientiæ credendum est, ea omnia, quæ luem veneream, atque scorbuticam destruere valent, & rachitidem evincunt, modo tamen blandiora adhibeamus, nec sudorem, nec urinam, nec salivationem, nonnisi leviter moveant. Hinc a mercurialibus, & præsertim fortioribus cavendum. De iis ex professo in sequentibus agendum. Decoctiones interim ex radicibus graminis, fragarum, ex foliis cochleariæ, nasturtii aquatici, hæderæ terrestris, pimpinellæ, ex floribus borraginis, hyperici, primulæ veris, & reliqua plurimum commendamus. Frequentissime, optimoque cum successu lac ut asininum, ita & caprinum cum succo cochleariæ, ac magisterio margaritarum, sive coraliorum, sive testaceorum concharum, hisce in casibus, Romæ præsertim, propinavimus. Vinum omnino interdiximus. Pro vino tincturam ex sarsa parilla, & radice chinæ per levem infusionem in aqua graminis extractam præscripsimus; quam aut cum optimo cinnamomo, aut cum corticibus citri, sive aurantiorum, eorum præcipue, quæ vulgo *di Portogallo* nuncupantur, acuimus. Nisi alvus responderet, decoctionibus præfatis, aut syrupum de cichoreo cum rhabarbaro, aut manna cum modico mellis hispani adjecimus, sive clysteribus simplicibus eam blande concitavimus. Nonnumquam in eumdem finem mel hispanum cum infusione senæ orientalis, ac ejusdem rhabarbari cochleatim præbuimus &c. Alvo extersa, ac humoribus, ita ut innuimus, ante digestis, nisi rachitis solveretur, ad balinea confugimus; quæ aut aqua chalybeata simplici, aut eisdem decoctionibus antiscorbuticis paravimus.

Historia VI.

Quicquid, rachitidi medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

LYcinius tres ab illinc circiter annos summo genere puer natus, ad id temporis optime semper valens, subpinguis, & vegetus, sero dentire cœpit, ac dentibus erumpentibus vehementer febrire, torqueri, & angi. Ad diem septimam, nulla manifesto crisi apparente, sponte quasi recessit febris. Macilentus inde, irrequietus, extenuatus, ac languens ad mensem, & ultra vixit. Spina mox dorsi nonnihil incurva apparuit. Et variis ex locis in nodos plurimum, ut ita dicam, salebratam sese extulit calvaria; atque in utroque carpo, ac genu, necnon etiam ad talos ossa extrema prætermodum adaucta Lycinium rachitide jam affectum fuisse abunde ostendebant. Enim vero viscera explorantes, abdomen tumidum, & costas valde inæquales esse quoque cognovimus. Alvus dura erat, ac urinæ perquam tenues, & perexiguæ. Hinc ad alvum non minus, quam urinas concitandas, id conditum A Lycinio cochleatim lambendum præscripsimus; quod sane non modo intestinorum proluviem eluit, verum etiam, & vomitum civit, & urinas plurimas egessit. Octobris mensis erat 1714. ubi Lycinium

nium tractandum nobis tradiderunt Parentes, ideoque procul ab omni cunctatione lac caprinum, ita, ut legitur in B, medicatum ei propinandum ter die proposuimus; & quum sitiisset, aquæ ita, ut legitur in C, paratæ copiam fecimus. Clysteribus quotidie simplicibus, ut a sordibus interim ulterius eximeretur alvus, operam dedimus. Hac curandi methodo per intervallum dierum quadraginta circiter servata, rachitide plane soluta, Lycinius sensim subinde, & sibi carnem induit, & pinguis ut antea evasit, & pristinum robur brevi resumpsit.

A ℞. *Rhabarb. elect. in pollin. redact. scrup. semis, mell. bisp. unc. ij., aq. cinnam. unc. j., flor. aurant. unc. ss. m. f. cond., & cap. ut m.*

B ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis., rad. chin. ana drach. j., glycirrhyz. drach. semis, aq. comm. q. s. m. f. inf. & mac. s. a. cin. cal. per noctem, & adde folior. coclear. nast. aquat, hæder. terres. ana pug. j., decoq. S. A. col., & ad. panis opt. tritic. q. s., de more elixetur, & adde magist. perlar. drach. semis, ovor. vitell. recent. num. j., lact. capr. unc. iij., leviter bul. & propinet. diluculo pro jentaculo, circa meridiem pro prandio, & sub vesperam pro cœna, & nihil aliud.*

C ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis., rad. chin. ana drach. j., cinnam. opt. scrup. semis, aq. comm. lib. ii., m. f. inf. & mac. cin. calid. s. a. per horas xii. circiter, & adde rad. gramin. pug. j., bul. leviter, coletur pro potu, ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare ossa in rachitide incurventur.

VEram rachitidis causam enucleare, eamque luculenter exponere perquam difficile semper existimavimus; enim vero, ne ad vim eam confugeret occultam, qua facultates Galenicorum attractrices, & concoctrices non æque in partibus agunt, sive ad variam organorum intemperiem, inter Recentiores quispiam diversam salium, ac fermentorum naturam culpavit vitiatam. Nonnulli partium solidarum structuram eam producere protulerunt &c. Per obstructiones, quæ non æque tubulos universos infarxerunt, rachitidem nos fieri credimus. Num autem vasa sanguifera, num lymphatica, num chylifera, num nervorum meatus insensibiles oppleti sint, id audacter decernere minime aggredimur. Tamquam probabilius, aut saltem tamquam crebrius, musculorum, sive potius tendinum fibras rachitide oppleri tantum pronunciavimus. At quod sæpesæpius in rachitide incurventur ossa, tum id fieri judicamus, quum ob alimoniam in iis exuberantem in longitudinem ultra mensuram producantur. Etenim, si musculorum, cæterarumque partium solidarum, quæ contranituntur, eo in casu, renixum offendant, quum ulterius procedere nequeant, necesse est, ut aliorsum deflectant, & incurventur.

CAPUT XX.

De Variolis, & Morbillis.

Definitio.

QUOD Florentiæ dicunt *il vaiolo*, Romæ *i morviglioni*, Perusiæ *i mascalobri*, id

variolarum nomen penes Medicos sibi vindicavit. Quod autem vulgo apud nos audit *la rosalia*, *la roselia*, *il mal della porpora*, *id morbillorum* nomine Clynici distinxerunt. Variolæ fortasse dicuntur, aut a variando, cutem quippe admodum variant; aut a maculis, sive tuberculis quibusdam, qui *vari* nuncupantur. Variolarum claram, fusamque in Amaltheo medico præ cæteris Bartholomæus Castelli his plane verbis tradidit descriptionem. *Variolæ sunt pustulæ, vel papulæ majores, minoresve ab initio sub forma macularum rubentium in toto corpore, aut plurimis ejus partibus erumpentes, cum febre acuta epidemica, in augumento sese elevantes, & sub statu materiam viscidam quodammodo puri similem continentes, interdum & aqueam, tandem in declinatione degenerantes in crustam, post exiccationem decidentem, cum variis symptomatibus per diversa totius morbi tempora variantibus, & supervenientibus, genitæ &c.* Morbillorum nomen, ad denotandam eam, quam modo expositurí sumus affectionem, recens excogitatum, id idem prope sonat, ac *morbus parvus*. Num Veteribus nota olim fuerit talis affectio, necne, id tanti momenti, cum præcitato Auctore, haud ducimus, ut quæstionem ejusmodi prolixe velimus hic exagitare. Non secus igitur ac ille morbillos dumtaxat describendo, *minimas esse*, paucis dicimus, *maculas quasdam rubicundas in tumorem ex cute nonnihil elevatas, & prurientes, cum febre acuta, quæ citius tamen, quam variolæ, & citra suppurationem discutiuntur*.

Diagnosis. Tum variolas, tum morbillos præire solet calor quidam blandus, febrilis tamen, & nonnihil acris cum pulsu frequentiori, leni prævio per universam cutem horrore; cui accedit membrorum perquam molesta lassitudo, ac dorsi, lumborumque torpor admodum infestus, narium, oculorumque pruritus, qui creberrimas movet sternutationes, & lacrymas identidem elicit. Die morbi prima hæc utplurimum occurrunt. Secunda, & tertia febris augetur, & validioribus sese profert stipata symptomatibus: dolore videlicet capitis acerrimo, nausea, vomitu, tussi, quæ plerumque sicca est &c. His frequenter spirandi labor adjicitur, tremores spasmodici, & non semel epilepsia; quæ die utplurimum quarta, antequam variolæ, & morbilli erumpant, quin & in limine ipso quasi eruptionis, ægrotantem invadere solent. At quum erumpere incipiunt, incenduntur oculi, acrius adhuc pruriunt, uberiores funduntur lacrymæ, eæque mordaces, increbescit sternutatio, quæ non raro ex naribus superveniente hæmorrhagia solvitur. Proxime ante eruptionem humor peccans cutem universam acriter pungit, quam mox asperam facit, eamque madore suffundit, inde sparsim in maculas rubicundas erumpit, mox in minimas hic, atque illic pustulas attollitur. Intus interim æstuat æger, plurimum sitit, fauces jam exaustæ irraucescunt, tinniunt aures; quamsæpissime oscitat, pandiculatur, anxius fit; quandoque palpitat ei cor &c. Variolis erumpentibus, ad tres fere, aut quatuor dies adstringitur alvus. Primum in dorso, ventre, ac facie manifesta variolarum indicia occurrunt. Mox per ambitum corporis universum indiscriminatim emergunt. Ex maculis, ut innuimus, in pustulas minimas extuberant. Pustulæ subinde paulatim intumescunt, quoad

quoad in totidem parvos abſceſſus demum converſæ, aut pus, aut ichorem puris non abſimilem, aut lympham quamdam acrem emittant. In die undecima frequenter evenit. Senſim deinceps exſiccantur, donec in cruſtulas, ſive in ſquamulas fatiſcentes omnino exciderint. Eadem propemodum, ſed leniora anteire ſolent, quum erupturi ſint morbilli; qui ut citius erumpunt, ita & quoque citius decreſcunt, adeo ut die quarta, ſexta, vel nona res omnis abſolvatur. Hinc quæ morbillos comitari ſolent ſymptomata, nec adeo obnixe reſiſtunt, nec tam immaniter torquent. In morbillis tamen ſalivatio fere ſemper ſupervenit, quæ plurimum fatigat, & non ſemel jugulat, ut inferius dicendum.

Cauſa. Unde variolæ, & morbilli proveniant, res eſt admodum incerta. Excitari opinabantur Majores a labe quadam intus in utero a fœtu ex eo, quo alitur, prægnantis ſanguine impuro ſuſcepta; quod quam falſo prolatum fuerit ex dictis abunde liquet. Hinc credendum potius ducimus, exoriri vitio quodam, quod aut utero incluſus ex meconio, aut extra ex lacte, quo veſcitur, contraxerit infans. Vitium quippe iſtud in humoribus latitare, ac clam vigere potuit; eo uſque dum aliquid idoneum ab extrinſeco acceſſerit, una cum illo efferbuerit, atque in ſpumam, ut ita dicam, evanuerit.

Prognoſis. Quicquid de morbis acutis, & de febribus præcipue, in prognoſi diximus, & hic dictum volumus. Febris enim, quæ variolas, & morbillos comitatur, eſt de genere acutarum, & omnes quandoque præſefert malignitatis notas. Hinc quo mitior, eo ſemper melius, & contra. Pueris, atque adoleſcentibus, cæteris paribus, variolæ non adeo funeſtæ utique ſunt, quam infantibus adhuc lactantibus, atque adultis. Verno, æſtivoque tempore facilius, quam autumno, & hyeme ſolvuntur. Gravius obeſos, quam macilentos affligunt. Prægnantibus perſæpe lethales. Quo plures uno, eodemque tempore corripuerint, atque enecaverint, eo magis timendum. Si maculæ liveſcentes, aut variolas fœdent, aut inter eas obverſentur, id ſane peſſimum. Confluentes pejores, quam diſcretæ; quinimmo & quo magis diſtent, eo melius. Quo citius erumpunt, tertia, vel quarta plerumque die, eo felicius extenuantur. Symptomatibus ingraveſcentibus, quum aut non erumpant, aut retrocedant, aut cito, & quaſi immature marceſcant, necem utplurimum inferunt. Menſium fluxus, & diarrhœa principio ſuperveniens, lethalis. Sub finem non ita. In progreſſu non ſemper, ſi diutinæ experientiæ, ex qua plura in dies excepimus, fides habenda eſt. Hæc eadem, quod ad prognoſin attinet, & de morbillis prorſus intelliges; nec aliud inter eos, & variolas intereſt diſcrimen, niſi quod morbilli facilius ſolvuntur, multoque minus habent periculi. Nihiloſecius, utpote qui pulmonibus magis inſenſi, iis inflammationem nonnumquam moliuntur; quæ, niſi brevi diſcutiatur, aut interimit, aut tuberculos facit. Hinc vomicas, empyema, phthiſin, aſthma, pectoris hydropem, & id generis reliqua paſſim ex morbillis ſupereſſe vidimus.

Curatio. Num ſanguinis miſſio hiſce in caſibus conveniat, necne, id adhuc acerrime inter Clinicos exagitatur, eam tamquam perniciosiſſimam aliis plane improbantibus, aliis veluti neceſſariam, ſed in

in exordio, ante diem videlicet quartam factam, approbantibus. Ulterius vero procedente morbo, & sub finem præcipue, unanimi fere consensu in hoc conveniunt omnes, ut fateantur, eam aut mortem accersisse, aut symptomata plurimum saltem exasperasse. Nos autem tum in Nosocomiis, tum in ædibus privatis, & Romæ, & Florentiæ, & Perusiæ, id ferme observavimus, ubi symptomata ex plethora præsertim ingravescant, sanguinem quocumque tempore, ex qualibet parte abunde eductum, tum in variolis, tum in morbillis plurimum pene semper profuisse; quem tamen, summa nisi necessitate ducti, numquam emisimus; ejusmodi quippe ægritudines, quæ per modum cryseos natura moventur, sola utplurimum diæta felicissime discussas observavimus. Purgationes sunt pessimæ. Si alvus tamen diu restiterit, clysteribus ex aqua simplici, aut hordeacea, aut avenacea, aut ex jure insulso citetur. Ægrotantibus sitientibus bibendi copia fiat. Vinum, quicquid alii opinentur, nos semper interdiximus. Vini loco, aut aquam simplicem, aut hordeaceam, aut avenaceam, aut glicyrrhizæ, aut cornu cervi, aut florum papaveris, rhœados, aut sonchii, scorzoneræ, cardui benedicti, aut jusculum insulsum cum iisdem rebus paratum, hisque similia, quæ per cutis spiracula expirationem blande adjuvant, propinavimus; quæque propterea tepentia potius, quam frigida commendavimus. Interdum tamen, ubi prætermodum citra inflammationis metum æger æstuasset, & aquam frigidam ei indulsimus; quam profecto cum oblectatione non minus, quam cum levamine hausit; in quo tamen cauti valde simus oportet; eoquod potiones frigidæ, & præsertim in exordio, imminentem variolarum eruptionem compescere, & viscera inflammare possint. De cæteris ea, quæ in superioribus ad febres extinguendas proposuimus, & hic itidem proponimus; quum febris natura hisce in casibus in primis respicienda sit. Si viscerum immineat inflammatio, non modo sanguinis missio, quam tum veluti præsens, antiquum, & aureum præsidium commendamus, verum & reliqua omnia, quæ dicuntur *antipleuritica*, de quibus jam ante verba fecimus, adhibeantur oportet. Si adsint convulsiones, & oleum convenit, quod tum ex amygdalis dulcibus, & ex seminibus melonum recens, & sine igne exprimes; ea tamen lege præscriptum, quin alvum vel minimum solvat. Cæterum in id potissimum Clinicus incumbat, ut fluidorum labem natura per se ipsam exoneret; plures enim vidimus aut variolis, aut morbillis laborantes, opera medica potius, quam symptomatum atrocitate, decessisse.

Historia VII.

Quicquid Variolis medendo præstare consuevimus historia declaramus.

SYriscus quintum, & decimum ætatis agens circiter annum, adolescens temperamento calido, & sicco, biliosо nimirum præditus, nonnihil gracilis, sed optime constitutus, & ad id temporis bene valens, moribus probis, ac litteris, pro ætate, satis, superque instructus, mense Augusto, sodalem variolis affectum invisit. Domum reversus horrore quodam leni, ad horam circiter per cutem universam præeunte, tremore mox vehementer concuti cœpit. Tremorem calor insequitur febrilis, admodum acris, qui per to-

totam noctem prætermodum exarsit; ac sensim subinde decrescens, uberrimo tandem profuso sudore, prope meridiem prorsus evanuit. Attamen pulsus frequens erat, oculi, & nares pruriebant. Hinc & lacrymæ præter voluntatem fundebantur, & crebra erumpebat sternutatio. Decedente die, eadem plane recurrunt, & ut antea postridie quidem evanescunt. At oculorum, nariumque pruritus augetur. Tussis adjicitur sicca, præcordiorum anxietas, spirandique labor: idque per tres vices omnino renovatur; quoad cutis, infesta ubique prurigine lacessita, maculis quibusdam rubentibus hinc inde suffunditur. Ex fronte, brachiis, & pectore in minimas pustulas prædictæ maculæ sese attollentes, veras variolas fore, aperte jam indicabant. Ex quo ægrotare cœpit Syriscus dies erat morbi quarta, & febris ex intermittente continua licet facta, non ita vehemens tamen, uti prius æstuabat. Variolæ interim quaquaversum affatim non minus, quam feliciter emergebant; nam symptomata, erumpentibus variolis, adeo subinde leniebantur, ut res ad diem usque octavam in melius semper cesserint. Verumtamen die octava sub vesperam rigor, tametsi mitis, accessit; & calor inde febrilis valde exasperatus Syriscum ad horas viginti quatuor, & ultra prætermodum afflixit. Mox, tum quum variolæ suppurando ad maturitatem accedebant, febris quoque sedabatur. Pluribus in locis variolæ confluxerant, atque intumescentes faciem potissimum deturpaverant. Quamobrem, ne sanies inclusa subjectam cutim exedendo magis, magisque contereret, variolis acu aureo leniter punctis, ac digitis summis blande compressis, eam funditus expressimus. Die decima sexta a febre plane immunis fuit. Exinde non multum post omnino convaluit, nec ullas imposterum, nisi admodum leves, & raras, in facie variolarum notas præsetulit. A primo ad ultimum nihil aliud in ea Syrisci ægritudine clinice præstitimus, quam victus rationem dirigere, qui tenuis, humectans; & refrigerans semper fuit; quinimmo & principio tenuissimus; atque, vini usu plane interdicto, aquam ita, ut in A exponitur, medicatam, utut ei libuisset, tepentem potius, quam frigidam potandam præscripsimus. Et quoniam ad diem usque quartam alvus compressa obnixe restiterat, eam enemate ex jure simplici insulso indito blande incitavimus. Cubiculum, in quo ægrotabat Syriscus, erat amplum; & nihilosecius, ne calore nimio afficeretur, ut identidem horis congruis perflaretur, operam dedimus. Ad faucium ardorem leniendum, gelatinam cornu cervi cochleatim lambendam ei confecimus. Atque ad intestinorum sordes ex longo tempore cumulatas postremo eluendas, electuarium lenitivum cum rhabarbaro, ita ut legitur in B, statim ante cœnam sumendum, paravimus, quod, die decima quarta exacta, in bolos digestum deglutivit; cui, quum alvum movere cœpit, aquam plurimam nucerianam frigidam, ut ei constituimus, superbibit.

A ℞. *Rasur. corn. cerv. unc. sem., glicyrrhiz. drach. ij., cinnam. opt. scrup. j., aq. comm. lib. iv. M. f. inf. & mac. s. a., & adde rad. gramin., scorzoneræ ana pug. j., decoq. s. a. col., & adde ad gratum odorem, & saporem spirit. ex cortic. aurantior., vulgo di Portogal-*

gallo s. a. expressi. q. s. pro potu, ut m.

B ℞. *Rhabarb. elec. in pollin. redact. scrup. j., sal. tart. scrup. sem., elect. lenit. unc. sem. M. ref. bol. s. a., & cap. ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Tempus Variolis majoris afflictionis, & periculi.

IN variolis, qui perire solent, aut principio erumpentibus, aut in statu marcescentibus pene semper pereunt; febris quippe, quæ post diem morbi quartam, nisi ad hanc decesserint diem, utplurimum mitigatur, & non semel aut penitus, aut quasi penitus extinguitur. At die accedente nona reviviscit, & ita quandoque recrudescit, ut febrientem subripiat. In exordio febris eo in casu nuncupatur *eruptionis*. In progressu dicitur *maturationis*, *sive suppurationis*. Hæc plurimum sane habet periculi; plerosque enim, qui variolis interierunt, vel eo tempore, vel non multum post decessisse fere semper observavimus.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Non semper alvum, in variolis ciere est res periculi plena.

ALvum in variolis movere, maxime morbi principio, res est profecto periculi plena, eo quod alvi profluvium superveniens variolas erumpentes non raro compresserit, atque ægrotantem propediem extulerit. Nihilo secius, febre in variolis prætermodum adaucta, cæterisque atrociter debacchantibus symptomatibus, nonnisi alvo, quæ diu fuerit suppressa, clystere prius incitata, atque sordium proluviæ abunde egesta, variolas prodiisse non semel vidimus. Ex quo veluti exploratum satis habuimus, sordibus in imo ventre congestis, ac fluidorum motu propterea in visceribus retardato, labem, quæ humores infecerat, ab iis libere exolvi, & per cutem despumari eatenus haud quaquam potuisse.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Abusus Clinicorum, qui & cubiculum in quo deget ægro variolis affectus calefaciunt & cucurbitulis scarificantibus variolas foras extrudere sibi suadent.

UT facilius erumpant variolæ, imperitorum vulgus cubiculum, in quo commoratur æger, plurimum calefacere solet, quo cutis spiraculis laxatis, ac sudore per vim, ut ita dicam, elicito variolarum labem validius extrudat. Perperam tamen ex nostra sententia, & inconsulto; ex usu quippe didicimus, aerem, qui circumfunditur ægrotanti, identidem perflatum, atque interdum opportune renovatum, variolarum exclusionem plurimum adjuvasse, & symptomatum feritatem admodum cicurasse. Calor quippe exterior, nisi blandus sit, & aer inclusus, nisi morbidis, quibus inficitur, expirationibus, quamsæpissime defœcetur, quid aliud, quæso, præstare unquam poterit, quam humores magis, magisque labefacere, & organorum facultates lædere, & irritare? Sibi suadent alii, cucurbitulis scarificantibus cuti admotis, variolarum seminium citius aut educere, aut ad corporis peripheriam quasi advocare. In quo quidem caute admodum incedas oportet; quum, cutem incidendo, glandularum structuram vitiabis; iccirco nescio an proinde materiam peccantem ab ea potius avertes.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Variis exemplis comprobatur quicquid de variolis in medendi methodo jam ante docuimus.

EX inclyta, vetustaque Progenie, recens nupta Mulier, gestationis mense quinto, variolis vehementer affecta, Romæ non ita pridem nobis sese tractandam commisit. Hanc cum aliis Medicinæ Professoribus a morbi exordio ad finem usque, non secus ac nostrum Syriscum præcedentis historiæ, propemodum tractavimus; eamque felicissime tandem evasisse, item & fœtum optime constitutum, nono transacto mense, non absimili felicitate mox peperisse vidimus. Fœtus fuit fœmina, quæ ad annum, & ultra incolumis plane vixit. Inde affectionibus variis identidem ad annum usque septimum tentata, quibus tandem superatis, impræsentiarum optime valens adhuc vivit. At enim vero non modo perquam illustrem mulierem hanc, verum etiam cæteros fere omnes, quot variolis laborantes, & in Nosocomiis, & extra per Urbem ita ferme tractavimus, tot, nisi nos fallat memoria, tum masculos, tum fœminas, tum recens natos, tum adolescentes, tum etiam adultos superstites evasisse vidimus. Quinimmo & in Nosocomio Regiæ Domus S. Jacobi Hispanorum Urbis viros quadraginta, quinquaginta, & ultra annos natos, nescio an ea medendi methodus, an ipsa Natura ex variolis confluentibus, febre pessima stipatis, non semel subduxit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare ut plurimum variolis, & morbillis semel in vita tentamur.

OMnes fere variolis non minus, quam morbillis in vita semel ægrotamus; rari admodum nempe sunt, qui ad virilitatem pervenerint, & adhuc rariores, qui prius consenuerint, quam utramque eam ægritudinem passi sint. *Semel in vita* diximus; rarissimos quippe eos fuisse accepimus, & vidimus, quos bis, ter, & quater corripuerint, & variolæ in specie; quarum germen, quod intus olim pullulavit; penitus inde vanescit, effœtum fit, nec fruticat amplius.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Variolarum pustulæ nonnisi maturatæ fuerunt, unquam pungendæ &c.

NE variolarum pustulæ cutem alte corroderent, acu aureo eas, imperitorum vulgo licet reclamitante, jam maturatas pungendo, perforavimus, ut sanie summis digitis leniter expressa, citius mundatæ extenuarentur. Certum est enim, saniem, pus, aut ichorem, quo diutius intus in pustulis inclusus commoratur, eo magis cutem subinde exedere. Acu autem aureo non alia de causa in ea punctione usi sumus, nisi quod talis punctio quodammodo splendesceret. Cæterum eumdem porro præstitisset effectum, etiamsi alterius cujusque rigidæ, pungentis, ac propterea idoneæ fuisset materiæ. At enim vero, ne variolas, antequam ad maturitatem suam pervenerint audacter pungas, caveto; nam, quum inopportune id feceris, eas plurimum exasperando, crabrones plane irritabis.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quomodo excitetur sternutatio.

STernutatio, oscitatio, singultus, pandiculatio, species sunt quædam convulsionis, sive motus spasmodici, quæ tamquam symptomata non modo in variolis, & morbillis, verum etiam in plerisque aliis ægritudinibus crebro excitantur. Ideo membranis narium intus lacessitis sternutatio excutitur, quia membranæ præfatæ nervorum surculos nonnullos, ut jam ante item innuimus, a truncis excipiunt communibus, qui surculos emittunt quoque ad membranas diaphragmatis. Quo fit, ut naribus intime irritatis, irritentur & trunci communes, una & nervorum stamina, quæ ad fibras diaphragmatis dirimuntur. Hinc spiritus animales incitati a cerebro per truncos in ramos, ex ramis in surculos, ex surculis in fibras cum impetu irruunt, tum narium, tum diaphragmatis; quod propterea contrahitur, atque contractum a pulmonibus recedit, & valida fit proinde inspiratio. Comprimit insuper viscera imi ventris, quæ valide compressa, validius mox resiliunt, & idem diaphragma sursum repellunt in cavum thoracis; quod cum costis depressis pulmones interceptos alacriter comprimit, & aerem jam ante affluenter inspiratum validius exprimit; qui per tracheam cum sonitu foras erumpens, sternutationem excludit; sternutatio enim nihil aliud est, quam *aeris valide prius inspirati fortis, & subita expiratio*. Opinio, hæc, nisi prorsus vera sit, tamquam verisimilis, nobis saltem visa profertur. Ut nares intus lacessitæ, ita & oculorum tunicæ interiores nimia luce, quæ pupillas ingreditur, incitatæ, ob affinitatem, quam, nervis intercedentibus, habent cum diaphragmate, sternutationem movent. Enim vero ad solem oculorum aciem directe quisquis intendat, tum quum pleno ictu radiorum vim oculis excipit, lacrymas fundit, & plerumque sternutat.

Quomodo producantur oscitatio, & pandiculatio.

Oscitatio, Græcis *chasme*, vel *chasmos*, quæ non est, nisi *violenta quædam, atque enormis respiratio, originem ducens a motu quodam spasmodico, sive convulsivo ejusdem diaphragmatis, musculorum thoracis, ac præcipue maxillæ inferioris*, producitur a motu quodam spirituum in cerebro aut *idiopathice* aut *sympathice* concitato: vitio nimirum aut cerebri, aut eorumdem spirituum animalium, aut aliarum partium, quibus ex consortio & cerebrum quandoque afficitur. Id, & de sternutatione; & de singultu, deque pandiculatione affirmare non erit alienum; quæ, & *per essentiam*, non secus ac oscitatio, & *ex consensu* elici queunt; singultus enim nihil aliud esse videtur, quam *inspiratio quædam, ut ita dicam, intercisa ob motum spasmodicum ejusdem diaphragmatis, ex consortio ut plurimum œsophagi, aut ventriculi elicitum*. Pandiculatio cum oscitatione quasi coincidit, a qua non alia ex causa distare videtur, nisi quod in oscitatione diaphragma, & musculi thoracis, ac maxillæ inferioris, in pandiculatione artus convellantur. Tales motus, præternaturam licet plerumque excitentur, nihilominus cum consilio fiunt; eo quippe intendunt, ut res infestæ a partibus affectis commode excludantur.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit pediculatio, & quomodo curetur.

INter affectiones, quibus nondum adulti præ cæteris aliqui tentari solent, habemus quoque *frenulum*, *ranulam*, *oris fissuras*, item & *verrucas*; de quibus, quoniam & ad Chirurgiam proprie spectant, & ex ante jam dictis satis, superque pro Tyronibus elucescunt, plura hic dicere omisimus, ut morbum, qui dicitur *pedicularis*, utpote qui magis frequens sit, paucis saltem sub finem hujus sectionis, exponamus. *Pediculi*, & *pelliculi*, sive *achari*, sœdissima nempe animalcula iis potissimum, qui nondum adoleverint, plurimum infesta, per cutim, extrinsecus, inter crines, nonnumquam oriuntur, & fœcundata adeo multiplicantur, ut cutis substantiam in calvaria primum, mox in cæteris corporis regionibus, mordicando, pungendo, exedendoque ulcera sordida excavent, eamque in rimas varias proscindant, & crustas sanie scatentes, putridasque interdum procreent. Nil mirum itaque, si corpus ex hoc universum macrescat, & ad maciem usque extremam non raro contabescat. Talis affectio *pedicularis*, vel *pediculatio* nuncupatur, antiqua sane, & Proceribus etiam, ut Priscorum tradiderunt monumenta, lethalis. Quum pediculatione laborare quispiam coeperit, sensus deprehendunt. Ejus causam genuinam in ovulis repositam esse, satis, superque notum est. Quod autem magis his, quam illis multiplicetur, id a qualitate provenit tum caloris, qui in pediculatione febrilis utplurimum præcessit, tum materiæ cujusdam ovulis fovendis, fœcundandisque apprime idoneæ, quæ vel ex cute transpirat, vel cuti extrinsecus inhæret. Quicquid de pediculis diximus, & de acharis item, cæterisque, quæ ex corporibus viventibus extant insecta, quæque ex putri fieri jamdiu opinabamur, credendum ducimus. Pediculatio etiamsi periculo fere semper vacet, tædio tamen, atque incommodo iis, qui ea laborant, plurimum est. Ex contagio ab uno in alterum facile traducitur. In pueris, quam in adultis frequentior, & feracior est; quæ res effecit, ut pediculationem puerorum morbis annumeraverim. Nihil est, quod affectionem hanc magis evincat, quam corporis universi munditiæ, & optima victus ratio; qui tenuis sit oportet, succique optimi, & refrigerans. Carnium abusus, ficus, legumina, castaneæ, & glandes imprimis avide ingestæ, ex quibus humor quidam pravus in visceribus elicitur, qui per cutem inde effusus præfatorum insectorum seminia fœcundat, & pediculationem, quam progenuit, educat. Mercurialia præ cæteris, & sulphurata eam discutiunt, quorum usum deinceps, ubi de scabie, fusius exponam.

LIBRI TERTII

SECTIO TERTIA.

De Plethora, Cachochymia, Hydrope, Lue Venerea &c.; Deque iis, quæ tum in maribus, tum in fœminis, tum in recens natis, tum in adultis humores universos inficere solent.

CAPUT I.

De Hydrope.

Definitio, & Diagnosis.

NOnnullas alias in hac sectione, quæ postrema est, humani corporis vitam habentis tum exteriores, tum interiores, tum universales, tum particulares ægritudines exponere decrevimus, utpote quæ ætatibus singulis, & utroque sexui communes sint; quæque per capita, perque animadversiones, ut de cæteris pridem quoque fecimus, digestæ, atque exploratæ, quicquid de humano corpore vitam habente hactenus innuimus, satius adhuc elucidabunt, De Hydrope igitur, de Arthritide, vel de Podagra, de Lue venerea, de Scorbuto, de Scabie, & Lepra, de Catarrhis, de Rheumatismo, & Cephalalgia, deque tumoribus in genere, scirrho, abscessu, ulceribus, gangræna, atque sphacelo, necnon etiam de morborum complicatione, pauca saltem, antequam Tractatui finem imponamus, dicere est animus. Ab hydrope exordiri placet. Hydrops, idest *aquea colluvies*, nihil aliud est, quam *serum redundans, quo corpus universum humanum vitam habens, præternaturam extrinsecus intumescit*. Hæc *humoralis* proprie dicitur. Sunt qui *Anasarcam*, sive *Leucophlegmatiam*, eam quoque appellant; eoquod *aquam inter cutem*, vel *pituitam albam*, quæ ejusmodi hydropem fovet, talibus vocibus unice designent. Tumor itaque pituitosus est potissimum, qui hujus generis hydropem, humidum nimirum, indicat. Pituitosum autem esse, ex vestigiis, quæ in cute affecta ad aliquod saltem tempus impressa relinquunt digiti comprimentes, educitur. Ad hæc accedunt in hydrope sitis utplurimum inexplebilis, spirandi labor, color squalens, virium defectus. Ulterius urina in hydrope affectis imminui solet.

Causa.

Oritur ex humoribus indigestis; crassis, & glutinosis, qui stagnando viscerum obstructiones faciunt, atque adeo variis in locis minima lymphatica comprimendo, lymphæ ulterius effluxuræ impedimento sunt, ne libere fluat, neque aliorsum provehatur; quæ propterea subsistens, tubulos continentes extendit, ibique concreta, magis, magisque per universum corporis ambitum eos infarcit,

cit, atque extendit; quinimmo & non raro disrumpit. Hinc cutis, item & viscera intumescunt. Hinc in cavis, sinibus, atque recessibus, non semel effunditur, ac varias proinde hydropis species, humidæ tamen, sovet; humorum autem pravitas in hydrope vitio utplurimum extat digestionis. Quamobrem viscerum frigidam intemperiem in hydrope culpantes, eam fieri a ventriculi cruditatibus Majores autumabant; enim vero hydropem, nostris saltem regionibus, eos passim tentare contingit, qui, aut non congrue vescuntur, aut crapulis non pepercerint, aut fuerint incontinentes, aut ob fermentorum imbecillitatem cibos ingestos perquam ægre confecerunt.

Prognosis. Hydrops principio curatu non perdifficilis, tractu temporis insanabilis evadit, ut & ubi scirrho interiori, aliisque viscerum inveteratis affectionibus supervenerit. Respiratio, quo difficilius in hydrope ducitur, eo pejus. Pessima itidem indicia sunt sitis ardentissima, quæ expleri neutiquam possit, virium lapsus, urinæ perexiguæ, ac plurimo saturatæ rubore, non secus ac ulcera, quæ partes externas recens exederint. *Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta, difficile sanantur* (a). Quapropter, nisi hydrops, ulcus tum, quod persæpe gangræna partem affectam depascit, ægrum interficit. Ulcus nihilominus hydropem evicisse affirmat Dolæus.

Curatio. Nihil est, quod ad hydropem subducendam magis conduxisse observavimus, quam ea, quæ fermentorum facultatem dejectam leniter acuunt, quæque stomachum, & viscera roborant, obstructiones reserant, & humores crassos extenuant; hæc quippe coctiones adjuvant, urinas movent, & sudores item eliciunt. Aer imprimis temperatus sit, & ne cutis spiramenta stipet, calidus potius, quam frigidus. Victus sit tenuis, optimi succi, concoctu facilis. Vinum sit bene dilutum; quinimmo & quandoque, pluribus ex causis infra exponendis, plane interdicatur. Vini loco decoctiones, sive infusiones nonnihil aromaticæ propinentur. Commendamus igitur eas parare aqua chalybeata, ex infusione cinnamomi, ligni saxafras, anisorum &c.; quibus addere item poteris aut glycyrrhizam, aut passulas, & præsertim recentes. Alvus laxa potius, quam adstricta servetur. Opportune, quum id fieri possit, sese exerceat æger, aut ambulando, aut equitando &c. Venter, si opus sit blande solventibus concitetur. Optima sunt enemata, aut simplicia, aut etiam terebinthinata. Validiora cathartica omnino damnamus, utpote quæ & irritent nimis, & lympham tenujorem exprimant, cujus potissimum eo in statu indiget æger. Cæterum amaricantia, rhabarbarata, viperata, & reliqua ejusmodi, quæ, uti ante monuimus, organorum digestionis facultates in hydrope propemodum consopitas excitant, mirifice conferunt. Syrupus de terebinthina, decoctiones, & infusiones juniperinæ, the, item & caffe, de quibus verba jam fecimus, & alia ejusmodi, quæ urinam blande ciunt, humores crassos extenuant, expirationes movent, felicissime hydrope affectis fere semper præbuimus; tum potissimum, quum grana aliquot nitri depurati adjecimus. Conferunt etiam acidulæ, item & salmacidæ, nec non etiam martiales aquæ; quæ cum idoneo vehiculo abunde epotæ, alvum una, & urinas con-

(a) *Hipp. sect. 6. aph. 8.*

concitant. Aqua sola nuceriana tum intus hausta, tum foris per balneum adhibita hydropem inveteratam non semel extenuavimus. Commendamus fotus discutientes, balinea ex thermis præcipue, lutationes sulphuratas, & reliqua, de quibus, æque ac de paracentesi, deinceps fuse.

Historia I.

Quicquid, hydropi medendó, præstare consuevimus, historia declaramus.

CLitipho decem, & octo ætatis annos natus, adolescens Panormitanus, generis vetustate, ac avita Majorum gloria, suisque tum animi, tum corporis dotibus, unus omnium maxime in cœtu quodam Urbis eo tempore florens, mense Octobri febre maligna ter quasi confectus, tandem evasit. At pervicaci postmodum quartana ad annum, & ultra correptus, evanescente quartana, hydropicus intumuit; ex eo, ni fallor, quod subtilioribus lymphæ absumptis particulis, crassiores in tubulis concrescentes, lymphæ ductus infarxissent. Hinc tumor corporis universus, qui digitorum comprimentium vestigia ubique facile excipiens, aliquantulum retinebat, verum œdema præseferebat. Pulsus frequens erat. Urinas incoctas, rubicundas, ac perexiguas emittebat. Cum labore respirans, ac plurimum sitiens de præcordiorum æstu, sub vesperam potissimum plurimum exacerbato, conquerebatur. Nihilofecius viribus adhuc constans, intus vigere, tum incedendo, tum equitando, tum varias alias consuetas operationes quotidie exercendo ostendebat. Quocirca, quum alvus diu fuisset compressa, eam enemate ex aqua hordei plurimum salita prius indito, potione hac A solvente, statim concitavimus, ut *alterantibus* æger ex rhabarbaro, ita ut indicat B, tutius uti exinde potuisset; quæ, & alvo diebus singulis laxata, atque urinis leniter provocatis, effecerunt, ut dierum quindecim intervallo, multo melius in omnibus se haberet. Vini interim usum ei omnino interdiximus. Loco vini infusionem hanc C, ut pro lubitu potaret, constituimus. Victus perquam tenuis erat, concoctuque facilis, amaricans, roborans, & cinnamomo nonnihil medicatus. Chocolatæ, the, nec non etiam caffe, utpote quæ urinam movere soleant, decedente die ei copiam fecimus. At enim vero, ut hydrops plane tandem eximeretur, mense circiter per hanc methodum exacto, aquam tetutianam cum syrupo florum persicorum diebus alternis, quater ea, quæ in D sequitur, formula, optimo cum successu, Clitiphoni propinavimus.

A ℞. *Man. elect. unc. iii., sem. melon. unc. j., cinnam. opt. drach. ss., aq. comm. q. s. M. f. emuls. solv. s. a., & ad. acid. limon. q. s. ad grat. sap., cap. ut m.*

B ℞. *Rhab. elect., cinna. opt. ana scru. j., sal. tar. scrup. ss., aq. chalyb. unc. viij. M. f. inf. cin. cal. per hor. xij., & ad. fol. cichor., borrag., rad. frag., ruscor., gram. ana pug. j., decoqu. s. a., col., & adde mell. hispan. unc. ij., cap. quotid. in Auror. ut m.*

C ℞. *Sars. parill. opt. s. a. inc. unc. ss., lig. saxaf., glycyrrhiz. ana drach. ii., cinnam. opt. drach. j., aq. chalyb. lib. iv., M. f. inf., & mac. cin. cal. per hor. xij., levit. bull., col. pro usu ut m.*

D ℞. *Syr. flor. persic. unc. iv., aq. tetut. q. s. M. f. pot., & cap. in aur. Quum concitaverit alvum, superbib. per varias vices ejusdem aq. tetut. lib. ij.*

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare sitis hydropicorum expleri nequeat.

ACriter sitiunt hydrope affecti, eorumque sitis, confirmato præcipue, tametsi biberint, expleri vix unquam potuit. Ideo sitiunt, quia ob seri, limphæque inopiam sanguis jam exhaustus, aut fauces non amplius irrorat, aut salibus fusis eas lacessit, ac sitim excitat, quam proinde, plurimam quamvis aquam ingeras, non ex facili restingues; quum humidum illud paulo prius ingestum sanguini commisceri neutiquam potuerit. Quinimmo & ut primum ingeritur, ex lymphaticorum tubulis; aut laxatis, aut disruptis, in vasis sanguiferis vel non immoratur, vel sanguini intime neutiquam insunditur. Iccirco, tum quum hydrope laborantes ejusmodi sitis inexplebilis afflixerit, indicium evidens est, hydropem confirmatam esse, eamque fieri lymphæ ductibus non modo aut obstructis, aut compressis, verum etiam aut laceris, aut prætermodum laxatis.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Abusus exiccantium pro hydrope eximenda.

SUNT qui ad hydropem penitus eximendam, victu arido, eoque salito præscripto, ac potionibus omnino interdictis, aquam redundantem ea methodo prorsus exiccare, consumere, atque haurire opinantur. Hi plurimum ex nostra sententia errare videntur. Tumor œdematosus, serum videlicet, quod aut intus in tubulis, aut extra tubulos effusum hydropem facit, hydrope affectos ideo enecat, quia a sanguine secretum, sanguinem in vasis sanguiferis non amplius humectat; qui propterea concretus, ac pene dicam arefactus, sive saltem ex inopia uliginis balsaminæ acris factus, & prætermodum salsus, vellicat, stagnat, in grumos concrescit, ac tandem suffocat. Hinc eo in casu sero nimio, ut vulgo creditur, obrutus, quod extrinsecus revera agit, nequaquam decedit æger; verum ideo decedit, quia viscera intus arida, saltem magis intima, muneribus suis ad œconomiam animalem diutius conservandam obeundis imparia sunt. Ex quo inferre alienum haud existimamus, eos citius interire, qui a potulentis in hydrope sese prorsus abstineant.

Quid credamus de paracentesi ratione hydropis.

Id ferme de punctione per paracentesin credendum ducimus; quæ, aquam sive inter cutem, sive ex capacitatibus licet educat, effectum tamen potius, quam causam morbi minuendo, mortem ocius quamsæpissime accersit.

Vini abusus hydropem frequenter fecit.

Aquam inter Clinicos prohibentes nonnulli, ut meracum perbibant hydropicos, hortantur. Nos contra, aqua nisi plurimum diluatur, vinum iis neutiquam propinare consuevimus; nullum unquam ex abstemiis hactenus quippe vidimus, nostris saltem regionibus, hydrope tentatum. Oenopotas contra, ut & eos, qui aut spiritu vini, aut *rosoli*, aut id generis fortioribus aliis potionibus usi sunt, hydrope passim extinctos fuisse, abunde constat.

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit plethora, chachexia, cacochymia &c.

QUoties in corpore humano vivente intus in vasis præternaturam redundant humores, toties plethora laborare dicitur; qui, si optime sint constituti, & in debita proportione, *veram plethoram* faciunt, quæ *sanguinis* proprie dicitur. De hac plethoræ specie, de vera nimirum plethora, & de plethora sanguinis loquitur Hippocrates (a) *Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Quum vero non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur, ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim solvere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ, periculosum enim. Sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit. Sic & evacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ, & rursus refectiones, quum extremæ fuerint, periculosæ.* At quum vel pravi sint, vel citra debitam proportionem, tum alteram plethoræ procreant speciem, quæ proprie *cachexia* nuncupatur. Cachexia in *hydropem*, & *icteritiam* distinguitur. Dicitur hydrops, quum serum redundet, sive phlegma sanguinis, quod a sanguine secretum utplurimum, stagnando, œdema progenerat. Nuncupatur icterus, quum cachecticis colore quodam præternaturali suffunditur cutis; qui, quoniam varius esse solet, hinc præter flavum, de quo sermonem jam ante habuimus, variæ icteri extant species; nigra nimirum, quæ ex Hippocrate pessima est, viridis, cærulea, pallens, quæ in fœminis chlorosis nuncupatur &c. At enim vero, quia id cachexiæ genus, in qua cutis color immutatur, non tam a nimia quantitate, quam a prava fluidorum qualitate provenit, ideo fit, ut passim a Clinicis, *cacochymia* quoque nuncupata fuerit; etenim cacochymia nil aliud in foro Medico proprie denotat, præterquam *colluviem quamdam humorum pravam, quæ fluidorum temperiem intus in vasis turbat, evertitque*. Cacochymiam, prout aut hic, aut ille peccet humor, ad normam quatuor sanguinis humorum, in *sanguineam*, *pituitosam*, *biliarem*, *atrabiliarem*, sive *melancholicam* distinxerunt Majores. Hydrops, si per universum corpus effundatur, dicitur *universalis*, aut *perfecta*. Si vel hanc, vel illam, tantum detineat regionem, *particularis* appellatur, sive *imperfecta*. Quum caput solum hydrope intumescat, dicitur *hydrocephalus*, quum venter imus, *Ascites* &c.

(a) *Lib. 1. apb. 3.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit hydrops pectoris, aut pulmonum.

IN morbis diuturnis, quum magni sint, id frequenter evenit, ut antequam decedat æger, humores concreti viscera infarciant, ac retardato fluidorum motu serum ubique fundatur; quod si in pulmones confluat, ibique stagnet, aut in capacitatem thoracis effusum adeo cumuletur, ut laborem spirandi faciat, pulsum perturbet &c., id hydropis genus inducit, quod *pectoris* vulgo, *pulmonum* ab Hippocrate nuncupatur, quodque pessimum est, ac propterea lethale. Qui tali hydrope

pe tentantur lente febrire solent, acriter tussiunt; tussiendo nihil plerumque excernunt, cum labore respirant, crebro, præsertim dormitando, suffocari sibi videntur, sitis eos excruciat propemodum inexplebilis, eorum quandoque manus, item & pedes tumesiunt, minuuntur urinæ, & reliqua perquam molesta superveniunt symptomata. Febris, spirandi labor, tussis, & anxietas, noctu præcipue exacerbatur, quæ omnia graphice indicavit Hippocrates (a) *Si Hydrops in pulmone fiat, febris, & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedes tument, & ungues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is, qui suppuratus sit, sed debilius, ac diuturnius. Et si quid infundas, aut fomentum, aut suffitum adhibeas, pus non sequitur; atque ex hoc sane cognoveris non pus, sed aquam intus esse. Et si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebullit intrinsecus velut acetum: & hæc quidem aliquandiu patitur, postea erumpit ad alvum, & statim quidem sanus esse sibi videtur, ac a morbo liberatus. Verum progressu temporis alvus incenditur, eademque illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt ventre, scroto, ac facie. Et quidam ab inferna alvo id esse putant, quum videant ventrem magnum, & pedes tumentes. Intumescunt enim hæc, si sectionis tempus transgrediaris. Hunc siquidem extra intumuerit, inter costas sectum curare oportet. Si vero non intumuerit; multa calida lotum velut suppuratos collocato, & qua parte strepitum perceperis, ea secato, quam potes infimo loco; quo effluxio facilis contingat. Postquam secueris, linamento ex lino crudo indito, ita ut crassum, & acutum linamentum facias, & sanguinem paucissimum parce emittas. Et si quidem in linamento pus adhæserit quinta die plerumque evadit: sin minus; ubi aquam exhauseris, sitis corripit, & tussis, & moritur.* Diutina sectione cadaverum instructi, enarrata symptomata fieri passim quoque percepimus ob vesiculas pellucidas, lympha plurima ex pulmonibus intumescentes, quæ *hydatides* nuncupantur. Id generis hydrops insanabilis est, & sub finem alterius cujusque morbi diuturnioris jam deplorati, frequenter, ut ante jam monuimus, sese profert; ideoque pessimum omen facit, tum quum aliis ægritudinibus adjiciatur. Verum, ut quantum fieri possit symptomata in hydrope pulmonum leniantur, optima victus constituta ratione, ea, quæ pridem de hydrope in genere proposuimus, & hic adhibenda conveniunt.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit tympanitis, ejusque descriptio, & curatio.

QUUM intumescit corpus humanum vitam habens ob speciem quamdam flatus intus inclusi, qui cutem ita extendit, ut tympani militaris intensam membranam quodammodo æmuletur, tum id genus hydropis facit, qui aut *siccus*, aut *flatibus conflatus* dicitur. At, si talis hydrops ventrem inflet imum, proprie *tympanitis* nuncupatur. Unde affectionis ejusmodi descriptionem, & diagnosin habemus. Descriptionem: quum nihil aliud esse dicendum, quam cutem flatibus interceptis præternaturam intumescentem. Diagnosin: quum ita extentam, atque intumescentem cutem, extrinsecus si percusseris,

(a) *Lib. 2. de Morbis num. 59.*

tympani propemodum sonum edet ad instar; si compresseris, digitorum vel minimum haud excipiens vestigia, illico resiliet. Quo pacto autem flatus in tubulis, sive in affectis recessibus, ut præfatam hydropem siccam procreet, concitetur, id paucis non ex facili, nec ipse exponere, nec tu excipere poteris. Multi multa, verum non cohærentia, protulerunt. Id dumtaxat observationibus innixi percipimus olim, ut vel nervis punctis, vel diaphragmate vulnerato, aut intestinis vulnere, sive ulcere læsis, tympanitis extiterit. Evidens indicium, eam, nisi proxime, remote saltem, a convulsionibus exoriri. Qua de re, ut morbi radices in tympanitide subducantur, convulsionibus interioribus prospicere peropportunum censemus. Hinc tum intus, tum foris oleosa conveniunt, eaque omnia, de quibus ad convulsiones eximendas fuse in superioribus egimus. Item & blande narcotica conveniunt, quæ, uti ante monuimus, convulsiones solvunt, sistuntque. Cæterum plurimum semper habet periculi hydrops a flatibus concitatus, & perquam difficile cedit. Non semel a veneno, aut intus ingenito, aut propinato, aut per morsum veneficum inflictum indito, inducitur. Quo in casu fortasse, & facilius discutitur, & longe minus habet periculi. Enim vero id tympanitidis genus balneis ex oleo, quod insimul & faucibus large ingessimus, non semel extenuavimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit atrophia.

UT succus partibus alendis idoneus, qui in tubulis exuberat, plethoram facit, ita & qui deficit, *maciem*, *tabem*, *contabescentiam*, *vel atrophiam* inducit: quæ nomina, eoquod synonima sint, nonnisi *nutritionis defectum* sonare consueverunt, idest *corporis universi vitam habentis exiccationem*, *maciem*, *aut extabescentiam*, *ob nutritionis defectum*, *cuius causa membra prætermodum macrescunt*. Triplici ex fonte genuina atrophiæ causa haurienda est; fieri quippe potest: primo, ut tubulis obstructis, & præsertim mesenterii, chylus ad partes alendas ulterius provehi nequeat: secundo, ut humores acrimoniam sibi nacti, partes solidas, adiposas præsertim, & carnosas erodendo, fundendoque consumant, atque extenuent: tertio, ut nimium sanguinis adaucta fermentatio, nimium calorem excitet, qui fundat quoque, & liquet. Hinc febres ardentes, quum diuturniores sint, atrophiam brevi procreant. Inveterata perquam difficile evincitur. In paralysi, item & in hectica, multoque magis in vera phthisi, pessima. Quum tumoribus, ulceribusque, interioribus præsertim, supervenerit, vel quum eam sive præcesserint, sive comitentur, sive insequantur urinæ, & sudores, qui *liquantes* dicuntur, lethalis. Ubi a vermibus, pediculis, acharis, crinonibus, sive comedonibus, in infantibus præcipue, producatur, facilius discutitur. Atrophia per ea, modo id fieri possit, plane destruitur, quæ hecticæ febri, & phthi-

Digitized by Google

phthisi destruendæ in præcedentibus proposuimus. At præ cæteris, viscerum obstructionibus, si adsint, antea reclusis, balinea conveniunt; & lac, quo solo ad menses pro victu quotidiano propinato, atrophiam vel in adultis quandoque pervicacissimam extenuavimus.

CAPUT II.

De Podagra.

Descriptio. ARthritis, & podagra, quoniam quasi synonima sunt, vel ad summum nisi ut genus, & species differunt, unum idemque passim sonare consueverunt; *dolorem* nimirum significant *articulis*, *partibusque finitimis pertinaciter inhærentem ab humore quodam acri*, *qui nervorum stamina in articulis*, *præsertim pungit*, *elicitum*. Quum articulos universos corripit, perque eos evagatur, proprie dicitur *arthritis*, *vaga* tamen, & *universalis*. Quum aut hos, aut illos invadit, *fixa*, sive *particularis* nuncupatur, quæ propterea in *chiragram*, *gonagram*, *ischiadem*, & *podagram proprie dictam* iterum distinguitur. Chiragra dicitur, quæ manus corripit; quæ genua, gonagra; quæ articulos, aut coxendicis, aut in proximo afficit, ischiades vocatur; quæ pedes, podagra.

Diagnosis. Arthritis, quæ actu invadit, num revera arthritis sit, & cujus generis sit, tum a qualitate doloris, tum a parte, quæ afficitur, facile dignoscitur. Eam autem imminere, indicat torpor quidam, qui in parte, quæ paulo post arthritide invaditur, præcedere solet. Torpori mox sensus adjicitur articulis infestus, ardor acris, & tumor levis, qui febre nonnumquam accedente ephemera, rubore suffunditur. Hæc quippe omnia arthritidis imminentis indicia sunt; quinimmo & præsertim si vere, & autumno fiant, ipsius arthritidis esse solent exordium, juxta illud Hippocratis (a) *Dolores podagricæ*, *vere*, & *autumno magna ex parte moventur*.

Causa. Quicquid de arthritide protulerint alii, eam vitio fieri opinamur ichoris præsertim illius, qui inter articulos ex glandulis ligamentorum minimis exudat, quemque *synoviam* de ossibus agentes appellavimus. Is nempe stagnans, atque acris factus periosteum acriter pungit, item & membranas finitimas; quæ proinde lacessitæ dolorem excitant perquam molestum, & tubulorum obstructiones faciunt. Nil mirum igitur, si pars utplurimum intumescat affecta, si intus calefiat, & foris crebro inflammetur.

Prognosis. Quod ad prognosim attinet, arthritidis eventus est valde incertus, nec omnes æque affligit, & invadit. Sanguis, qui ex hæmorroidibus sponte profluxit, paroxysmum non raro discussit. Contumacior esse solet, magisque frequens cachecticis, scorbuticis, ac lue venerea affectis. Quum partes supernas corripiat, thoracem videlicet, cervicem, & caput, neutiquam est spernenda; apoplexiam quippe, ac pectoris inflammationem interdum accersivit. Quum pars affecta intumescit, sive in varices extuberat, paroxysmum id brevi solutum iri declarat, item quum urinæ crassioris, vel aquosæ copia egeratur; quæ paroxysmum utplurimum extenuat.

Curatio. Arthritis, & podagra præcipue leniri facile potest, subduci perquam difficile. Optima præsertim victus ratione lenitur, qui tenuis

(a) *Sect. 6. apb. 55.*

esse debet, humectans, concoctuque facilis. Vini, item & carnium abusus plurimum semper nocuit. Enim vero, qui ad annum integrum vino sese prorsus abstinuit, ac lacte solo pro cibo quotidiano, eoque parce usus fuit, podagram plane, si Scriptoribus credendum, discussit. Corporis diutina exercitatio ad arthritidem solvendam, eamque amovendam, apprime juvat. Alvus sit libera, nec Veneri indulgeatur. *Puer podagra non laborat ante usum venereorum* (a) Plethoricis, iisque præcipue, quibus consuetæ sanguinis excretiones de more haud fluxerint, opportune vena solvatur. Hæc tum extra paroxysmum, tum in ipso paroxysmo serventur. In paroxysmo a topicis caveto, ab iis maxime, quibus repercutiendi vis adscribitur; ea namque maximam pene semper noxam, quinimmo & necem non semel intulisse vidimus. Purgantia quoque, fortiora imprimis, omnino vitentur, quæ ab articulis affectis humores pravos non raro subduxerunt; qui proinde intus aut per venas, aut per alios adhuc occultos meatus retrocedentes, pervicacissimum asthma, aut pleuritidem, aut colicam, aut etiam apoplexiam frequentissime pepererunt. Idem quoque de sanguinis missione credendum ducimus, qui, nonnisi viscerum inflammatio ex arthritide retrocedente immineat, unquam educatur.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Unde proveniant nodi tophacei in podagra affectis.

DUO præ cæteris in arthritide observamus: articulos nempe arthritide diu affectos in nodos quamsæpissime concrescere; & lithiasin ei utplurimum consanguineam fieri. Ex quo concludendum videtur, humores peccantes eosdem propemodum esse, qui & nodos, sive tophos in articulis, & calculos in renibus compingunt. Humor autem, unde in articulis nodi tophacei concrescunt, ex nostra sententia, nihil aliud est, quam ea uligo, aut synovia, quæ, ut ante monuimus, ex minimis insudans glandulis ossa extrema, ligamenta, tendines, cartilagines, & membranas in proximo irrorat; quæque, quum stagnet, nil mirum si fermentationis ope effervescat, atque tenujoribus, ac volatilioribus absumptis particulis, in tophos congeratur; quo in casu *nodosa* dicitur arthritis, vel *tophacea*, quæ pessima est, deque ea proprie cecinit Ovidius.

Solvere nodosam nescit Medicina podagram.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare caput femoris in podagra affectis quandoque luxetur, & quicquid præstiterit ustio in parte affecta.

Quibuscumque a coxendicum dolore molestatis diuturno, excidit coxa, iis crus tabescit, & claudicant, si non urantur (b). Ideo excidit eo in casu ex acetabulo femoris caput, quia prædicta uligo in acetabuli cavo sensim cumulata, adeo concrevit, ut femur demum extruxerit, & luxationem fecerit. Uliginem eam in aphorismo præcedenti mucorem, ni fallor, appellare consuevit idem Hippocrates (c) *Quibuscumque a longo coxendicum dolore molestatis cavitate sua excidit coxa, & rursus recidit, iis mucores superveniunt*. Quod autem ex acetabulo elapsum, excarne crus evadat, & con-

(a) *Hipp. sect. 6. aph. 30.* (b) *Hipp. lib. 6. aph. 60.* (c) *Sect. 6. aph. 58.*

& contabescat, id sane provenit, quoniam, femore luxato, ligamenta, & musculi prætermodum distrahuntur. Hinc libero, ac consueto per tubulos distractos fluidorum motu præpedito, necesse est, ut pars luxata, nisi mature reponatur, macrescat; eoque magis, quia crus potissimum sanguiferorum ramos, item, & nervos præ cœteris partibus majores habet, & a corde plurimum distat. Quid autem tum præstare valeat ustio, non ex facili enucleabis. Non est tamen, quod ratione ustionis in podagra, non velim confiteri quicquid delabentibus hisce posterioribus annis in Nosocomio Regiæ domus S. Jacobi Hispanorum Urbis successit. Multos ab illinc annos podagra vehementissime torquebatur Sacerdos ejusdem Nationis abunde notus. Ejus ætas quinquaginta circiter tum erat annorum. Staturæ non proceræ, habitus subpinguis. Is atrocitate doloris jam pene confectus, nos obnixe precabatur, ut ei permitteremus, ut inustionem per modum fonticuli in pedibus dolore affectis, tamquam arcanum ab alio Sacerdote Hispano sibi propositum, experiretur. Ejus demum importunitate id cum venia optimi illius viri dictum sit: ejus, inquam, demum importunitate victi tandem aliquando indulsimus; ac alvo propterea leniter prius extersa, ut fonticulus in utroque pede, in dorso videlicet, inter pollicem, & indicem nimirum, ei aperiretur, iniquo potius, quam æquo sivimus animo. Non multum post saniem, ut moris est, excernere cœpit, inde optime convaluit, nec ad hoc tempus podagra, ea licet bis, ter, & quater pessime in anno conflictari consuevisset, tentatus unquam est. Vegetus modo, ac bene valens Romæ adhuc vivit, facile, ac prospere incedit. Quicquid imposterum futurum sit, videndum erit. Audio autem, & aliis ab eodem Sacerdote podagram non aliter discussam fuisse; num vero id præsidii generis constans, ac tutum habendum sit, nondum decernere datum nobis est. Dicimus tantum, illud nec fuisse admodum atrox, nec incommodi multum attulisse; quippe, postquam cicatricem induxerit, Sacerdos præfatus libere, ut antea, uti diximus, & incessit, & adhuc incedit. Quamobrem, etiamsi podagram ut eo præsidio sibi curaret, nemini modo suaderem, nihilominus, si ob podagram, aut temere compressam, aut ad articulos de more non profluentem, vel capitis, vel thoracis, vel abdominis viscera graviter afficerentur, fonticulis pedibus admotis humores pravos a partibus nobilioribus avertere, observationi confisus, utique studerem. Fonticulus, nonnisi diebus sexaginta circiter exactis haud occludi solet. In doloribus coxendicis, qui vulgo di *Sciatica* dicuntur, partem affectam ad os usque inurere, & alias iterum, iterumque vidimus, ac hactenus semper improspere.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Mulier podagra laborat licet menses non defecerint. Improbatur usus aquæ frigidæ pro podagra eximenda.

Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint, ex eodem Hippocrate (a), & alibi: *Articulorum tumores atque dolores absque ulcere, & podagricos quoque, atque convulsa, horum plurima frigida aqua large effusa levat, & ex-*

Pascoli Oper. Med.

(a) *Sect. 6. aph. 29.*

& extenuat, solvitque dolorem; nam modicus torpor dolorem solvit (a). Quod ad primam Hippocratis attinet sententiam, eam interdum veritati non cohærere percepimus; & postremo inclitam tum nobilitate, tum divitiis, tum moribus Mulierem podagra extra Urbem extinctam vidimus; quæ arthritide, menses licet optime semper fluxissent, ab ineunte ætate nihilo secius mirum in modum vexabatur. Quod ad alteram spectat, aquam frigidam & in podagra, eoquod levem inferat stuporem, ut optime docet Hippocrates, doloribus coercendis, sedandis, solvendis, discutiendisque, articulis affectis large effusam apprime conducere certum est. At enim vero quot hactenus vidimus arthritide laborantes ea methodo tractatos, tot quoque vidimus aut apoplecticos, aut pleuriticos, aut asthmaticos, aut hydrope pectoris, aut colica, vel affectione iliaca correptos, propediem decessisse. Iccirco alieno edocti exemplo, ubi arthritis, quod Deus avertat, nos unquam tentet, id præsidii genus, nolimus utique experiri.

CAPUT III.

De Lue Venerea.

Definitio. LUem Veneream, si rem proprius perscrutabere, nihil aliud profecto esse conjicies, quam *variorum symptomatum congeriem, quæ in corpore humano vitam habente, permoleste licet, enormiter tamen, procul videlicet ab omni lege, ac periodo, variis temporibus suscitatur, ob labem quamdam ex concubitu impuro intus contractam, quæ universas fere organorum facultates, modo magis, modo minus lædit*. Dicitur item *gallica*; sive *celtica* a Gallis, quos, ut vel lippis, & tonsoribus ad nauseam jam innotuit, trans Alpes in Italiam ad Neapolim oppugnandam profectos, ea labes plurimum infecerat.

Diagnosis. Talis affectio sub admodum vario aspectu invadere solet, & personata clanculum non raro suas intus molitur insidias; quinimmo & nulla propemodum, cujus vices celtica lues gerere nequiverit, extitit ægritudo; tametsi gonorrhœa, bubonibus, ad inguina potissimum, & doloribus per articulos evagantibus, frequentius hactenus corripuerit.

Causa. Labes celtica, ideo, ex nostra sententia, per impurum concubitum contrahitur, quia virus quoddam in pudendis jam infectis pridem occultum mutuo affrictu incalescit, extenuatur, exaltatur, atque, ab uno in alterum effusum, interiora subit, humores coinquinat universos, eosque intime fœdat, corrumpit, evertit; qui partim concrescentes, sese, partim fundentes, & partim effervescentes, stagnant, acriores evadunt, nervos pungunt, membranas mordicant, meatus lacerant &c. Hinc tumores, abscessus, ulcera, spasmus, dolores, & reliqua prope innumera atrocissima incommoda, quibus ejusmodi labe infecti, diu, noctuque irrequieti, & quamsæpissime lacessiti varie torquentur.

Prognosis. Eventus in hac lue est admodum incertus. In corporibus sanis, nec nondum adultis facilius ea labes curatur, quam in senibus, & non bene valentibus. Quo altiores egerit radices, eo difficilius avellitur. Si raucedinem, maciem, tussim siccam, spirandique laborem intulerit,

(a) *Sect. 5. aph. 25.*

lerit, si recidiva fuerit, eam non ex facili evinces. Ubi apoplexiam, paralysin, vel febrem fecerit, aut ex coagulo, aut ex solutione malignam lethalis.

Curatio. Triplicis generis ad labem celticam delendam magis idonea præ cæteris videntur præsidia: mercurialia nimirum, sarsa parilla, & hypocausta, sive vaporaria. Mercurialia tum intus, tum foris adhibentur, ut postmodum dicendum. Ex sarsa parilla decoctiones, & infusiones variæ parantur. Sunt qui eam in pollinem redactam propinare item consueverunt. Per hypocausta, sive humida, sive sicca sint, sudor ope caloris exterioris elicitur. In quibus omnibus id potissimum caveto, ut victus ratio solertissime servetur; qui tenuis esse debet, humectans in gracilioribus, adustis, & plethoricis, exiccans potius in cachecticis. Debet insuper esse optimi succi, coctuque facilis. Vinum, ut nos docuit experientia, noxam semper intulit. Quum sitiat æger, aquæ copia fiat, & præsertim sarsæ parillæ, & glycyrrhyzæ, nec non etiam communis quandoque, ad viscerum æstus, plurimo præsertim sudore in vaporariis egesto, compescendos. Num sanguinis missio lue celtica affectis conveniat, necne, id porro exagitatur. Eam plerisque prorsus improbare placuit. Plethoricis, item & iis, quibus viscerum inflammationem imminentem fore cognovimus, optimo cum successu, & in Nosocomiis, & extra, etiamsi actu flueret gonorrhœa, sanguinem tuto eduximus.

Historia II.

Quid in Lue celtica curanda præstitimus, historia declaramus.

AGathocles, vir non ignobili quidam genere natus, divitiis utique non minus, quam vitiis affluens, quintum, & vigesimum nondum ætatis exegerat annum, quum nec Cereri, nec Baccho, nec Veneri quidem multo ab illinc tempore unquam pepercerat. Statura procera, habitu gracili, temperamento calido, & sicco, ac prope igneo præditus erat. Ex impuro concubitu mense Januario gonorrhœam virulentam contraxerat, quam ad menses plures plane neglexerat. Atrocissimis inde doloribus per articulos sub vesperam, usque ad mane diebus singulis correptus febrire cœpit. Febris principio vix percipiebatur, ac lente incedebat; mox una cum dolore capitis gravissimo plurimum exacerbata, ardens tandem evasit. Ad dies tres, articulorum doloribus nonnihil sedatis, exarsit. Extinguitur tandem, & tum, ut quum maxime dolores recrudescunt. In calvaria tumor ex ipsa quasi cranii substantia durissimus, veluti gummis, extuberat. Comprimitur gonorrhœa, & quasi exiccatur. Intumescunt inguina, ac testes inflati acriter pruriunt. Eo in statu nos consuluit Agathocles, quem, ut lue celtica turpiter fœdatum cognovimus, alvo cassia recenti, ita ut indicat A, in bolos compacta blande extersa, humores coinquinatos infusione ex sarsa parilla, ita, ut legitur in B, extracta, per dies quindecim, defœcare cœpimus. Exinde, quoniam a febre immunis omnino evaserat, ad mercurium dulcem, ita, ut in C paratum, per dies triginta circiter intus sumendum, devenimus. Vi-

ctus interim tenuis erat. Modico tantum pane triticeo in jure vitulino elixato vescebatur, cum recenti ovorum vitello, & drachmis aliquot passularum majorum recentium, quas cum modico pane triticeo bis cocto tum ad prandium, tum ad cœnam comedebat. Caro, pro jure conficiendo, in decoctione sarsæ parillæ elixabatur. A vino sese prorsus abstinens, decoctione ex sarsa parilla, & glycyrrhiza, ut legitur in D, parata, pro potu quotidie utebatur. Decima quaque die, ad alvi sordes eluendas, eosdem, ut antea, ex cassia bolos deglutire consuevit. Ab usu mercurii diebus octo circiter exactis, noctu inter dormiendum sudare uberrime cœpit, atque urinas inde exuberantes emittere. Prioribus diebus, tum, quum sudor, atque urina erumpebat, articulorum, calvariæ, ac testium dolores, ut quum maxime exasperabantur. At sensim subinde decrescentes, antequam quadragesimam diem attigissent, omnino evanuerunt. Evanuit insuper calvariæ, inguinum, ac testium tumor. Plane curata est gonorrhœa; nec aliud deinceps sensit incommodum Agathocles, quam sitim, qua vexabatur inexplebili, ac intensissimo viscerum ardore; quibus balineis aquæ dulcis, & aqua nucerina large epota prospeximus. Et quandoquidem, tum ex transactis erroribus, tum ex labe contracta, tum ex præsidiis medicis, opportune licet adhibitis, macies corporis universa supererat, hanc sero primum, mox lacte, quod ita, ut legitur in E, medicatum ad mensem, & ultra ingessit abstemius, prorsus extenuavimus.

A ℞. *Cas. rec. extr. drach. vj., cremor. tart. drach. ij., sem. cit. mund. drach. j. M. f. b., & cap. ut m.*

B ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis. drach. ij., cinnam. opt. scrup. ss., aq. comm. q. s. M. f. inf., & mac. s. a. cin. calid. per hor. xii. circiter, & adde fol. malv., violar., rad. altheæ ana pug. j., decoq. s. a. col., & adde syr. de altheæ Fernelii unc. i., cap. quotidie pro syrup. in aur. ut m. Post dies sex loco syrup. de alth. Fernel. substituatur syrup. de terebinthina ad usum Malpighii parati.*

C ℞. *Mercur. dulc. gr. vii., oculor. cancr. præp. scrup. j., syr. viol. viol. q. s. M. f. b., & cap. quotidie in aur. statim post syrupum præcedentem, ut m.*

D ℞. *Sars. paril. opt. s. a. incis. drach. j., glycyrrhiz. contus. drach. ii., cinnam. opt. scrup. i., aq. comm. lib. iv. M. f. inf., & mac. s. a. per hor. xii., leniter bull., col. pro potu quotidiano, ut m.*

E ℞. *Rad. opt. chin. s. a. incis. drach. i., cinnam. opt. scrup. ss., aq. comm. unc. iv. M. f. inf., & mac. s. a. cin. cal. per hor. xii., bull. exinde lento igne carbonum, quoad aquæ unciæ duæ absumantur, col., f. fort. expres., & adde margar. præp. drach. j., lact. capr. recen. lib. ss., cap. quotidie in Aur. ut m. Lactis dosis sensim in dies augeatur, ad uncias octo, decem, & ultra.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit sarsa parilla, ejusque usus.

SArsa parilla de genere styrpium exoticarum est. Ex nova Hispania, ex Provincia potissimum Peruviana ad nos advecta, effecit, ut smilax aspera Peruviana quoque dicatur, ob figuram exteriorem, qua

qua smilacem nostram æmulatur. Num tamen aut jure, aut injuria sarsæ parillæ succedanea smilax aspera censeatur, adhuc sane ambigimus. Quo recentior est, eo melior. Insusione, maceratione, ac decoctione facultas ejus extrahitur. In pulverem quoque extenuata per modum sive conditi, sive confectionis, sive in rotulis, sive in bolis, sive alio quovis pacto in substantia commode propinari potest. Sudorem, urinam, necnon etiam quandoque salivationem, dosi præscripta idonea blande movet; quapropter eam nonnihil calefacere inferre possumus. Ad luem celticam subducendam mirifice agit. Cachecticis item optima est, atque hydropicis. Febres tum chronicas, tum etiam acutas, experientia teste, in Nosocomiis non semel extinxit. Pleuritidem quandoque ejus levis tinctura, insusione potissimum florum papaverum rhœados medicata, citissime discussit. Erysipelata exteriora, & ulcera inveterata, decoctione sarsæ parillæ tepenti pluries abluta, & sota, brevi cessisse vidimus. Sarsæ parillæ abusus ventriculi facultates enervat, corpus emaciat, sanguinis prosusiones uberrimas movet. Quamobrem eam plurimum semper nocuisse observavimus hæmopticis, iisque omnibus, qui sanguinis hæmorrhagias nimium pati consueverunt. Quæ res efficit, ut in plethoricis ad usum sarsæ parillæ, nonnisi sanguine prius bis, ter, & quater etiam imminuto, unquam sane confugiamus. Effectus suos tum sola, tum una cum rebus, quæ vocantur *antiscorbuticæ*, tum cum carne viperina, tum etiam cum sero, & lacte, ubi hæc item convenerint, mirifice præstat, ut postmodum dicendum. Decoctionibus prædictæ sarsæ parillæ addere solent nonnulli lignum sanctum, sandalos, saxafras, pumicem, antimonium crudum, & reliqua ejusmodi; quæ tametsi improbare noluimus, eam nihilominus solam mirum in modum, & melius adhuc egisse, ex usu diutino non raro percepimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit mercurius, ejusque usus.

DE Mercurio, vulgo *argento vivo*, hic prolixe historiam exarare, quum & alii suse id pridem fecerint, inutile prorsus videtur. Inter Recentiores, si de eo fossile quispiam satis non minus, quam præcise instrui velit, Ettmullerum præ cæteris, & Lemery adeat. Particulis plane rotundis, valde compactis, ubique levigatis, optime tersis, ac proinde admodum mobilibus, ex effectibus, quos in rerum natura præstare consuevit, congregari autumarem. Hinc profecto a densitate globulorum, ejus maxima gravitas, a levigata rotunditate, ejus tanta mobilitas. Nil mirum igitur, si solus nequaquam concrescat, si undequaque celerrime effundatur, & si per ignem, qui moleculas illius valide impellit, facile dissipetur. Ignis enim, qui eas iterum, iterumque dividit, infringitque, ac in alios minimos redigit globulos, eam fortasse iis demum comparat molem, tenuitatem, atque naturam, quam, in Tractatu de Motu, materiæ secundi generis propemodum adscripsimus. Mercurius in morbis tum foris, tum intus adhibetur, tum crudus, tum digestus, & arte para-

paratus. Foris ad luem celticam radicitus eximendam per modum inunctionis apprime conducit, nervos quamvis plurimum lædat. Ptyalismum, ac Diabetem interdum pervicacissimam movet. Os, linguam, fauces, atque œsophagum, non sine vitæ discrimine, interdum exulcerat. In volvulo crudus ingeritur; ea tamen quantitate, ut quamcitissime per alvum egeratur. Secus enim inter plicas ventriculi, aut intestinorum diu delitescens, periculum est, ne sublimetur, & viscera acriter torqueat. Mercurius, qui dicitur dulcis, quum optime paretur, tutius propinari potest. Ejus dosis est a granis sex, ad decem, duodecim, & ultra per dies decem, quindecim, triginta, & quadraginta. Luem celticam funditus destruit, vermes enecat, scabiem sanat &c. At enim vero, mercurio ne quispiam utatur, nisi alvo prius extersa, & humoribus rite præparatis. Ceratum de ranis cum mercurio tophis venereis, qui vulgo *gummata* vocantur, admotum, eos discutit &c. Aurum, & præsertim foleaceum per dies aliquot quotidie deglutitum, ea omnia incommoda, quæ aut usus, aut abusus mercurii adversus œconomiam animalem peperit, adimere, ut in superioribus fuse diximus, felicissime valuit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

De usu hypocausti, ratione sudoris eliciendi, ad luem celticam eximendam quid credamus.

IN Hypocaustis, vaporariis, & tepidariis, ope caloris sive sicci, sive humidi, &, ut ita dicam, vaporosi, ex corporibus lue celtica infectis sudor elicitur, atque una cum sudore morbida proluvies eximitur. Id præsidii genus valide profecto agit. Verum enim vero corporibus adustis, gracilioribus, in phthisin declinantibus, asthmaticis, iisque omnibus, qui aut sanguinis excretionibus sunt frequenter obnoxii, aut pectore laborant, plurimum semper nocuit. Cavendum est insuper, ne sudor, humoribus nisi prius optime præparatis, digestis, atque subactis, unquam moveatur. Tum sudore imminente, tum etiam, quum adhuc profluit, & post item quam profluxerit, aquæ vel simplicis, vel hordei, vel passularum, vel sarsæ parillæ, vel glycyrrhizæ copiam facimus; quo & humores pravos diluimus, & sudorem facilius provocamus, & viscera per sudorem emissum exhausta, iterum opportune humectare curamus. Quinimmo & diebus aliquot, postquam ab hypocausto egressus est æger, exactis, si aut sitis supersit, aut viscerum æstus, aut spirandi labor, balinea aquæ dulcis optimo cum successu adhibere consuevimus; necnon etiam aquam dulcem, adeo large, ut per urinam brevi egeratur, potandam, mox serum lactis, & postremo lac idem non improspere præscripsimus. Sudor, qui ope caloris sicci in hypocaustis elicitur, vires equidem, ut non semel observavimus, minus extenuat, & ægrotum minus defatigat, quam, qui aut balneis tepentibus, aut vaporibus educitur. Id, ni fallor, quia vapores, qui cutis spiramenta ingrediuntur, aut nervorum fibras laxant, aut spiritus solvunt nimis, & dissipant. Qui luem celticam usu aut sarsæ parillæ, aut mercurii, aut hypocausti sibi subripuit, ad menses saltem aliquot parce victitent, & a fructibus præcipue caveat recentibus, qui faci-

facile fermentescunt, & putrefiunt; quorum esus eamdem quasi, uti prius, humoribus labem sæpenumero accersivit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sint tophi, qui vulgo gummata gallica vocantur.

EX lue celtica pridem contracta, inveterataque, præter alios, qui ex mollioribus partibus molliores consurgunt tumores, tophi etiam enascuntur, qui duriores sunt, & veluti ex ligamentis, cartilaginibus, & præsertim ex ossibus frequentius extuberant. Ejusmodi tophi, qui celticæ luis germina sunt, *gummata gallica* vulgo nuncupantur. Ex calvaria, & costis, non procul a sterno, necnon etiam ex tibiis utplurimum excrescunt. Nihil aliud sunt, ut opinor, præterquam mucilago quædam ex minimis ossium fibrillis labe celtica exesis insudans, quæ sensim ibi coacervatur, concrescit, atque induratur. Tumores istos, etiamsi inveteratos, brevi solutos quamsæpissime vidimus, per usum non modo aut mercurii, aut hypocausti; verum etiam simplicis sarsæ parillæ, quam nos per dies quadraginta aut decoctam, aut insusam, victu tenui, humidoque, vino penitus interdicto, hisce in casibus propinavimus. Victum quippe exiccantem, plethoricis præcipue, gracilioribus, atque adustis, qui *antivenereis* utuntur, perniciem maximam moliri semper hactenus observavimus. Dolorem intensissimum tophi ex lue celtica congesti, quum funduntur, quandoque inferunt, ossium substantiam exedunt, eamque in cariem vertunt, atque ulcera, quæ *cum carie* dicuntur, procreant; quæque, os infectum nisi plane eximatur, sanari nequeunt.

CAPUT IV.

De *Scorbuto*.

Definitio.

AFfectionem sane pessimam, atrocissimamque, & contagiosam, quam Recentiores *scorbuticam* appellant, quamque ab exteris Nationibus ad nostras non ita pridem transvectam quispiam credidit, his plane verbis graphice tradidit olim Hippocrates, penes quem, sub nomine quoque *magni lienis*, & *ilei hæmatitis* venit. *In hoc*, inquit Senex, (a) *morbo contingit, ut ex ore maleoleant, a dentibus etiam gingivæ recedant, & a naribus fluat sanguis, aliquando ex cruribus pullulant ulcera; & alia sanescant, & alia emergant, & cutis extenuata nigrescat*. Scorbutus dicitur a ditione quadam, qua *oris erosionem* indicant Dani: symptoma nempe, quod ejusmodi affectionem aut anteire, aut comitari, aut subsequi solet. Verumtamen, ut eam ægritudinem luculentius describamus, dicendum ducimus *congeriem esse symptomatum, quæ varie torquent organa corporis humani vitam habentis, tum intus, tum foris, sanguinis, aliorumque succorum vitio, qui utpote tenaces, atque erodentes, meatus obstruunt, nervos pungunt, tubulos lacerant &c.* Ex quibus patet, affectionem scorbuticam maximam cum lue venerea affinitatem habere, humorum licet pravitas adhuc major in scorbuto videatur; in quo aquæ ad instar fortis erodentes, pluribus in locis solidarum partium compagem solvunt, conterunt, macerant, & destruunt.

Diagnosis.

Affectionis scorbuticæ signa admodum varia sunt; nam, non secus ac lues celtica, ipsa quoque

(a) *Hipp. lib. de intern. affect. n.* 34.

que sub specie varia larvata incedit, atque mentito aspectu non semel imponit. At enim vero ventris superioris membranas, & præcipue interiores fere semper torquet. Hinc scorbuticis frequens est capitis dolor, gravedo, vertigo, membrorum vaga convulsio, paralysis &c. Nigricant iis insuper dentes, intumescunt gingivæ, a radicibus recedunt, exeduntur, conteruntur, sanguinem fundunt, necnon etiam quandoque saniem, ex quibus ulcera graveolentia extant, & saliva non raro exuberat. Ulterius accedunt tussis quandoque crebra, tormina, cardialgia, hypochondriorum tensiones &c. Adeo interdum vires solvuntur, ut præ lassitudine stare vix possit æger. Cutis acriter modo prurit, modo incenditur, modo livescens exulceratur: quæ omnia maximam humoribus pravitatem inesse abunde prædicant.

Causa. Quamobrem unde scorbutus oriatur, satis superque innotescit, quum prædicta symptomata humores universos coinquinatos, fædatos, ac plane corruptos esse commonstrent: idque, ni fallor, ob pravam potissimum alimentorum digestionem, ex quibus chylus pravæ indolis eductus, hypochondria primum afficit, nervorumque plexus imi ventris, atque ex consortio cerebri quoque membranas: mox sanguinem fœdat, ac reliquos omnes per sanguinem humores, qui partim proinde concrescentes stagnant, immutantur, & effervescunt, partim acriores facti membranas vellicant, nervos pungunt, ac tubulos lacerant.

Prognosis. De chronicorum genere affectio scorbutica habenda est. Principio curatu facilis. Temporis processu perquam difficilis. In tabem, atrophiam, paralysin, apoplexiam persæpe cessit. Dysenteriam lethalem non raro fecit; ac, nisi mature solvatur, lenta, ac cruda morte, interimit.

Curatio. Mercurialibus, atque hypocaustis exceptis, quæ scorbuticis plurimum officiunt, ea omnia, quæ ad eluendam celticam proluviem, jam ante innuimus, & hic commendamus. Vitentur oleosa, ac pinguia, item saccharata, & mellita, quæ digestionis fermenta obruunt, viscerum facultates retundunt, tubulos infarciunt, ac id propterea suppeditant, quod affectionem fovet. Vinum nocet. Vini loco decoctiones conveniunt, atque infusiones sarsæ parillæ, radicis chinæ, ligni saxafras, aloes cum modico cinnamomo, corticum citri, aurantiorum &c. Decoctio corticum juniperi ad usum the quotidie epota affectionem hanc sola quandoque discussit; quam tamen effectum suum efficacius præstitisse conjecimus, ubi succi ex foliis cochleariæ recens expressi unciam unam, aut duas in adultis adjecimus. Carnes, & præ cæteris glutinosæ, pingues, fumo exiccatæ, salitæque, plane interdicantur. Cæterum alvo leniter eluta, aut rhabarbaro sero lactis infuso, aut pulpa tamarindorum in jure soluta, aut Diatartaro Petri Castelli, aut electuario lenitivo, hisque similibus, ad ea, quæ vulgo *antiscorbutica* præsidia vocitantur, quæque sali quodam acri, blande volatiliori scatent, confugere oportet. Inter hæc primum obtinent locum folia cochleariæ, nasturtii aquatici, beccabungæ &c. quæ longe melius agunt, si eorum succus recens expressus, aut sero lactis, aut eidem lacti una cum cancris fluviatilibus, pulveribusque absorbentibus adjiciatur. Posterioribus diebus viro cuidam celtico scorbutico an-

annorum quadraginta circiter decoctionem radicis *tragopogonos* recentis, de qua alias diximus, optimo cum successu propinavimus. His ita præmissis, & labes scorbutica si visceribus adhuc inhæreat, tum carne viperina recenti in ferculis, & jusculis non improspere usi sumus. Quid autem vipera, & in eo, & in aliis pluribus morbis, emolumenti præstare unquam valeat, & quo pacto eam præscribere consuevimus, id infra tum per historiam, tum per animadversiones aperiam.

Historia III.

Quicquid, scorbuto medendo, præstare consuevimus, historia declaramus.

CRœsus quidam non ignobilis vir Romanus ex Italia, bellandi studio motus, ab ineunte ætate transalpes in exteras plagas peregre profectus, sub variis vexillis militavit, ac variis prœliis, variis conflictibus, variisque arcium oppugnationibus, vulneribus variis equidem affectus, interfuit. In Patriam demum reversus, plura tum in castris, tum in itinere jam passus incommoda, vertigine quadam levi tentatur, quæ sub vesperam identidem recurrit. Vertiginis impetu exacto, dolor capitis obtusus, & quasi gravedo accedit, quæ ad horam circiter durat. Mox intumescunt hypochondria, suscitantur tormina, incitatur vomitus, solvitur alvus, ac una cum bile plurima, variis aliis recrementis tum supra, tum infra egestis, omnia tranquillantur. Ad mensem, & ultra eodem ferme typo id quotidie quasi prosequitur. Inde lente febricitat; ac, viribus plane fractis, lassus nec stare, nec incedere potest. Labia interim tumefiunt, ac variis finduntur in locis. Nigricant dentes, sordescunt, vacillant; ac gingivæ, lingua, palatum, & fauces sordidis ubique exeduntur ulceribus. Spiritus, quem edit ex ore, fœtens est. Plurimum salivat. Salivam, quam fundit acorem sapit. Emaciatus jam contabescit. Febris plane quandoque cessat; verum tum, quum cessat, variis maculis livescentibus cutis universa fœdatur; quibus evanescentibus, redit iterum febris; quam, quum denuo cessat, vicissim insequuntur maculæ, & sic deinceps quinta quasi quaqua die febris, & maculæ periodice alternantur. Cæterum nec cibos prætermodum fastidit, nec immodice sitit, nec insomnis noctes transigit, nec quicquam aliud, præter enarrata, patitur incommodi. Quinquagesimum nondum is ætatis attigerat annum. Fortis erat ante, optime valens, & ad plethoram potius inclinans. In eo deplorabili statu mense Aprili, morbum antea quippe militum more strenue semper neglexerat, sese nobis tractandum commisit. Ejus curationem ea, qua sequitur, methodo susceptam, ad finem usque prosequuti sumus. Ut alvus, quæ stricta erat, citra incommodum laxaretur, solvens ex rhabarbaro, sena orientali, ac sero caprillo, ut legitur in A paratum, antelucanis horis sumendum ei præscripsimus. Alvum ubi primum incitasset, aliud serum caprinum depuratum ad libras quatuor, & ultra, ut per intervalla superbiberet, effecimus. Et aliud serum postridie *antiscorbuticum* per dies quadraginta circiter, & ultra bibendum, itaut indicat B, consecimus. Victus erat tenuis, optimi succi, ac medicatus; ferculum enim tum ad prandium, tum ad

ad cœnam lacte, ovorum vitellis recentibus, cancris fluviatilibus, foliis, ac radicibus *antiscorbuticis* non insuaviter instruximus. A carnibus, & a vino sese prorsus abstinuit. Pro potu quotidiano infusionem hanc C ex sarsa parilla, glycyrrhiza, ac ligno saxafras cum modico cinnamomo hauriebat; ac clysteribus simplicibus, ad intestina eluenda, alternis diebus utebatur. Diebus quindecim elapsis noctu inter dormiendum sudare cœpit, & longe melius se habere. At enim vero, ut tantæ labis somes omnino extingueretur, carnem viperæ recentem, ad uncias tres, sero matutino, cum aliis rebus, decoquendam addidimus: quo scorbutum prorsus in Crœso curavimus.

A ℞. *Rhabarb. elect. scrup. j., senæ orient. sine stipitibus drach. ij., cinnam. opt. scrup. ss., seri capr. lib. ss. M. f. levis inf. & mac. S. A. col., & cap. ut m.*

B ℞. *Cancrum fluviatilem contus., sarf. paril. opt. S. A. incis. drach. ij. glycyrrhiz. drach. j., cinnam. opt. scrup. j., ser. capr. lib. j., M. f. inf., & mac. S. A., & adde fol. cocleat., nast. aquat., beccabung. ana pug. j. decoq. S. A. f. fort. expres., & adde succi cochleariæ recens expressi unc. j., ocul. cancr. præparat. drach. j., cap. quotidie in aur. pro syr., ut m.*

C ℞. *Sarf. paril. opt. S. A. incis. unc. ss., glycyrrhiz. drach. ij., lign. saxafras drach. j., cinnam. opt. scrup. j., aq. chalyb. lib. iv. M. f. inf., & mac. cin. cal. per horas xii. circiter, leviter bul. col. pro potu, ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quomodo uti debemus, in Clinice exercenda, carne viperina.

De Vipera, notissimo inter serpentes animali, plura commenti sunt Veteres, non minus quam Recentiores, quæque falso Posteris tradiderunt. At de ejus natura, quæ veritati cohærent, a Francisco Redi rerum inclyto indagatore, de quo alias mentionem fecimus, non pauca habuimus. Morsu, quem infligit, vipera venenum immittit. Cæterum nisi mordeat, & sanguinis, tametsi minimum, aliquid saltem mordendo, nisi eliciat, veneno nequaquam inficit. Quinimmo & humor ille subflavus, nonnihil, penes nonnullos, subdulcis, & penes alios potius nonnihil amarus, quem ex glandulis gingivarum ea insudat, quippe per cutem etiamsi leviter laceram, quoquo pacto in sanguinem inditus venenat, & necem porro molitur, impune prorsus, dummodo ulceribus haud afficiantur fauces, deglutitur. Caro viperina tum recens, tum exiccata, tum in trochiscos, tum in pollinem redacta, varios in Re medica semper usus habuit. Ad hæc ex eadem carne viperina sal quoddam quoque extrahitur, & spiritus elicitur, quibus diversas item Clinici facultates adscribunt. Certum est utique, viperam balsamo quodam blande volatili pollere, quod sudorem lenites incitat, urinam placide movet, vim sanguinis consopitam, effœtam, contractam, &, quasi dicam, senescentem rarefacit, excitat, reficit, ac pristinum robur spiritibus, nervorumque succo impertitur. Nil mirum igitur, si cachecticis, hydropicis,

picis, atque scorbuticis plurimum conferat. Formulæ, quibus eam præscribere consuevimus, sequentes sunt. Sunt qui, ne pars volatilior in auras vanescendo extenuetur, vase, quod circulatorium vocant, viperæ decoctiones parant. Nobis autem, id licet non improbemus, viperam, ita ut aliæ coquuntur carnes, in ollis fictilibus communibus coctam, jusculum & suaviorem, & non minus medicatum edere, compertum est. Quæ res effecit, ut valde ancipites simus, num revera vas illud circulatorium phlegma potius carnis viperinæ inutile, atque effœtum, quam balsamum volatile in morbis curandis efficax, coerceat, contineatque.

℞. *Carnis viperin. præpar unc. iij., aut iv., radic. fœnic. pug. ij., aq. comm. q. s. M. bul. leviter, col. pro iusc. sumendo in aur.*

℞. *Carn. viper. S. A. præp. unc. iii., aut iv., lign. saxafras drach. i., infus. sars. paril. in aq. comm. S. A. parat. q. s. M. bul., & ad fol. cichor., borragin., coclear. ana pug. j. decoq. S. A. col. pro iusc. ut supra.*

℞. *Carn. viper. S. A. præp. unc. iij., rad. fœnic. pug. j., cinnam. opt. scrup. i., ser. capr. q. s., ocul. cancr. præp. drach. i. M. bul. S. A., & adde flor. borrag., fol. pimpin., cichor. ana pug. j. decoq. S. A. col. pro iusc. ut supra.*

Prædictis decoctionibus Clinicorum plerique carnem adjiciunt aut vitulinam, aut pullorum, aut vervecinam &c. Verum, solam ipsi viperam efficacius agere rati, eam sine additione aliarum carnium frequentius præscribere consuevimus.

Nonnullis viperæ carnem cum esculentis in usum cibi quotidiani, aut elixatam, aut nonnihil torrefactam ad dies plures immiscuimus, quod sane cachexiæ diutinæ corrigendæ apprime idoneum comperimus. Attamen, quoniam calefacit, & salium facultates humoribus acuit, ejus abusus valde nocet, æstus febriles exasperat, hæmoptysin, aliasque sanguinis profusiones movet, corpus extenuat, pollutiones incitat nocturnas, salacitatem pellicit, somnum quandoque adimit, cæterosque pessimos præstare valet effectus. Quocirca neque plethoricis, neque biliosis, neque iis, quos in phthisin pronos fore conjicies, carnem viperinam unquam præbebis. Nec eam principio, corpore nec bene purgato, nec humoribus rite prius digestis, atque subactis unquam propinabis.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit scabies, ejusque species, & quo pacto curari debet.

SCabies inveterata, & lepra sunt affectiones quædam quæ cutim lædunt, quæque intemperiem utplurimum scorbuticam indicant. Scabies nihil aliud est, præterquam *minimarum pustularum, sive ulcusculorum proventus, quæ cutem fœdant*; quibus si cutis ingens asperitas, & perquam infesta adjiciatur acritudo, sive pruritus, *psora* nuncupatur. Si hæc ulterius procedunt, & cutem intime magis adhuc lædunt, *lepram* faciunt. Adeout scabies, psora, & lepra gradibus distare solum videantur. Lepra rursus distinguitur in *siccam*, vel *squamosam*, vel *furfuraceam*, quam *Græcorum* Veteres appellabant, atque in saniosam magis fœdam, magisque malignam, quam *Arabum*, sive *elephantiasin* dixerunt. Squamulas, quæ frequenter excidunt, procreat prior. Tuberculis altera variis, ulceribusque sordidioribus scatet. Utraque pessima est. Cutem utraque in-

intime torquet, lacessit, lacerat, & acriter quasi depascit. Ex quo patet, causam, quæ affectiones hasce inducit, sitam esse in vitio quodam humoris pravi, atque erodentis, qui in tubulis cutis stagnat, ejusque minimis glandulis inhæret. Is quippe, tubulos exedendo, & in pustulas attollitur, & ulcera progenerat; in quibus ea minima fere semper fœcundantur insecta, educantur, & propagantur, quæ latine *achari*, vulgo barbare *pellicuſi*, penes Thuscos *pellicelli* dicuntur. *Pellicello è un piccolissimo bacolino, il quale si genera a rognosi, in pelle in pelle, e rodendo cagiona un acutissimo pizzicore* (a). Scabies facilius, quam psora curatur. Psora, quam lepra. Græcorum, quam Arabum. Quæ contagio contrahitur, quum recens sit, non est adeo pervicax. Quidlibet scabiei sit genus, tum interioribus, tum etiam exterioribus ægros ab ea mundare curabis. Interiora causas, quibus producitur, respicere semper debent. Interdum enim, in plethoricis præsertim, ex redundantia fit sanguinis, qui non modo solutis venis, verum etiam diæta opportune imminuendus est. Interdum a lue provenit celtica; quo in casu eam labem, ut ante jam docuimus, extenuare expedit. Soboles est non raro scorbuticæ affectionis, quam præfidiis *antiscorbuticis* subripere tum studebis. Exteriora & acharos interimant, eosque penitus extirpent, & salium acrimoniam eluant, & tubulos obstructos recludant, oportet. Ad acharos delendos sulphurata, & mercurialia præ cæteris conducunt. Optimo cum successu linimento, ita, ut legitur in A, parato, frequenter utimur; quo solo, alvo prius extersa, humoribus bene præparatis, ac sanguine imminuto, scabiem diutinam, ac permolestam per familias ex longo tempore profusam, atque educatam, manus tantum alternis diebus per vices tres inungendo, plane subduximus. Balinea aquæ dulcis, emollientia, necnon etiam amaricantia salium compagem solvunt, eorumque temperant acorem, abluuntque. Humores insuper in meatibus, glandulisque concretos blande discutiunt, eosque aut per sudorem, aut per urinam, aut aliter per cutis spiracula emittunt.

A ℞. *Flor. sulphur. drach. ij.*, *mercur. rubr. præcipit. scrup. j.*, *unguen. rosar. unc. ſs. M. pro linimento, ut m.*

Loco unguenti præfati addere poteris, aut oleum amygd. dulc., aut butyrum, aut sevum &c.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

EX vulgo imperitorum quispiam scabiem ab acharis dumtaxat fieri ratus, eam mundare confestim aggreditur per id, quod cuti extrinsecus admotum, acharos interficit. Iccirco sulphureis, aut mercurialibus inunctionibus scabiem brevi, tuto, ac blande, etiamsi humores antea minime correxerit, curare sibi suadet. Tales inunctiones profecto, nullum aliud quamvis chirurgiæ, aut pharmaciæ præcesserit auxilium, scabiem omnino, & præsertim simplicem, plerumque subducunt. An tamen tuto id præstent, valde dubito; quum ex usu diutino percepimus, scabiem ea methodo, nescio an mundatam, an potius compressam, maximas, contumacissimas, & quamsæpissime lethales ægrita-

Improbatur eorum praxis, qui auxiliis exterioribus tantum scabiem subducere curant.

(a) *Vocab. Crusc.*

tudines peperisse. Damus utique, scabiem non aliunde quandoque, quam talium animalculorum, quæ cutem pungunt, mordicant, & circumrodunt, culpa exoriri. At nihilominus, cute vitiata, quamocissime ob labem ex cute contractam, universi vitiantur humores; qui proinde, nisi tamquam per minima, ut ita dicam, cauteria in eadem cute hiantia, quotidie quodammodo repurgentur, magis, magisque subinde coinquinantur, ac partes nobiliores inficiunt. Hinc eorum praxin numquam improbavimus, qui, antequam aut sulphurea aut mercurialia, aut alia ejusmodi ad scabiem penitus eximendam cuti admoveant, eam cucurbitulis opportune scarificare solent; quibus & sanguinem in cute stagnantem, & alios ex glandulis, tubulisque affectis, impuros extrahunt humores.

Exponuntur quid sint obstructiones, & quicquid ex iis extare valeat in corpore humano vivente. Necnon etiam improbatur eorum opinio, qui febres omnes vitio partium solidarum peculiari exoriri credunt.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

NIl frequentius, neque injuria, tamquam morborum causas quam obstructiones in Medicina criminamur. Enim vero, tubulis obstructis, solidæ tumefiunt partes, præcipue molles, inflammantur, suppurant, atque eroduntur. Hinc *tumores*, *inflammationes*, *erysipelata*, *abscessus*, *gangrænæ*, *sphacelli*, *ulcera*, *scirrhi*, *cancri*, & reliqua, quæ febres tum acutas, tum chronicas, necnon etiam alias, de quibus antehac verba fecimus. fovent ægritudines. *Obstructio*, sive *oppilatio* dicitur, quum fluidorum motus per meatus sive compressos, sive infarctos præpeditur; quæ, si stagnando adeo cumulentur, ut tubulos, in quibus stagnant, extendant, *tumores* faciunt. Insuper, si effervescendo partem affectam incendant, eique una cum intenso calore ruborem impertiantur, inflammationem procreant; quæ, si prætermodum intumescat, calefiat, & rubore suffundatur, *erysipelas* dicitur. Præterea, si res in tumore ulterius procedant, & humores ibi stagnantes adeo immutentur, ut corrumpantur, & quodammodo putrefiant, exoritur, aut *abscessus*, sive *apostema*; aut *gangræna*, sive *sphacelus*. Abscessus vocatur, ubi sanies, vel pus, vel ichor, vel altera quævis materia a statu naturali plurimum recedens, quæ in parte affecta colligitur, tubulis fractis, sinum sibi intus excavat, ibique cumulatur. Hæc folliculo quandoque includitur, & pro diversitate materiæ inclusæ, diversas facit abscessus species: *atheroma* nempe, *meliceridem*, & *steatoma*. Atheroma dicitur, quum materia in folliculo contenta speciem pultis referat; quum mellis, dicitur meliceris; quum sevi, steatoma. Gangræna nuncupatur, ubi humorum pravitas eo devenerit, ut partem inflammatam omnino corruperit, quæ propterea ex nutritionis defectu emori cœpit. Verum quum penitus emoriatur, tum proprie sphacelus vocatur. ubi pus, aut sanies, aut ichor ibi confectus partes finitimas circumrodat, ulcus progenerat. Ulcera ratione tum puris, tum aliarum circumstantiarum, quæ ea comitari solent, distinguuntur in simplicia, saniosa, sordescentia, verminosa, cum ossium carie, cum carne luxuriante, ac fistulosa; de quibus universis chirurgiæ Scriptores consulito. Erysipela, aut *simplex* est, aut *complicatum*. Complicatum, quod dicitur *herpes*, vel *miliare* est, vel *exedens*, sive *serpigo*. Milia-

liare nuncupatur, quod ob pustulas minimas in superficie dispersas exasperatur. Exedens appellatur, ubi pustulis ruptis, cutis alte exulceratur, & quum ulcera altius hæreant, & cutem quasi serpendo exedant, serpigo vocatur. Scirrhus dicitur tumor, quum durus est, renitens, atque indolens; qui proinde tum fit, quum humores in tubulis stagnantes, tenujoribus aut dissipatis, aut absumptis, aut alio quovis pacto dispersis particulis, ita concrescunt, ut substantiam duram efficiant; quæ quandoque salis adinstar caustici fusa, meatus continentes exedit, lacerat, dolorem infert acerrimum, & cancrum producit; qui profecto nihil aliud esse videtur, *quam scirrhus cum dolore in parte affecta, ob materiam salsam, sive causticam, quæ in icborem funditur erodentem, lacessita;* quæ tandem exulcerata, ulcus dat cancerosum. Si præterea os subjectum corrumpat, ulcus gignit cum carie; etenim ulcus cum carie nihil aliud est, præterquam ulcus partis duræ, una & molis, quum caries revera ulcus partis duræ, hoc est ossium, dici possit. Affectionibus ejusmodi partes tum interiores, tum etiam exteriores, & viscera ipsa nobilia obnoxia sunt. Quin & pleraque incommoda, quibus ratione valetudinis vexamur in terris, per eas nobis parantur. Iccirco in morbis universis, sedulo, solerterque inquiramus, oportet, num ex prædictis partium solidarum vitiis exiterint. Non est tamen, quod singulas affectiones, & febres præsertim, omnes ex præfatis organorum læsionibus exoriri cum Diocle credamus (*a*). *Non meno e' si scorge il modo del filosofare in conghietturando di Diocle da ciò, che egli dice appò Plutarco: cioè,* „ le cose, le quali a noi manifestamente si fan vedere, addittano le nascose, poiche si vede la febbre colle ferite, colle „ infiammazioni, e co i gavaccioli accompagnarsi „. *Dal che certamente egli vuol cavare Diocle, che in quelle febbri, nelle quali nulla appare di fuori delle menzionate cose, sieno entro al corpo elleno, o altro simile, che colla febbre si accompagni.* Certum licet sit, aut inflammatis, aut suppurantibus, aut exulceratis humani corporis partibus viventibus, febres passim æstuare, ex eo tamen, ex nostra saltem sententia, febres universas, quæ in nobis suscitantur, per id unice excitari, falso creditur. Plura, in Nosocomiis præsertim, ad explorandas febrium, quibus obierunt, causas, cadavera insecuimus, & frequentissime vidimus, in acutis præcipue, eorum partes solidas, usque ad minima, quantum sensibus assequi potuimus, perscrutati: eas, inquam, vidimus optime constitutas, nullo vel minimo, aut inflammationis, aut abscessus, aut ulceris, aut tumoris vel minimi apparente indicio. Quamobrem, quum non implicet, vitio fluidorum, partibus solidis plane intactis, febres quandoque exoriri, & ex alia parte, quum sensibus minime liqueat, eas solidorum læsione semper fieri, non video, cur id nihilominus audacter proferre debeamus.

ANIMADVERSIONES AD CHIRURGIAM SPECTANTES.

SOlidarum partium læsiones, aut vitia, quæ compendio nuper contraximus, quum exteriora sint, ope-

(a) *Leonardo da Capua rag. 5 p. 324.*

Nonnulla ad Chirurgiam spectantia in genere brevibus exponuntur.

operam exigunt chirurgicam. Quum vero organa intus infecerint, tum ad Medicum, qui interiora ministrat, proprie spectare videntur. Quod ad chirurgiam attinet, ne in partibus exterioribus obstructiones fiant, id maxime curandum. At quum factæ fuerint, quantocius eximendæ. Tumores, nisi critice supervenerint, aut ad suppurationem inclinaverint, mature resolvantur. Inflammationes, erysipelata, ut quum primum id fieri possit, discutiantur. In gangræna, sphaceloque, quicquid emortuum, atque infectum est, a non infecto, confestim subducere expedit. Abscessus digerantur, maturentur, opportune aperiantur, & mundificentur. Ulcera detergantur. Scirrhos, nisi penitus extirpare poteris, quæso ne tangas, ne eos, medendo, irrites, atque exulceres; scirrhos quippe cancris occultis annumeramus, de quibus optime Senex (a): *cancros occultos habentes, melius est non curare. Curati enim cito pereunt, non curati vero longius, tempus perdurant*. Atheromata, melicerides, steatomata, nonnisi folliculum omnino subripias, unquam sanabis. Id ferme de ulceribus tum cariosis, tum etiam fistulosis quotidie contigisse observavimus; quæ recte minime curantur, nisi ab iis prius dilatatis, aut os infectum, aut callus, qui fistulam fovet, aut sanies in sinibus delitescens, penitus eximatur. Quapropter id præ cæteris adnotandum, aquam modice tepentem, aut per fotus, aut per balnea partibus affectis principio admotam, brevi, blande, ac tuto, experientia teste, obstructiones, tumores, inflammationes, ac erysipelata quamsæpissime discussisse. Si aquæ simplici aquam aut rosarum, aut florum sambuci, aut spiritum vini, aut modicum acetum, aut succum limonum, hisque similia per modum quasi poscæ quandoque adjicias, ejus vim discutientem non perperam acues. In contusionibus autem recentibus, ne vascula in cute laxata humorum affluxum excipiant, atque in tumorem attollantur, partem recens contusam vel in aquam frigidam illico infundito, vel eamdem aquam frigidam ei statim inspergito; quæ tubulorum parietes, quos pridem ictus enervavit, mox contrahit; qui, sese iccirco contrahendo, valvulis adjuvantibus, humores confluentes ulterius propellunt; efficiuntque, ne ibi diu stagnando, obstructionem, tumorem, atque inflammationem foveant. Adnotabis insuper, ulcera ut omnino sanentur, satis fore, modo tamen nullam pravitatem contraxerint humores, ut in meatibus affectis eorum motus jam præpeditus in pristinum restituatur; quod, tubulos infarctos nisi plane recludas, minime consequi poteris. Hinc ulcus identidem abluere, ejusque cavum sedulo mundare, ac ab eo linimenta, unguenta, ac emplastra, quæ magis, magisque infarciunt, amovere, ad ulceris sanationem apprime conducit. Enim vero vulnus recens inflictum, modo non sit complicatum, cicatricem brevi inducit, si, postquam sanguis debite effluxerit, ejus labia circumligando, adamussim componas. Ea, ratione chirurgiæ, hic perfunctorie dumtaxat innuere placuit; quo pacto autem affectionibus hisce, & præcipue quum interiores sint, præsidiis medicis interioribus occurrere debeamus, id ex hactenus dictis in capitibus præcedentibus abunde liquet.

(a) *Hipp. lib. 6. aph. 38.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sint proprie sanies, pus, ac ichor.

S*Anies*, *pus*, *ichor* vulgo licet confundantur, atque ad unum, idemque denotandum passim usurpentur, inter se nihilominus distare quodammodo videntur. Sanguis enim, & frequentius succus alibilis, qui in parte vitiata corrumpitur, primum in saniem cedit, inde in pus, ac postremo, si ulterius depravetur, in ichorem funditur. Hinc sanies dici proprie deberet, ubi præternaturam, & sanguis, & succus alibilis fermentescentes corrumpi incipiunt. Ubi autem plane corrupti, atque omnino immutati, concretionem, odorem, & colorem non prave suscipiunt, idest, ubi probe digeruntur, tum pus constituunt, *optimæ* quod dicitur *indolis*. *Pravæ* indelis contra nuncupatur, quum ulterius indigesti, corrupti, & depravati, materiam procreant effœtam, livescentem, ac luridam, necnon etiam quandoque cruentam, quæ maleolet; quæque, si adhuc magis corrumpatur, extenuetur, atque fundatur, serum acre, sive lympham non congruam producit, quæ ichor proprie appellari poterit: *ichor tenuis, subalbidus ex malo ulcere exit* (a). Ichor saniosus, ac purulentus tamen, nec a sanguine, nec a succo alibili semper elicitur; verum ab ipso sero, vel ab ipsa lympha in ulcere corrupta, vitiataque interdum progignitur. Id, ut quæ in præcedentibus animadversionibus innuimus, luculentius intelligantur, breviter hic protulisse juvabit.

(a) *Celsus lib. 5. cap. 26. num. 20.*

CAPUT V.

De Rheumatismo.

Descriptio.

IN ea ægritudine, quæ temporibus nostris *rheumatismus* passim vocatur, humani corporis membra viventia torpere solent universa, languere, doloribus modo vagis, modo permanentibus intime quoque, ad ossium veluti usque substantiam, affici; qui quandoque & acerrime suscitantur, noctu præsertim infesti utplurimum, sine tumore, & sine inflammatione partis affectæ. His non raro febris adjicitur, modo lenta, modo vehemens, quæ tamen procul ab omni certa periodo plerumque recurrit. Quocirca in eo morbi genere musculos, glandulas, membranas per ambitum corporis, ac periosteum potissimum affici non injuria rati, rheumatismum describendo dicere possumus, *Affectionem esse, in qua partes fere omnes exteriores, usque ad ossa, visceribus utplurimum illæsis, humore quodam pravo inficiuntur, qui nervos præcipue lædit, dolorem proinde, languorem, torporem, necnon etiam febrem aut continuam, auterraticam nonnumquam inducens*. De rheumatismo Riverius, Bonetus, Sydenham, aliique Recentiores fuse egerunt.

Diagnosis.

Quicquid hactenus innuimus indicia, ex quibus an rheumatismo quispiam laboret, desumere debemus, abunde suppeditat. Id tamen advertito, ne aut arthritidem, aut luem celticam, aut quandoque incipientem scorbutum, pro simplici usurpes rheumatismo; quum singulæ prædictæ affectiones, sub specie levissimi quandoque rheumatismi, invadere consueverint.

Quo-

Causa. Quoniam, aut sudore intempestive compresso, aut cute aliter stipata, dolores rheumatici artus crebro corripuerunt, eos utplurimum fieri autumabimus sero, sive limpha quadam acri, ob expirationes præpeditas, intus in sanguine cumulata, ac per vasa ad partes exteriores effusa, in quibus stagnans, fibras vellicet, eas contrahat, dolores excitet &c.

Prognosis. Etiamsi raro admodum vitæ inferat periculum, attamen ad menses, & annos non sine ingenti molestia perducitur, tum maxime, quum aut sine febre invaserit, aut febris temporis processu nequaquam succendatur, aut ex partibus affectis aliqua saltem non intumuerit. Si præpostere tractetur, aut exasperatur, aut humor peccans, a partibus extimis ad intima recedens, viscera lædit, eaque non raro inflammat. Quapropter ex rheumatismo perperam curato, & apoplexiam interdum, & peripneumoniam, & phrenitidem, & asthma, & hydropem, & colicam, & nephritidem, non semel extitisse & ipsi vidimus atque ex aliis accepimus. Sudore, atque urina uberrime profusis passim extenuatur; modo tamen, digestis, coctisque humoribus sub morbi finem profluxerint; secus enim potius invalescit.

Curatio. Ut quamprimum ea discutiatur ægritudo, victus, principio saltem, perquam tenuis sit, oportet, humectans, concoctu facilis, succique optimi. Aer calidus potius, quam frigidus confert. Laxa servetur alvus, eaque clysteribus modo emollientibus, modo abluentibus, raro irritantibus, quamsæpissime concitetur. Cutis blande foveatur, atque oleo sive communi, sive amygdalarum dulcium, cui & spiritum vini, & modicum caphuræ addere poteris, manibus inunctis, leniter bis saltem in die defricetur. Oleum siquidem, ita præsertim medicatum, ac tenuissime cuti superinductum ejus minimos meatus nequaquam infarcit, quinimmo & laxat, atque expirationes promovet. Diebus aliquot exactis, magis adhuc alvum solvere expedit; quam, quicquid alii unquam fecerint, & de fortioribus purgantibus scripserint, hisce in casibus aut oleo simplici, aut electuariis lenientibus, aut diatartaro Petri Castelli, aut syrupo rosato aureo, aut sero caprino medicato, hisque similibus, optimo cum successu laxare semper consuevimus. Oleum imprimis mirifice agit, quod & alvum una, & urinas, necnon etiam sudorem blande interdum civit. Alvo abluta, ea, quæ & humores concretos discutiunt, & sudorem, aut urinam leniter movent, propinari debent. In quem finem optima sunt sperma ceti, cæteraque omnia, quæ vulgo *antipleuritica* dicuntur, & de quibus plura jam ante diximus. Aqua tepens frigoribus, frigida æstivis caloribus, abunde epota, dolores pervicacissimos rheumaticos non semel evicit. Idem sero etiam caprino, loco aquæ ad libras aliquot hausto, felicissime præstitimus. Optimæ sunt decoctiones emollientes, necnon etiam antiscorbuticæ, item & antivenereæ, leniores tamen, simplici videlicet sarsa parilla, ligno saxafras, foliis cochleariæ, nasturtii aquatici, beccabungæ, florum hyperici paratæ quæ humores crassos solvunt, diluuntque, eorum acorem cicurant, ac per sudorem, sive per urinam eos egerunt. Balinea, quum diurestiterit affectio, & præcipue emollientia, non incassum adhibuimus. Hypocausta, va-

vaporaria, eaque omnia, quæ sudorem per vim eliciunt, si semel unquam profuerint, centies porro noxam plurimam intulisse constat. Num venam solvere expediat, necne, id mox in animadversionibus discutiendum ducimus.

Historia IV.

Quicquid rheumatismo medendo præstare consuevimus, historia declaramus.

IRene Virgo quædam ingenua, annorum triginta circiter, non ex humili genere nata, Pedemontana, staturæ proceræ, gracilis potius, quam pinguis, temperamenti sanguinei ad biliosum nonnihil inclinantis, mense Junio, tum quum Zagaroli, quod non procul ab Urbe sub jurisdictione hodie celebre oppidum Ducum inclytæ familiæ ROSPIGLIOSI, rusticabatur, sudore, item & fluxibus consuetis intempestive repressis, doloribus una cum febre rheumaticis ex improviso tentata, medicamentum solvens ingessit; quod, alvo soluta, materiam plurimam ad dies aliquot egessit. Ex quo factum est, ut, doloribus exterioribus evanescentibus, humor peccans ex exterioribus ad interiora recedens, intus per organa effunderetur. Quamobrem eam primum gravis spirandi labor, cui mox virium languor extremus accessit, opprimere cœpit. Ter, & quater in die uberrime sudabat, ac urinæ ingentem non coctæ copiam, noctu præsertim, quamsæpissime fundebat. Evidens indicium, labem maximam, qua ipsi colliquescebant, humoribus jam subiisse. Febris in dies magis, magisque augebatur. Acriter sitiebat. Dies, noctesque, pervigil angebatur; atque reliqua omnia symptomata adeo jam invaluerant, ut Irene brevi decessuram fore, unanimiter cuncti arbitrarentur. Dies erat morbi septima, & adeo languebat Virgo, ut Medicinæ Professor, qui ex Urbe Zagarolum, ut eam inviseret, morbique naturam melius exploraret, una & ægrotanti medicis præsidiis opportunius prospiceret, se transtulit, nil aliud tum præstare potuerit, quam virium, quod in eo tam deplorabili statu, modicum, supererat, victu tenui, eoque idoneo substinere. * Et quoniam Romam reverti obnixe ægrotans efflagitabat, ut in suis ædibus animam efflaret, vehiculo camerato, commode, quantum fieri potuit, vecta, semianimis quasi, in proprium cubiculum sese tandem recepit. Hanc nos statim invisimus, & arterias explorantes, eas in carpo, temporibusque micare vix percepimus. Iccirco, ad vires jam plane fractas excitandas, vini optimi haustus aliquot sorbillandos ei præbuimus. Exinde id conditi A cochleatim sumendum consecimus. Et, ut eodem victu, ut ante, tenui, ac congruo vesceretur, operam dedimus; qui nihil aliud erat, nisi jusculum ex carne pullorum, ac vitulina cum pane triticeo, ac ovorum vitello recenti confectum, digestum, expressumque; quo quater in die, horis congruis, parce vescebatur. Interim, ut alvi profluvium, quod una cum reliquis symptomatibus adhuc prosequebatur, quodammodo sisteretur, margaritas præparatas ad drachmas aliquot, & gelatinam cor-

* Is fuit Raymundus Tarozzi Romanus Archiatrorum in Urbe Collega noster, Chirurgiæ, atque Anatomes in Archigymnasio Romano Professor eximius, ex Alumnis nostris, moribus, ingenio, & eruditione nemini equidem secundus.

cornu cervi cochleatim deglutiendam præscripsimus. At, omnia incassum cessisse observantes, die morbi duodecima circiter optimam chocolatam una cum margaritis præparatis semel in die ei propinare cœpimus; qua utique refecta, sensim subinde melius se habere cognovimus. Enim vero non multum, postquam chocolatam sorbuerat, sopore ad horam, & ultra placide tenebatur, atque experrecta vires sibi nonnihil restaurari sentiebat, facilius respirabat, nec adeo, uti prius, prædictis infestabatur incommodis. Febris, quæ quotidie ad octavam, & decimam diem usque cum rigore sub vesperam redierat, omnino tandem evanuit. Restitit alvus, sudores licet, atque urinæ, ut antea profluerent; quod demum quoque compressimus usu primum, quoniam plurimum sitiebat, aquæ nucerinæ abunde epotæ, mox lactis asinini; quod per dies triginta cum margaritis præparatis, ad uncias octo circiter, diluculo sorbuit. Historiam hanc sub finem capitis hujus exarare placuit, ut Medicinæ Tyrones, in talibus ægritudinibus, maxime in exordio, humores catharticis intus movere, quam anceps sit, pernoscant.

A ℞. *Confect. hyac.*, *& alkermes sine odore ana drach. ij.*, *aq. cinnam.*, *flor. aurantior. ana unc. j. M. f. cond. cochleatim sumendum ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Discrimen, quod interest inter arthritidem, & rheumatismum.

DIscrimen, quod inter arthritidem, & rheumatismum interest, in eo potissimum consistere credimus, quod in arthritide periosteum imprimis afficiatur; cujus fibræ, quæ sensu pollent acerrimo, humore acri, qui ex minimis in articulis existentibus, uti diximus, insudat glandulis, acriter irritantur, quique interdum concrescens, aut abscessus, aut nodos tophaceos ingenerat. In rheumatismo musculi potius, ac tendines, item & glandulæ, præsertim exteriores, morbosam sive seri, sive lymphæ, sive alterius cujusque pravi humoris colluviem excipiunt; quæ minimis, utplurimum, meatibus excretoriis in cute stipatis, atque excretionibus consuetis immature compressis, in sanguine cumulatur. Humor peccans in doloribus rheumaticis: utpote crassior, minus, quam in arthritide, plerumque affligit: utpote exterior, facilius item discutitur.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid de catharticis, de sanguinis missione, necnon etiam de sudore per vim elicito in rheumatismo adhuc observavimus.

SUnt qui ad dolores rheumaticos protinus extenuandos, documentis practicis Riverii, Willisii, Boneti, aliorumque, qui de iis non ita pridem scripserunt, confisi, aut alvum, aut vomitum, aut sudorem, vel in ipso morbi principio vehementer ciere aggrediuntur. Venam alii iterum, iterumque secando, in eumdem finem, multam sanguinis copiam ad animi usque deliquium audacter educunt. Quicquid hisce in casibus cathartica fortiora agere unquam potuerint, historia præcedens satis, superque declarat. Ut intestinorum non minus, quam stomachi, si adsint, sordes, talibus doloribus laborantibus, citra noxam eluantur, aut oleum, ut jam innuimus, aut aliquod aliud lene solvens, incipiente morbo, propinavimus; quo, & viscera præfata blande extersimus, & motum,

quem organorum facultas versus partes externas intentaverat, minime perturbavimus. Sudorem autem, nisi humoribus bene coctis, subactisque sponte profluxerit, in rheumatismo plurimum semper nocuisse observavimus; quinimmo inter symptomata, quæ dolores ejusmodi primum comitari solent, sudores uberrimos, eosque quasi liquantes, fuisse percepimus; quibus fusis, dolores utplurimum exasperantur. Dolores rheumaticos sudore compresso plerumque fieri haud dubitavimus. Verum recrementa, quæ per cutim sudore concreto obstructam, non amplius egeruntur, ac proinde in sanguinem remeant, eumdem sanguinem jam infecerunt; qui, & in musculos, & in tendines, & in glandulas nonnullas sese postmodum exonerat, & dolores prædictos incitat. Quo fit, ut sudor, qui subinde intempestive, & per vim elicitur, & qui fortasse per meatus cutis non infarctos uberrime tantum depluit, lympham balsaminam tenujorem ab eodem sanguine semper subripiat; qui proinde adhuc acrior factus, acrius quoque partes vellicat affectas. Sanguinem ad animi usque deliquium imminuere, non modo in hoc, verum etiam & in aliis universis ægritudinibus rem periculi plenam semper existimavimus, quam proinde semper improbavimus. At quum sanguinis copiam exuberasse in rheumaticis cognovimus, eam, alvo leniter prius abluta, moderate subtrahere numquam dubitavimus. Nihilosecius & in eo caute admodum incedendum; siquidem cuidam non plane ignoto, quem dolores rheumatici, non ita pridem Romæ tentaverant, ut quum sanguinem imperitus quispiam eduxerit, articulorum doloribus plane deletis, pulmones illico adeo infecit, ut lethali æstuante pectoris inflammatione, propediem decedens, se missione sanguinis extinctum iri clamitando, conquereretur. At enim vero, ut quicquid in eo morbi genere, quem in publicis Nosocomiis non minus, quam in ædibus aliorum privatis, crebro præ manibus habuimus, ad hoc temporis observavimus, ingenue, ut nostri moris est, fateamur, proferre non dedignabimur: eos, quibus aut nihil prorsus, aut nihil propemodum in rheumatismo fecimus, felicius utplurimum evasisse, quam alii, quos validioribus Artis præsidiis subjecimus. Quæ res porro effecit, ut posterioribus annis ejusmodi ægrotantes tractando, præter victum tenuem, & congruum, ac uberrimas potiones ex aqua vel simplici, vel per levem insusionem sarsæ parillæ, glycyrrhizæ, florum papaveris, rhœados, hisque similium medicatas, nihil aliud præbere consueverimus; quo solo, temporis processu, sudores plane criticos optimo cum successu excitavimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit catarrhus.

CHylus, qui ab alimentis ingestis, concoctisque in cavo intestinorum educitur, per ductus lacteos, uti fuse ante diximus, in sanguinem sese immittit, ac per venam cavam in sinus cordis dexteros; unde per arteriam pneumonicam ad pulmones dirimitur; a quibus per venam pneumonicam in sinus ejusdem cordis sinistros reducitur; ut per aortam quaquaversum distribuatur. Chylus igitur in vasa sanguifera recens infusus, fieri minime poterit, quin san-

sanguinem quodammodo tum oneret, eique impuritates quasdam impertiatur; qui propterea, nisi eas per glandulas sive pulmonum, sive cutis, sive renum, aliorumque viscerum opportune dimittat, cerebrum primo, aliaque mox cerebro subjecta inficit organa. eam ægritudinis speciem inducens, quæ passim *catarrhus* vocitatur. Hinc in partibus supernis colligi catarrhum, ut exinde ad infernas deflueret, sibi suadebant Veteres; quem propterea describentes, *humorem effætum* esse protulerunt, *ob læsam cerebri coctionem genitum, ex capite ad partes subjectas defluentem, ob intemperiem, sive repletionem nimiam, facultatem expultricem irritantem*. Enimvero idem sonat catarrhus, ac *defluxus*, sive *distillatio*; provenit quippe a verbo græco, quod apud latinos *defluere* significat. Quamobrem tot species catarrhi diversas effecere, quot sunt loci, in quos humor peccans defluere potuit. Præcipuas tamen tres tantum iis constituere placuit, juxta vulgatos versiculos.

Si fluit ad pectus, dicatur Rheuma catarrhus.
Si ad fauces, Bronchus. Ad nares esto Coryza.

quibus & quartam adjicere potuissent, si rheumatismum aut nossent aut saltem non neglexissent.

Verum ut rem luculentius exponamus, nihil aliud catarrhum esse dicendum existimamus, quam *lympham, sive serum quoddam, quod in partibus stagnet, concrescat, acris fiat, aut quolibet alio pacto depravetur*. Nil mirum itaque, quum cerebrum afficiat, ejusque membranas, si cephalalgiam, stuporem, & reliqua inducat. Quum nares, oculorumque globos, si gravedinem, crebram sternutationem, lacrymarum stillicidium, & cætera faciat. Quum fauces, bronchia, pectoris membranas, ac musculos, si raucedinem, tussim, spirandique laborem ingeneret. Quum articulos, ac musculos universos &c. si rheumatismum procreet &c. Catarrhus levis tametsi affectio sit, & plerumque citra periculum, in senibus tamen, ac male affectis, tum maxime, quum persæpe recurrat, minime spernendus; in quibus in apoplexiam, epilepsiam, paralysin, asthma, pleuritidem, aliasque lethales affectiones cessisse persæpe vidimus. Febre superveniente non raro solvitur. Contra, & præsertim nulla data occasione, si febri supervenerit catarrhus, pervicacior fit, neque omnino sine periculo. Catarrhus, qui non altas egerit radices sola victus ratione persæpe solvitur, interdum etiam crapula, iis de causis, quas ante jam exposuimus. Verum quum at pervicax, aut perquam molestus sit, tum cutim blande defricando, eamque balneis modice tepentibus fovendo discutitur. Si febris ardens cum imminentis viscerum inflammationis metu excitetur, tum sanguinis copiam imminuere expedit. Ubi non rite respondeat alvus, eam clysteribus simplicibus, aut oleo ex amygdalis dulcibus recens, ac sine igne expresso, aut melle hispano cum aqua tepenti jejunis faucibus ingesto leniter incitabis. Cave tamen, & maxime principio, a purgantibus validioribus; quæ, ut & alias diximus, lympham tenujorem balsaminam educendo, catarrhum magis constipant, & fluxiones longe diuturniores faciunt. Cæterum potiones vel ex aqua simplici tepentes, vel cum melle hispano immixta, vel per infusionem flo-

florum papaveris rhœados, glycyrrhizæ &c. medicata, optimæ sunt.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit, & quomodo solvatur cephalalgia.

QUilibet capitis dolor interior, producatur is a catarrho, sive ab aliis tum interioribus, tum exterioribus causis foveatur, *cephalalgia* passim nuncupatur; quam nihilominus in *cephalalgiam proprie dictam*, *cephalæam*, *hemicraniam*, & *clavum* quadrifariam distinguere consueverunt. Cephalalgia proprie, saltem a quibusdam, dolor dicitur capitis, qui nec diutinus sit, nec magnam capiti imbecillitatem moliatur, nec capitis partes valde afficiat. Non absimilem cephalalgiam inferre solent crapula, vehemens insolatio, febris ardens, ingens corporis defatigatio, lucubrationes diutinæ, & reliqua. Vocatur cephalæa, ubi capitis dolor diuturnior sit, & capitis organa vehementer adeo defatiget, ut qui eo laborat, nec voces, nec sonos, quinimmo & lucem ipsam tolerare vix queat. Hemicrania tum appellatur, quum dolor alterutram capitis partem vel dexteram, vel sinistram, vel anticam, vel posticam tantum affligat. Clavus dicitur, quum dolor aliquam capitis partem, quod præsertim in temporibus contingere solet, perquam acutus, & veluti infixus excruciat. Singulæ cephalalgiæ species, & *per essentiam*, & *per consensum* extare possunt. Modo ob membranarum irritationem, modo ob validam vasorum extensionem suscitantur. Per essentiam fiunt tum, quum humor peccans agit in eadem parte affecta. Quum vero capitis membranæ, irritatis nervorum staminibus in visceribus capitis subjectis, afficiuntur, tum per consensum inducitur. Si humor peccans vel proxime, vel remote præfatas capitis membranas lacessit, dolor, qui exoritur, esse solet acutus. Contra quum humor in tubulis aut stagnans, aut effervescens, aut redundans eos prætermodum extendit, dolor, qui tum elicitur, obtusus fit, & *gravedo* proprie nuncupatur. De cephalalgiæ, ratione præsertim prognosis, hæc tradidit Senex. *Si vero æstas sicca fuerit, & Aquilonia, Autumnus vero pluviosus, & Australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque gravedines, quibusdam autem, & tabes* (a). *Caput dolenti & circumdolenti, pus, vel aqua, vel sanguis affluens per nares, aut os, aut aures, morbum solvit* (b). *Quicumque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit* (c). *Quibus urinæ perturbatæ, quales sunt jumentorum, his dolor capitis vel adest, vel aderit* (d). Ad hæc adnotandum est quoque, cephalæam inveteratam, quæ quotidie immaniter excruciat, & somnum adimit, periculo nequaquam vacare. Si vertigines, aliasque sensuum comites habeat perturbationes, surditatem minitatur, cæcitatem, apoplexiam, epilepsiam, paralysin, aut spasmum. Simpatica, ea maxime, quam ventriculi, sive intestinorum sordes procreant, vomitu, alvique profluvio brevi utplurimum sedatur. Si ex nimia fiat sanguinis copia, sanguis, qui aut ex naribus,

(a) *Hipp. sect.* 3. *aph.* 13.
(b) *Sect.* 6. *aph.* 10.
(c) *Sect.* 6. *aph.* 51.
(d) *Sect.* 4. *aph.* 70.

bus, aut ex hæmorrhoidibus, & in fœminis a pubertate ad senium ex pudendis, sponte profluit, interdum subducit. Cephalalgia, quum alias affectiones, tamquam symptoma, pene semper vel anteire, vel comitari, vel insequi soleat, iis præcipue occurrendum videtur. Verumtamen, si plethora eam faciat, vena iterum, iterumque, si opus fuerit, solvatur. Si per inædiam, quod non raro accidit, torqueat, tum edendo, tum chocolatam, tum aliquid aliud in refectionem sorbendo, confestim extenuatur. Si ob crapulam, aut vomitus, aut alvus, aut utrumque, blande tamen, citatum eam adimit. Si ob humores crassos in partibus supernis concretos, sotibus, & balneis solvantur; quinimmo, & ubi ex eadem causa pervicax adhuc reluctetur cephalalgia, sinapismata, & vesicantia, partibus primo infernis, mox cervici apposita, eam discutiunt. At quum dolor capitis perquam acutus ægrotantem adeo infestet, ut quiescere nequeat, blande soporifera opportune propinare nequaquam omittas.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit morborum complicatio.

SÆPE numero contingit, ut quum ægritudo corpus humanum vivens affligit, & altera ei ægritudo, & etiam plures quandoque adjiciantur. Quo in casu eas procreant affectiones, quæ *complicatæ* a Clynicis nuncupantur. Ubi ægritudines, quæ in uno, eodemque subjecto congregantur ejusdem sint naturæ, atque eadem exigant præsidia, complicatio morborum dicitur *uniformis*, sive *eiusdem generis*. Contra *diversi generis*, & ex morbis *contra indicantibus* consurgens vocitatur. Ejusmodi ægritudines & perquam molestæ, & longe majus semper habere solent periculi, nec non etiam difficilius, quam simplices curantur. Et quo complicatio major est, eo pejores sunt. Pessimæ autem, quæ *contraindicantibus* complicantur; in quibus utique ad id, quod magis urget, curando, mentem profecto Clinicus primum intendere debet.

Historia V.

Stranguriæ brevis historia, quæ sine gravi incommodo diu pervicax fuit.

DUM volumina hæc nostra Typis publicæ utilitati excuduntur, id equidem insolens, sub finem impressionis, contigit, quod morborum, qui urinæ consuetam lædunt excretionem, historiis annumerari meretur. Crœso viro cuidam perquam illustri, atque, ob spectatam præcipue probitatem, plurimum in Urbe noto, sexagenario, flantibus Austris, ac aere, ob ingentem, & quasi perennem imbrium copiam, fere semper udo, urina, postquam cutis levi refrixerat, sub finem Mensis Decembris, ex improviso penitus supprimitur. Ea suppressio ad diem decimam sextam pervicax plane extiterat, nisi quod ad guttas aliquot prioribus diebus, aut bis, aut ter in die; & die nona sub vesperam, nec non etiam per noctem variis vicibus, ad libras plures urinam egessisset. Vesica, quæ, quantum ex indiciis omnibus deprehendebatur, optime se habebat, suspicionem fecit, stranguriam in Crœso vitio renum produci; eoque magis, quia in latere dextero, leniter licet, identidem tamen gravari conquerebatur. Cæterum, nec febriebat, nec difficile respirabat, nec sitiebat, ned cibos

cibos nauseabundus fastidiebat; quinimmo in reliquis optime se habens, non aliunde, nisi quod non mingeret, se ægrotare ostendebat. In eo statu Januario Jannello Collegæ nostro, ac Praxis Medicæ cultori celeberrimo Cræsus tractandum sese commisit; cui & nos, & perquam Illustris Joannes Baptista Nucherini unus ex Archiatris pontificiis in consultationibus quotidie accessimus. Cræsus erat fortis, mediocris staturæ, bene valens, vegetus, habitus melancholici, neque aliam causam talis affectionis adducebat, nisi frigus quoddam; quod cutem extrinsecus ante stipaverat, & cæparum, quas tamen non immodice ingesserat, vim diureticam, fundentemque. Arterias in carpo, morbi principio vehementer aliquantulum ei micare percepimus, quod exuberantis sanguinis indicium nobis fecit. Hinc alvo leniter extersa, vena prius in pede, mox in brachio, ac tandem in ano, eoquod hæmorrhoides intumuerant, alternis diebus soluta fuit. Quæ res effecit, ut pulsus, sanguine imminuto, sese statim explicuisset, una & mollior evasisset. Nihilo secius urinæ interceptio contumax adhuc prosequebatur; quamobrem, & oleum amygdalarum dulcium recens cum sale tartari, & emulsiones ex seminibus violarum in aquis diureticis, & varia enemata, & juscula emollientia, & decoctiones ex baccis juniperinis paratas, & succum ex parietaria recens expressum, cum tinctura violarum, & millepedes in pollinem redactos, & fotus, & balinea, & reliqua ejusmodi propinavimus, indidimus, & adhibuimus. At plane ad diem usque nonam incassum omnia cesserunt. Sub finem autem diei nonæ, vomitu prævio, urinæ propemodum naturalis copiam ad libras plures, per varias vices, excrevit. Inde autem adeo restitit, ut ne guttulam quidem per alios dies septem integros unquam emiserit. Qua de re, ut serum urinosum in vasis intus redundans per intestina quodammodo subduceretur, syrupum florum persicorum ad uncias quatuor cum aqua tetutiana ad libras quatuor per vices mox sumenda, præscripsimus. Syrupus alvum pluries antea concitavit, vomitum subindemovit. At nihilominus nondum mingebat Cræsus. Quapropter sub vesperam ejusdem diei, quæ fuit morbi decima septima, ex communi consilio terebinthinæ cypriæ drachmas aliquot cum sale quodam, quod Romæ *ulmi* dicitur, ac pulvere millepedum in bolos redactas ingessit, cui superbibit emulsionem ex seminibus melonum in aqua communi expressam. Non multum post libere mingere cœpit. Urina, quam excrevit, nihil fere præter naturam, paucis quibusdam arenulis exceptis; præsetulit; tametsi postmodum plures calculos parvæ quidem molis, qui nullam unquam gravem ei molestiam intulerant, placidissime excluserit.

Sal præfatum, ideo *ulmi* nuncupatur, quia nihil aliud est, quam sal marinum in ligno, aut in cortice ulmi viride combustum, sive crematum, &, ut cum Chymicis loquar, potius *decrepitatum*; cui vim maximam diureticam nonnulli, quamvis fortasse inique, adscribunt.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
LIBRI PRIMI.

A

ABdomen quid, eiusque partes exteriores. Pag. 6.
Æther penes Cartesium quid. 62.
Æther inter elementa a Cartesio non recensetur, & quare. 63.
AlKali quid. 48. 52. 53.
Aneurisma quid. 130. Ejus definitio, & Diagnosis. 131. Causa. ib. Prognosis. ib. Curatio. 132.
Anima rationalis quid, & quid in homine præstet. 52. Eius vita. 53. In corpore humano agit, & quomodo. 65. 66.
Animi deliquium quid, eiusque definitio. 129. Diagnosis. ib. Causa. ib. Prognosis. ib. Curatio. 130.
Anthraces, sive carbunculi in febribus malignis quid. 96. Quomodo curentur. 97.
Aorta ascendens, & descendens. 43.
Aqua, & Terra sanguinis quid. 48.
Arteriæ quid. 12.
Arteria Aorta quid. 40.
Pneumonica quid. ibid.
Arteriæ coronariæ quid. 43.
Subclaviæ. ibid.
Axillares. 44.
Bronchiales. ibid.
Carotides. ibid.
Vertebrales. ibid.
Phrenica. ibid.
Cœliacæ. ibid.
Hæmorrhoidales. ibid.
Iliacæ. ibid.
Musculares. ibid.
Mammariæ. ibid.
Lumbares. ibid.
Meseraicæ. ibid.
Emulgentes. ibid.
Arteriarum structura, & usus. 43. Earum tunicæ quatuor. ibid. Earum trunci præcipui quid, & unde exoriantur. 40. Earum distributio quomodo differat a venarum distributione. 44.
Articulatio ossium quid, & quotuplex. 25.
Artus quid proprie, & quot. 6. Eorum divisio. ibid.
Atomi in sensu Atomistarum quid. 60. Eas reiicit Cartesius, & quare. 61.
Atrabilis, sive melancholia penes Priscos. 49.
Axillæ quid. 6.
Axiomata nonnulla ad Praxin spectantia. 57.

B

BIlis quid, & unde secernatur. 15.
Biliosæ sanguinis particulæ. 49.
Brachium quid, eiusque divisio. 7.
Bubones in febribus malignis quid. 96. Quomodo curentur. 97.

C

CAliditas quid penes Galenicos. 58.
Calor naturalis unde proveniat. 47. In mixtis tripliciter excitatur. ib.
Calvaria quid. 6.
Caput quid, ejusque partes exteriores. ibid.

Car-

Carbunculi in febribus malignis quid. 96. *Quomodo curari debet.* 97.
Carpus quid. 7.
Cartilagines parum differunt ab ossibus. 26.
Cartilago mucronata, sive ensiformis quid. 30.
Causæ morborum quid, eæque in suas classes distribuuntur. 71.
Causus quid. Vide *Febris Causus.*
Cerebrum, & cerebellum quid. 8.
Cervix quid proprie. 6.
Chirurgia quid. 73.
Choledocus ductus quid. 15.
Chylus quid. 14. *Unde elaboretur.* 15.
Claviculatio, sive Gomphosis quid. 26. *Eius varia genera. ibid.*
Clyster quid, ejusque variæ species. 76. *Ex fumo tabaci per anum immisso. ibid.*
Clysteribus an refocillari, & nutriri possit corpus humanum? ibid.
Coagmentatio, sive Harmonia quid. 26.
Collum quid. 6.
Concretio quid. 25. *Variæ concretionis species, ibid. & seq.*
Contrayerva quid, eiusque virtus in usu medico. 117.
Cor quid. 9. & 37. *Ejus figura, & magnitudo. ibid. Quibus partibus suspendatur. ibid. Eius textura.* 38. *Inter musculos recenseatur, & quare.* 42. *Eius valvulæ præcipuæ.* 41.
Cor jugiter movetur, & quæ motus causa. 42. *Admodum incerta est.* 45. *Caloris innati sedes penes Priscos, & quare.* 42.
Cordis lacerti eorumque substantia. 38. 39. *Auriculæ, & ventriculi.* 38. *Varii fibrarum ordines, eorumque munus præcipuum.* 39. *Vascula sanguifera propria. ibid.*
Cordis palpitatio quid, eiusque definitio. 125. *Diagnosis, & causa. ibid. Prognosis, & Curatio.* 126.
Corpus humanum quid. 5. *Autheris intentio ratione ejus descriptionis. ibid. Luculenter, explicatur eius definitio.* 7. *Dividitur in ventres, & artus.* 6.
Cortex Kinę Kinę quando, & quomodo prescribendus. 115. *Varię formulę, quibus prescribi potest.* 121.
Crisis gradus varii. 84. *Eius motus triplex. ibid. Conditiones optimę crisis.* 85. *Signa, eorumque distributio. ibid.*
Crus quid, eiusque divisio. 7.
Cruor in sanguine quid. 13.
Cubitus quid. 7.
Cupressus coni quid prestent in usu medico. 116.
Cuticula quid, & quis usus. 20.
Cutis quid, & quę eius textura. 21. *Eius rete nervosum, & valvulę Recentiorum. ibid. Ejus munus pręcipuum.* 22.

D

Decubitus in morbis, salutaris ut sit, quid requiritur. 86.
Dentes quid. 28. 29. *Eorum numerus, atque differentia.* 29. *Eorum radix quid. ibid. Quare, & quomodo erumpant.* 30. *Continuo crescunt. ibid. Senescentibus decidunt, & quare. ibid. Eorum usus. ibid.*
Diaphragma quid. 9., & 36. *Eius figura in extinctis gibba est, & quare. ibid. Eius foramina pręcipua. ibid. Eius substantia, & vasa.* 36. *Quomodo in vivis agat, ibid. Usus pręcipuus.* 37.
Dięta quid. 73.
Dies critici quid 86.
Digiti quid. 7. *Eorum numerus, & nomen. ibid. Eorum internodia quid. ibid.*
Ductus lymphatici, & chyliferi quid. 12.

Ecly-

E

Elysis quid proprie. 129.
Ephemera febris. Vide *Febris*.
Elementa quid. 51. *Sunt corpora simplicia*. 58. *Chymicorum*, & *Atomistarum qualia*. 60. & 65. *Quare hæc elementa revera non sunt*. *ibid. Democriti*, & *Cartesii*. 60.
Elementorum Aristotelis qualitates. 58. *Distinguuntur in activas*, & *passivas*. *ibid.*
Elementorum regiones penes Cartesium. 64. *Ejus opinio commentitia est*, & *quare*. *ibid. Variæ opiniones quomodo conciliari possunt*. 63.
Epigastrium quid. 6.
Epiploon. Vide *Omentum*.

F

Facies quid, *ejusque partes externæ*. 6.
Febris quid, *ejusque definitio in genere*. 67. *In febribus sanguis primario afficitur*, *secundario reliqui humores*. 68.
Febris Diagnosis in genere. *ibid. Causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid.* & *sequenti Curatio diætetica*. 69. *Pharmaceutica*, & *chirurgica*. 70.
Febris definitiones aliorum cum nostra comparantur. *ibid.*
Febris Ephemera quid, *ejusque definitio*. 73. *Diagnosis*. *ibid. Causa*, & *Prognosis*. 74. *Curatio*. *ibid.*
Febris synochus simplex quid, *ejusque definitio*. 77. *Diagnosis*, & *causa*. *ibid. Prognosis*, & *curatio*. *ibid.*
Febris synochus putrida, *sive fermentativa quid*. 80. *Ejus Diagnosis*, & *causa*. *ibid. Prognosis*, & *Curatio*. *ibid.*
Febris causus quid. 82. *Ejus Diagnosis*, & *causa*. *ibid. Prognosis*, & *Curatio*. *ibid.* & *seq.*
Febris Maligna quid, & *quare ita nuncupatur*. 87. *Vere maligna quid proprie*. *ibid. Ejus Diagnosis*. *ibid. Causa*. 88. *Prognosis*. *ibid. Curatio*. 89.
In Febribus malignis non semper damnanda sanguinis missio, & *quare*. 91. *Non indiscriminatim in qualibet parte emittendus*. *ibid. Sudor quomodo cito*, *blande*, *ac tuto promovendus*. 92.
Febribus malignis medendo, *medicamenta composita non reprobantur*. *ibid. Vesicantia quando conveniant*. 93. *Quando proscribenda*. *ibid. Sanguinis missio*, *vasis majoribus sectis*, *utplurimum lethalis*, & *quare*. *ibid.*
Febris maligna pestilens quid, *ejusque definitio*, & *diagnosis*. 94. *Causa*, & *Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid.* & *seq.*
Febres malignæ intermittentes quid, & *quomodo curandæ*. 113.
Febris hectica quid. 97. *Ejus gradus*. *ibid. Diagnosis*. 98. *Causa*. *ibid. Prognosis*, *ibid. Curatio*. 99. *Salitus victus pro hecticis curandis non improbatur*. 102.
Febris intermittens quid, *ejusque varia genera*. *ibid. Diagnosis*. 103. *Causa*, *ibid. Prognosis*. 104. *Curatio*. *ibid.*
Febres intermittentes compositæ, & *continuæ intermittentes*. 118. *Intermittentes per subintrantiam*. *ibid.*
Febris quotidiana simplex benigne intermittens quid, *ejusque definitio*. 105. *Diagnosis*, & *Causa*. *ibid. Prognosis*, & *Curatio*. 106.
Febris tertiana simplex benigne intermittens, *ejusque Definitio*. 108. *Diagnosis*. *ibid. Causa*. 109. *Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid.*
Febris quartana simplex benigne inter-

termittens quid, ejusque definitio, & Diagnosis. 111. Causa. ibid. Prognosis, & Curatio. ibid.
Febris lypiria quid. 121. Hemitritæos quid. ibid.
Febriles invasiones in intermittentibus quare prævio rigore excitentur. 106.
Febrium varia nomina a symptomatibus desumpta. 120. & 121. Variæ species febrium, quæ distinguuntur ratione invasionis. ibid.
Femur quid. 7.
Fermentatio quid. 50.
Fermentationis principia quot. 48.
Fibræ quid, earumque varia genera. 12.
Frigiditas quid penes Galenum. 58.

G

Glandulæ quid. 12. Earum variæ figuræ, substantia, & usus. 19. Earum ductus excretorius communis. ibid. Secernunt a sanguine humorem peculiarem. ibid. Dividuntur in vasculares, & vesiculares. 20. In conglobatas, & conglomeratas. ibid.
Generatio quomodo a vera mixtione differat. 66.
Gula quid proprie. 6.

H

Hepar quid. Ejus situs, moles, & color. 10.
Humerus quid. 6.
Humiditas penes Galenicos quid. 59.
Humores corporis humani præcipui quot. 13. Describuntur eorum motus, secretiones, & distributiones per viscera. 15.
Hygiene quid. 3.
Hypochondriorum situs. 6.
Hypogastrium quid, ejusque Regio. ibid.

I

Ilia quid, ejusque regiones. 6. Inguina quid. ibid.
Intestinorum situs. 9. 10.
Interitus, sive destructio hominis. 55.
Jugulum quid proprie. 6.

L

Larynx quid. 9. Lien quid, ejusque situs, moles, & color. 10.
Ligamentum quid, & quotuplex. 26.
Linea alba quid proprie. 34.
Lipothymia quid, ejusque curatio. 129.
Lumbi quid. 6.
Lympha sanguinis quid proprie. 14. Ad ignem admota quare concrescat. ibid. Luculentius explicatur ejus definitio. 15.

M

Manus quid. 7. Materia primi elementi in sensu Cartesiano quid. 61. secundi elementi. ibid. tertii elementi. 62.
Materiæ subtilis existentia negari non potest; & quare. 64. Ab effectibus, quos inducit, percipitur. ibid. Eius motus concitatissimus unde proveniat. 65.
Medicina quid. 1. Ejus subiectum, medium, & finis. ibid. Ratione horum, cæteris præstantior facultas est. 2. Triplex ejus classis: Empirica, Dogmatica, Methodica. ibid. quinque eius partes principes. ibid. Eius variæ definitiones a Veteribus desumptæ; ex Hippocrate, ex Herophilo apud Galenum, ex Avicenna, ex Heurnio. 3.
Medulla spinalis quid. 8.

Me-

Medulla ossium quid. 25.
Mediastinum quid. 9. & 35. *Ejus substantia, & usus*. 35.
Melancholia penes Priscos quid. 49.
Mel quid, & quid præstet in usu medico. 101.
Membranæ quid. 12. *Varia earum genera, & usus*. *ibid.*
Meninges quid. 35. *Matris nomen habent, & quare*. *ibid.*
Mens hominis in corpore agit, & quomodo. 65.
Mesenterium quid, ejusque usus. 10.
Metacarpus quid. 7.
Metatarsus quid. *ibid.*
Methodus medendi quid, & in suas classes distribuitur. 73.
Mixta tripliciter calefieri possunt. 47. *variis spiraculis pervia sunt*. 62.
Mixtio quid revera penes Chymicos. 66. *quomodo a generatione differat*. *ibid.*
Morborum principium quid. 75. *Augmentum*. *ibid. Status, & declinato*. *ibid. Distribuuntur in humorales, organicos, & mixtos*. 133.
Morborum species variæ. 56. *Eorum solutio critica*. 84.
Morbo affectus homo quando dicitur. 54.
Morbi sporadici quid. 121. *Idiopathici, & sympathici ex Veterum sententia*. 128. *Deuteropathici, & Protopathici*. *ibid.*
Mors hominis quid. 53.
Musculi quid. 12., & 16. *Eorum etymologia, structura, & usus*. 16. *Eorum partes præcipuæ componentes*. 17. *Unde color rubicundus? ibid. Exponitur eorum actio*. *ibid. Opinio Recentiorum, ratione eorum actionis*. 17. 18.
Musculi Abdominis quid, & quot. 33. 34. *Eorum munus præcipuum*. 34. *Variæ eorum species*. 33. *Eorum distributio*. 34.
Musculorum variæ denominationes, ratione eorum figuræ, & muneris. 18. *Digastrici, & bicipites quid*. *ib. Antagonistæ, seu contranitentes*. *ib.*

N

Nates, sive clunes quid. 6.
Nervi quid. 12.

O

Occiput quid. 6.
Oesophagus quid, ejusque orificia. 10.
Oleum amygdalarum dulcium quid præstet in usu medico. 117. *Utrum acidum revera sit*. 118.
Omentum quid. Ejus situs, & figura. 10.
Ossa quid 24. *Eorum differentia*. 25. *Medulla replentur, & quare*. *ib. Fracta iterum coalescunt, & quomodo*. 28. *Eorum munus*. 27. *Numerus*. 26. *Pluribus gaudent Pueri, quam Adulti, & quare ib. Varie articulantur*. *ib. Eorum apophyses, & epiphyses*. *ib.*
Ossa cranii propria 28. *Eorum processus*. *ibid. Frontis quot*. *ibid. Sincipitis*. *ibid. Occipitis*. *ibid. Temporum*. *ibid. Petrosa quid, eorumque processus*. *ibid.*
Ossa cranii communia. *ibid. Basilare, Cuneiforme, sive Sphenoides*. *ib. Cribriforme, sive Ethmoides*. *ibid.*
Ossa Maxillarum, eorumque processus. *ibid. Hyoides, sive bicorne*. 30.
Ossa Trunci quot. *ib. Costæ, sive pleuræ quid*. *ib. dividuntur in spurias, & legitimas*. *ib. Sternum quid*. *ibid. Scapulæ, sive Homoplatæ*. *ib. Vertebræ quid, earumque distributio*. *ib. Clavículæ, earumque figura, & situs*. 31. *Coccygis os quid*. 30. *Iliaca quid, eorumque situs*. 31. *Coxendicis*. *ib. Ischia*. *ib. Pubis, sive pectinis*. *ibid.*
Ossa Artuum. *ib. Cubitus, eorumque processus*. 32.
Ossicula manus. *ib. Carpi, Metacarpi, & Digitorum*. *ibid.*
Ossa Femoris. *ibid. Tibiæ, & pedis extremi quid, & quot*. 32. 33.
Ossa Sesamoidea quid. 33.

P

Pancreas quid, ejusque figura, color, & situs. 10.
Palpitatio cordis quid, & quomodo curetur. 125.
Panniculus adiposus quid. 13. *Ejus substantia & situs in corpore humano.* 23. *Ejus usus.* 24.
Panniculus carnosus, ejusque situs. 24. *Munus. ibid.*
Partes componentes corporis organa quid. 11. *dividuntur in solidas, & fluidas. ibid. Fluidæ quid. ibid. solidæ. ibid. Rursus dividuntur in duras, & molles. ibid. Similares, & dissimilares.* 13. *Organicæ, & inorganicæ quid. ibid. Spermaticæ, & sanguineæ penes Veteres. ibid. Assignatur earum discrimen. ibid.*
Pathologia quid. 2.
Pedes quid. 7.
Perinæum quid. 6.
Pericranium quid. 25.
Peritonæum quid. 9. & 35. *Ejus duplicatura, & processus.* 35. *Viscera omnia includit.* 36.
Periosteum quid. 25.
Pericardium quid, ejusque substantia. 37. *Munus præcipuum.* 38. *Humore intus repletur, & unde proveniat. ibid.*
Pharynx quid. 10.
Pharmacia quid. 73.
Physiologia quid. 2.
Pili quid, eorumque varia genera. 22. *Eorum partes, & vascula sanguifera. ibid. Eorum usus. ibid. Quomodo nutriantur.* 23.
Pituita in sanguine apud Veteres quid. 49.
Pleura quid. 9. & 35.
Polypus quid. 121. *Nominis variæ significationes. ibid. De quo agatur in hoc Tractatu. ibid.*
Polypi cordis definitio. 122. *Diagnosis. ibid. Causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio.* 123.
Polypo affecti, in motu sese exercentes, lipothymia corripiuntur, & quare. 124.
Polypos concrescit in corde post mortem tantum, falsum est. 125. *In venis facilius, quam in arteriis concrescunt, & quare. ibid.*
Pubes quid, ejusque etymologia. 6.
Pulsus quid, ejusque conditiones. 78. *Compositus quid.* 79. *Intermittens. ibid. Intercurrens, sive intercidens. ibid. Deficiens. ibid.*
Pylorus, sive Janitor quid. 10.

R

Radius, sive focile minus quid. 32.
Renes quid. 11.
Res nonnaturales quid, & quot. 57.
Rete. Vide *Omentum.*

S

SAL quid proprie, ejusque varia genera. 51.
Sal artificiale quid, & quotuplex. ibid. Ex quo illud educunt chymici. ibid.
Salia naturalia, eiusque variæ species. ibid. Ex quo potissimum eliciuntur. ibid.
Sanguis quid. 15. *Ejus partes præcipuæ componentes.* 13., & 48. *stricte sumptus quid.* 49.
Sanguinis principia penes Galenicos. 49. *Penes chymicos. ibid. Horum sententiæ non reprobantur.* 48.
Sanguinis motus circularis. 40. *Ejus constitutio, eiusque triplex motus.* 46. *Fermentativus. ibid. Fluoris. ibid. Progressionis. ibid.*
Sanitas corporis humani quid. 54. *Quomodo conservanda.* 57.
Sanus homo quando dicitur. 54.
Sceleton quid. 27.
Scrobiculum cordis quid. 6.
Semiotice quid. 3.
Serum sanguinis quid. 13. *Ad ignem admotum concrescit, & quare. ib.*

Sic-

Siccitas penes Galenicos quid. 59.
Signa morborum quid, eorumque distributio. 70. 71.
Signorum varia genera, ratione prognosis morborum. 72.
Sinciput quid. 6.
Spiritus animales quid. 14. *Differunt a succo nerveo*. *ibid. Luculentius explicatur eorum definitio*. 15.
Sternum quid. 30.
Succus pancreaticus quid. 14. 15.
Sura quid proprie. 7.
Sutura quid, & quotuplex. 25. *Explicantur ejus varia genera*. 26.
Symptoma quid. 72.
Syncope quid proprie. 129.
Synovia ossium quid, & quis usus. 27.

T

Tarsus quid. 7.
Tempora quid. 6.
Temperamentum, sive corporis humani constitutio ex Galeno quid, & quotuplex. 56.
Thorax quid, ejusque partes exteriores. 6.
Therapeutice quid. 3.
Thymus quid. 45. *ejus structura, & usus*. *ib. Utrum glandula sit*. *ib.*
Tibia quid proprie. 7.
Truncus, ejusque ossa. 30.

V

Valvulæ quid, earumque usus. 12. *Exponitur earum structura, & munus exemplo follis*. *ibid.*
Valvulæ cordis, earumque varia nomina. 41. *Sygmoides, earumque numerus, & situs ibid. Tricuspides quid, & quot*. 42.
Varix quid, ejusque definitio, & Diagnosis. 132. *Causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid.*
Vasa quid proprie, & quotuplicis generis. 12.
Vasa, sive ductus lymphatici quid. *ib.*
Venæ quid. *ibid. Pulsu carent, & quare*. 43. *Earum structura, & usus*. *ibid. Earum tunicæ quatuor*. *ibid. Earum trunci præcipui*. 40. *Unde exoriantur*. *ibid.*
Vena cava quid. *ibid. Pneumonica ibid.*
Venæ lacteæ, sive ductus chyliferi quid. 12.
Vesicæ urinariæ situs in utroque sexu. 11.
Vesiculæ seminales quid, earumque situs. *ibid.*
Vertex quid. 6.
Viscera quid, eorumque situs in genere. 7. 8.
Vita corporis humani materialis quid. 52., & 55. *Animæ rationalis ibid. Hominis*. *ibid. Tripliciter in homine distinguitur*. 54.

U

Ulna, sive focile majus quid 32. *Ungues quid, & quot eorum partes*. 23. *Eorum substantia, & usus*. *ib. Quomodo nutriantur ib.*
Ureteres quid, eorumque situs. 11.
Urethra quid. *ibid.*
Uterus, ejusque partes adnexæ quid. *ibid.*

Z

Zirbus. Vide *Omentum*.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

LIBRI SECUNDI.

A

AER *montanus, & subtilis phthisicis, & hæmoptoicis plurimum confert. pag. 272.*

Angina quid, ejusque definitio. 280. Dividitur in veram, & spuriam. ibid. Ejus diagnosis, & causa. 281. Prognosis. ibid. Curatio. ibid.

Angina pituitosa quid fuit penes Priscos. 282.

Anastomosis quid. 236.

Anorexia quid, ejusque definitio, & diagnosis. 207. Ejus causa ibid. Prognosis, & Curatio. 208.

Apoplexia quid. 144. Ejus diagnosis. ibid. Causa. 145. Varie dividitur. ibid. Prognosis. ibid. Curatio. 146.

Apoplexiam lympha in cerebro collecta inducit, & quomodo. 149. Sanguinis copia eam licet inducere possit, difficile tamen mors inde repentina sequitur. 150. Distinguitur in fortem, & debilem, sive imperfectam. ibid.

Apoplexiæ discutiendæ non semper convenit sanguinis missio. ibid.

Apoplecticis, quibus in casibus extrinsecus fortiora remedia adhibenda sunt. 151. Graviter olentia, graviter quandoque ledunt apoplecticos. ibid.

Aqua calcis vivæ quid præstet in usu medico. 318. Quomodo paretur. 319.

Aqua Tetutiana quid, ejusque usus, & facultates. 210. Dysentericis præcipue plurimum confert. ibid.

Aqua Villensis quid, & quid præstet in usu medico. 318.

Arteriæ bronchiales quid. 255.

Arteriotomia pro morbis prostigandis inutilis censetur. 179.

Asthma quid, ejusque definitio. 274. Variæ ejus species, & nomina peculiaria. ibid. & seq. Ejus diagnosis, & causa. ibid. Prognosis. 275. Curatio. 276. Per varios Lunæ motus recrudescere, & recurrere solet. ibid. Blande urinam movere juvat. 277. Fortiora emetica, & diuretica omnino improbantur, & quare. 278.

Aurum quomodo denominetur a Chymicis. 321. Ejus vires, & facultates in usu medico. ibid.

B

BAlnea non calida, sed tepentia adhibenda sunt. 174.

Balnea aquæ dulcis diarrhœam quandoque sistunt. 227.

Bilis quid proprie, ejusque differentia. 287. Quæ colligitur in vesica fellea an fluidior hepatica. 288. Non omnis ab hepate deducitur in intestina 293. Ejus usus. ibid.

Bulimus quid, ejusque diagnosis, causa, prognosis, & curatio. 214.

C

CAsse quid præstet in usu medico, ejusque descriptio. 274.

Calculus dum renes affligit quid præstandum sit. 316. Vide Nephritis.

Camphora, ejusque usus in Re medica. 296. Ejus differentiæ. 297. Ejus dosis. ibid.

Cardialgia quid, ejusque definitio, 220. Ejus diagnosis, & causa. ibid. Prognosis, & curatio. ibid. & seq.

In

Hypocausta, & vaporaria pro curanda paralysi improbantur, & quare. 156.

Hypochondriaca affectio quid, ejusque definitio. 193. *Diagnosis, & causa.* 193. 194. *Prognosis, & curatio.* 194. *Pars affecta in hypochondria Veteribus assignata non semper improbanda.* 195. *Remedia, quæ proponuntur sunt admodum incerta.* 201.

I

ICteritia quid, ejusque definitio, & nomina varia. 297. *Diagnosis. ibid. Causa.* 298. *Prognosis. ibid. Curatio. ibid.*

Ictericis sanguinis missio quando conveniat. 300. *Color flavus unde proveniat. ibid.*

Ictericus quidam potione gelida sumpta statim convaluit. ibid. & seq.

Jecur. Vide *Hepar.*

Iliaca affectio quid, ejusque definitio, & diagnosis. 242. *Ejus causa, & prognosis.* 242. 243. *Curatio.* 243.

Incubus quid. 181.

Intestina quid proprie, eorumque descriptio. 200. *Dividuntur in tenuia, & crassa. ibid. Describitur intestinum duodenum. ibid. Describitur Jejunum, & Ileum. ibid. Colon.* 201. *Cæcum penes Recentiores quid.* 202. *Describitur rectum. ibid.*

Intestinorum valvulæ conniventes quid, earumque detectio. 201. *Valvula Bahuini quid. ibid. Vasa intestinorum peculiaria.* 202.

Intestinorum pressio, & contractio unde. 203.

Insomnia quomodo inter dormiendum suscitentur. 177.

Ipecacuanhæ radix, ejusque historia. 226.

Ischuria quid. 319. *Ejus descriptio, causa, & prognosis.* 320.

L

LAC ingestum tenuiores facit humores. 268. *Tabidis cur propinetur. ibid. Quod iis crassitudinem impertiatur falsum est. ibid. Ejus essentia quid. ibid. Quid de ejus usu sentiat Morellus. ibid.*

Laryngis musculi tresdecim enumerantur. 254. *Describuntur quatuor communes. ibid. Describuntur reliqui novem proprii. ibid.*

Lethargus quid, ejusque definitio. 174. *Ejus diagnosis, causa, & prognosis.* 175. *Curatio. ibid.*

Lethargicos torquere, ut excitentur improbatur. 176.

Lien quid proprie, ejusque descriptio. 291. *Ejus figura, & color. ibid. Ejus situs, ibid. Ejus tunicæ.* 292. *Cellulæ, & glandulæ lienares quid. ibid. Ejus vasa peculiaria. ibid. Vasa nonnulla sanguifera in ejus cellulas debiscunt. ibid. Ejus usus. ibid.*

Lienis inflammatio, obstructio, & scirrhus quid. 301. *Diagnosis. ibid. Causa, & prognosis, ibid. Curatio.* 302.

Lienteria quid, ejusque definitio. 227. *Ejus diagnosis, & causa. ibid. Prognosis, & Curatio. ibid. & seq.*

Lycanthropia quid, & quomodo curari debet. 187.

Lythiasis quid. 314. *Ejus diagnosis, & prognosis. ibid. Curatio.* 315.

M

MAlacia quid, ejusque curatio. 214. *Quæ appetuntur in malacia, quamvis non congrua videantur, non sunt interdicenda, & quare.* 216.

Mania quid, ejusque definitio, & diagnosis. 171. *Causa, & prognosis.* 188. *Curatio. ibid.*

Maniam quomodo excitari opinetur Galenus. 190.
Margaritæ quare ægrotantibus præberi quandoque possunt. 186.
Medicamentum quid proprie. 157. *Triplici sensu accipitur a Scriptoribus*. *ibid. Variæ medicamentorum classes*. 158.
Medulla oblongata quid. 140. *Ejus radices quatuor*. *ibid. Anteriores opticorum thalami dicuntur*. *ibid. Posteriores testes*, *& nates formant*. *ibid. Origo nervorum omnium censetur*, *& quare*, *ibid. & seq.*
Melancholia affectio quid, *ejusque definitio*, *& diagnosis*. 192. *Causa*, *& prognosis*. *ibid. & seq. Curatio*. 193.
Meninges quid, *earumque divisio*. 2.
Meninx crassa quid. 2. *Ejus substantia*, *& sinus quatuor præcipui*, *eorumque usus*. 136. *Torcular quid*. *ibid. Jugiter movetur motu veluti systoles*, *& diastoles*. 137. *Ejus usus*. *ibid.*
Meninx tenuis, *ejusque substantia*, *& usus*. *ibid.*
Mesenterium quid proprie, *ejusque descriptio*. 203. *dividitur in meseræum*, *& mesocolon*. *ibid. Vasa*, *& glandulæ mesenterii peculiares*. *ibid.*
Mesenterii affectiones, *earumque causæ*, *& curationes*. 249. *Quomodo præcipue dignosci possunt*. 250.
Mictus cruentus, *& purulentus*, *quid*, *eorumque causa*, *& prognosis*. 316. *Curatio*. 317.
Motus convulsivi, *sive tremores quid*, *& unde proveniant*. 166.
Myrobalani quid eorumque natura, *& species variæ*. 229. *Fluxibus alvi universis sedandis apprime conducunt*. 230.

N

Nausea quid, *ejusque definitio*. 211. *Ejus diagnosis*, *& causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. 212.
Nephritis quid, *ejusque definitio*. 312. *Diagnosis*. *ibid. Causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid. Quomodo a colica distinguatur*. 313.
Nervi quid. 140. 141. *duplici vestiuntur meninge*. *ibid. Distribuuntur in duplicem classem*. 141. *Primæ classis quot*. *ibid. A medulla oblongata egrediuntur*. *ibid. Secundæ classis quot*. *ibid. A medulla spinali ortum ducunt*. *ibid. Eorum munus*. *ibid.*
Nitrum quid præstet in usu medico, *& quid per nivem gelidis conferat*. 187.

O

Œsophagus quid proprie, *ejusque descriptio*. 197. *Ejus præcipui parietes*. *ibid. Organici sunt*, *& quare*. *ibid. Ejus vasa*. 198. *Musculi peculiares quot*, *eorumque nomina propria*. *ibid.*
Omentum quid proprie, *ejusque descriptio*. 290. *Ejus nomina varia*, *situs*, *& figura*. 291. *Ejus vasa peculiaria*. *ibid. Ejus usus*. *ibid.*
Ortopnœa quid proprie. 274.

P

Pancreas quid proprie, *ejusque descriptio*. 290. *Ejus figura*, *& situs*. *ibid. Ejus ductus communis virsungianus*. *ibid. Ejus vasa præcipua*. *ibid. Ejus munus*. *ibid.*
Paralysis quid, *ejusque definitio*. 151. *Ejus diagnosis*, *& causa*. 152. *Prognosis*. 153. *Curatio*. *ibid. Varie ab Auctoribus describitur*, 155. *Eam hypocaustis*, *vaporariis &c. curare res est plena periculi*. 156.

Pe-

Pedum refrigeratio intempestiva quamplurimas gignit affectiones, & quare. 247. 248.
Peripneumonia quid ejusque definitio. 257.
Pica quid ejusque diagnosis, causa, prognosis, & curatio. 214.
Phrenitis quid, ejusque definitio. 183. Diagnosis, & causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio. 184. Quid proprie phrenitis significet. 186.
Phthisis quid, ejusque variæ definitiones. 269. Ejus diagnosis, & causa. ibid. & seq. Prognosis 270. Curatio. ibid. Victus crassus omnino damnatur, & quare. 272. Plurimum contra confert aer subtilis & montanus. ibid.
Pleuritis quid, ejusque definitio. 257. Promiscue sumitur quandoque pro peripneumonia, & quare. ibid. Ejus diagnosis. ibid. Dividitur in ascendentem, & descendentem. ibid. In veram, & spuriam. 258. Ejus causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio. ibid.
Pleuritide interemptis pulmones quoque inflammati reperti sunt. 257. Quid judicandum sit de præsidiis antipleuriticis pro curanda pleuritide. 260. Alvum solvendi abusus in pleuritide unde proveniat. 261. Vesicantia non semper damnanda. ibid. & seq.
Posca faucium inflammationem aut lenit, aut discutit. 284. Quomodo præscribatur. ibid.
Ptyalismus quid, ejusque definitio. 303. In spleneticis utplurimum excitatur, & quare. ibid.
Pulmones quid, eorumque descriptio. 252.
Pulmonum substantia quid. 254. In fœtu rubicundissima est, & quare. 255. Eorum vasa peculiaria. ibid. Eorum usus. ibid.
Pulmones, respectu respirationis, quid præstent. 256. Se habent mere passive, & quare. ibid.

R

Rabies ex morsu rabidorum contracta quid, & quomodo curanda. 190.
Radices cannarum montanarum, & tragopogonos eumdem præstant effectum cum radice chinæ. 273.
Radix Ipecuacanha quid, & quomodo propinanda sit. 226.
Pro diarrhœa, & dysenteria curanda optimum remedium. ib. Ejus dosis, & præscribendi modus 226. Ejus inventor. ibid.
Renes quid proprie, eorumque situs, & descriptio 304. Eorum pelvis quid. ib. Eorum tunicæ propriæ. ibid. Eorum substantia glandosa. ibid. Eorum vasa peculiaria. 305. Eorum usus. ibid.
Renes succenturiati quid, eorumque varia nomina. 307. Eorum substantia. ibid. Eorum usus. ibid.
Respiratio fit inspiratione, & expiratione. 255. Quomodo peragatur. ib.
Rhexis quid. 236.

S

Sanguis pulmones ingressus immutatur, & quare. 256.
Sanguinis excretio per os, unde profluat, & quomodo dignoscatur. 266.
In sanguine educto quid judicandum sit de crusta fungosa. 283.
Sanguis hircinus, & leporinus in inflammationibus propinatus quid præstet. 297.
Sensorium commune quid. 140.
Sensus in corpore humano fiunt per membranas, quemadmodum motus per musculos. 155.
Siccitas, & humiditas ratione nutritionis quid sonet in sensu Galeni, & Avicennæ. 205.
Somnus, & vigilia quid, & unde proveniant in corpore humano. 177.
Soporosi affectus, organici licet, facilius solvuntur, quam humorales. 178. Ex Musitano quomodo ab invicem distinguantur. ibid.

Spas-

Spasmus. Vide *Convulsio*.
Spermaceti quid, *ejusque usus*, & *abusus in Re medica*. 296. *Ejus dosis*. 297.
Spirituum animalium secretio ubi peragatur penes Recentiores. 140. *Eorum sedes præcipua*. 143.
Spiritus vini usus pro inflammationibus curandis quid præstet. 283. *Quid sit*. 284. *Ejus abusus*. *ibid.*
Splen. Vide *Lien*.
Succus pancreaticus quid, *ejusque munus in corpore humano*. 290.

T

Tenesmus quid, *ejusque definitio*, & *causa*. 237. & 238.
Terebinthina quid, *ejusque variæ species*. 317. *Ejus usus*, & *abusus*. *ibid.* *Variæ ejus formulæ*, & *præscribendi modus*. 318.
The quid præstet in usu medico. 274.
Trachea quid, *ejusque descriptio*. 252. *Ejus cartilagines præcipuæ*. *ibid.* *Ejus membranæ tres*. 253. *Ejus vasa*, & *usus*. *ibid.* *Describuntur singulæ ejus capitis cartilagines*. 254. *Describitur thyroides*, *sive scutiformis*. 253. *Cricoides*, *sive annularis* 254. *Arytænoides*. *ibid.* *Epiglottis*. *ibid.*
Tussis quid, *ejusque definitio*, & *differentiæ*. 278. *Ejus causa*. *ibid.* *Prognosis*. 279. *Curatio*. *ibid.* *Exponuntur nonnulla*, *quæ ad tussim sistendam mirifice conducunt*. 280.

V

Vasa lactea, *sive ductus chyliferi quid proprie*, *eorumque descriptio*. 203. *distribuuntur in primi*, *secundi*, & *tertii generis*. 204.
Vas breve Veterum quid proprie. 289.
Vena porta quid, *ejusque situs*. 288. *Tum origine*, *tum munere differt a reliquis venis*. *ibid.* *Describuntur ejus truncus*, & *propagines*. *ibid.* *Ejus munus præcipuum*. 289.
Ventriculus quid proprie, *ejusque descriptio*. 198. *Ejus peculiaria orificia*, *ejusque structura*. 199. *Crusta*, *sive tunica villosa quid*. *ib.* *Vasa præcipua*. *ibid.* *Usus*. *ibid.* & *seq.*
Vertigo, *ejusque etymologia*, *definitio*, & *variæ species*. 158. *Ejus diagnosis*. 159. *Causa*, & *prognosis*. *ibid.* & *seq.* *Curatio*. 160. *Jugularibus compressis quandoque excitatur*, & *quare*. 162. *Veterum opinio vertiginem per vapores explicantium*. 163.
Vesica urinaria quid proprie, *ejusque descriptio*. 306. *Ejus situs in utroque sexu*. *ibid.* *Ejus sphincter*, *ibid.* *Ejus parietes peculiares*. *ibid.* *Ejus vasa*. *ibid.* *Usus*. *ibid.*
Vinum quandoque optimum in morbis aliquibus extenuandis. 182. *Ejus spiritus resistit potius alimentorum digestioni*, & *quare*. 210.
Vomica quid, *ejusque definitio*, & *diagnosis*. 263. *Causa*. *ibid.* *Prognosis*, & *curatio*. *ibid.*
Vomitus quid, *ejusque definitio*, & *diagnosis*. 217. *Ejus causa*, & *prognosis*. *ibid.* *Curatio*. *ibid.* *Ut plurimum est salutaris*, & *quando*. 218. *Navigantibus unde proveniat*. *ibid.*
Vomitus sanguinis quid, *ejusque causa*. 219. *Ejus prognosis*, & *curatio*. *ibid.*

U

Urachus quid. 306.
Ureteres quid proprie, *eorumque descriptio*, & *situs*. 305. *Eorum vasa peculiaria*. *ibid.* *Eorum insertio in vesicam urinariam*. *ibid.* & *seq.*
Urethra quid, *ejusque granum hordeaceum*. 306.

Uri-

Urina quid proprie, ejusque definitio, & differentiæ. 308.
Urinæ partes componentes penes Chymicos. 308. *Ejus contenta quid, eorumque differentiæ.* 309. *quomodo congerantur. ibid. Quid indicare solent. ibid. Quomodo secundum naturam variare possunt.* 310.
Urinæ copia immodica tempore hyemali unde proveniat. 322.
Urinam inspicienti quid observandum sit. 311. *Calor extrinsecus ad statum naturalem reddit urinas frigore immutatas, ibid.*

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
LIBRI TERTII.

A

ABortus quid, ejusque descriptio pag. 375. *Quomodo differat a vero partu. ibid. Imminens quomodo dignoscatur.* 376. *Ejus causa. ibid. Quid præstandum in curatione ibid. & seq.*
Abortientes quomodo, & quando periclitari possunt. 376.
Abortum nil satius prohibet, quam opportuna sanguinis missio. ibid. & seq.
Abscessus quid. 433.
Adnata, sive conjunctiva oculorum tunica quid. 325. *Ejus morbi: Ophthalmia* 327. 328. *Pterygium.* 329. *Pannus, ibid.*
Affinitas inter fœtum, & prægnantem unde proveniat. 374.
Allantoides quid. 369.
Amaurosis. Vide *Gutta serena.*
Amnion quid. 368.
Anasarca quid. 412.
Aphonia quid. 340.
Aphthæ quid, earumque curatio. 399.
Apostema quid, ejusque variæ species. 433.
Aquæductus Fallopii in Auribus quid, ejusque usus. 333.
Arteriæ spermaticæ quid. 342.
Arthritis quid, & quomodo differat a rheumatismo. 332.
Ascites quid. 416.
Atrophia quid. 418. *Ejus curatio.* 419.
Aures quid proprie, earumque partes exteriores, 331. *Interiores.* 332. *Eorum vasa, & usus.* 333. *Enumerantur eorum variæ affectiones.* 334.
Auriculæ quid proprie. 331. *Earumque partes.* 332. *Earum usus. ibid.*

B

BLæsitas quid. 340.
Bulbus, sive Gemma oculorum quid, ejusque partes. 325. Vide *Oculus.*

C

CAchexia quid. 416.
Cachexiam quomodo aliquando subducat sanguinis missio. 368.
Cacochymia quid. 416.
Calx ferri quid. 366.
Cancer quid. 434.
Canthi oculorum quibus affectionibus sint obnoxii. 331.
Carunculæ myrtiformes, quid, earumque descriptio. 354.
Cataracta, sive suffusio quid. 330.
Catarrhus quid, ejusque definitio. 440. *Variæ ejus species, & denominationes.* 441.

Ce-

Cephalalgia quid, & quomodo solvatur. 352. *Ejus variæ species. ibid.*
Chiragra quid. 419.
Chirurgicæ animadversiones, ratione tumorum, abscessuum, externarumque inflammationum. 434.
Chlorosis quid, ejusque definitio, & variæ denominationes. 364. *Eius diagnosis. ibid. Causa, ibid. Prognosis, & Curatio. Ibid.*
Chorion quid. 368.
Circocele quid, ejusque descriptio. 351.
Claustrum veneris an reperiatur in fœminis. 354.
Clitoris quid. 353.
Colostrum quid, variæque ejus denominationes. 388.
Conceptio quid proprie. 372. *Veterum sententiæ circa conceptionis modum. ibid. Recentiorum. ibid. Ovaristarum.* 373. *Quomodo penes Ovaristas contingat incrementum, & ortum infantis. ibid.*
Contusiones aqua frigida inspergendæ. 435.
Cornea, sive sclerotis quid. 325. *Ejus morbi: crassities, nebula, albugo, pustulæ, & hypopion quid.* 329.
Corpora pampiniformia, sive pyramidalia quid. 342.
Cremasteres musculi quid. ibid.
Crocus martis aperiens quid, & quomodo eliciatur. 366.
Crocus martis adstringens quid, & quo pacto paretur. 367. *Ejus dosis, & usus. ibid.*

D

Dartus in scroto quid. 346.
Dentes quare infantibus semel excisi iterum renascantur. 396. *Senescentibus quare excidant. ibid.*
Dentitio difficilis quid proprie, ejusque definitio. 394. *Eius differentia, & diagnosis.* 395. *Causa, & prognosis. ibid. Curatio.* 396.

E

Elephantiasis quid. 431. *Ejus curatio.* 432.
Epididimes quid. 342.
Epilepsia infantum quid, & quomodo curetur. 397.
Erysipela quid. 433. *Ejus variæ species.* 434.

F

Febris alba mulierum quid. 364. *Febres, cæterasque affectiones, solidarum partium vitio semper exoriri, falsum.* 434.
Ferrum quid præstet in usu medico, & quomodo propinetur. 366. *Magis idoneum est in usu medico, quam chalybs, & quare.* 367.
Fistula lacrymalis quid. 331.
Fluor mulierum albus quid proprie, eiusque descriptio. 360. *distinguitur in benignum, & malignum. ibid. Ejus causa, prognosis, & curatio.* 361.
Fœtus, ejusque partium anatomes. 368. *Quomodo nutriatur in utero.* 369. *Quomodo in utero vivat.* 370. *Foramina peculiaria eius corculi.* 369. *Hi, respirante fœtu, occluduntur, & quare.* 370. *Ejus sanguinis circulatio.* 369.
Fœtus quomodo excludatur in puerperio. 371. *Quo pacto pariundi nisus provocet. ibid. Quare nascendo caput edat prius.* 374.
Fœtus in utero mortuus qualia præbeat indicia. 383. *Quomodo in hoc casu ei occurrendum.* 384.
Foramen ovale fœtus quid. 370.
Funiculus sive ligamentum umbilicale fœtus quid. 369. *Nervos utrum habeat. ibid.*
Furor uterinus, quid, ejusque descriptio, & curatio. 373.

Gan-

G

GAngræna quid. 434.
Generatio. Vide Conceptio.
Glandulæ lacrymales quid, earumque vascula excretoria. 325.
Glandulæ salivales quid, earumque situs. 339. Earum usus. ibid.
Glandulæ maxillares quid. ibid. Earum structura, situs, & usus. ibid.
Glandulæ sublinguales quid, earumque descriptio, & usus. ibid.
Glandulæ vaginæ uteri quid, earumque descriptio. 354.
Gonagra quid. 419.
Gonorrhœa quid, ejusque definitio, & diagnosis 346. dividitur in veram, & notham. ibid. Veræ causa, & prognosis. ibid. Curatio. 347.
Gonorrhœæ benignæ symptomata quid. ibid.
Gonorrhœa notha, sive spuria quid, ejusque definitio, & diagnosis. 348. Causa. ibid. Prognosis. 349. Curatio. ib.
Gonorrhœam erodentibus medicamentis curare, pessimum. 351. In exordio numquam sistenda, & quare. ibid.
Gonorrhœa muliebris quid proprie, ejusque descriptio. 361. Quomodo curetur. ibid.
Granum hordeaceum quid, ejusque descriptio. 343.
Gutta serena quid. 331.
Gummata gallica quid, & quomodo curari debent. 427.

H

HErnia quid, ejusque variæ species. 351.
Herpes miliare, & serpigo quid. 433.
Hydrocele quid, ejusque descriptio. 351.
Hydrocephalus quid. 416.
Hydrops quid, ejusque definitio. 412. Causa. ibid. Prognosis. 413. Curatio. ibid.
Hydropicorum sitis expleri nequit, & quare. 415.
Hydropicis medicamentis exiccantibus occurrere reprobatur. ibid.
Paracentesis utrum conferat. ibid.
Hydropem vini abusus excitat. ibid.
Hydrops pectoris, aut pulmonum quid. 416.
Hypenemia quid. 371.
Hysterica passio quid, ejusque descriptio, & variæ denominationes. 362. Ejus diagnosis. ibid. Prognosis, & Curatio. 363.

I

IChor quid proprie. 436.
Icterus quid. 416.
Impotentia virilis quid, ejusque causa. 352.
Inflammatio quid proprie. 433.
Intertrigo quid, ejusque curatio. 400.
Ischiades quid. 419.
Ischiade affectis luxatur quandoque caput femoris, & quare. 420. Partem affectam inurere quid præstet. 421.

L

LAc quare sub finem gestationis augeatur in mammis. 386. Quomodo dignoscatur, an proli optime nutriendæ sit idoneum. 389. Quales exigit conditiones. 390.
Lactumen quid, & quomodo infantibus accidat. 400.
Lacunæ quid. 354.
Lepra quid, ejusque species. 431. Ejus curatio. 432.
Lingua quid proprie, ejusque descriptio. 336. 337. Ejus frenulum, & membranæ præcipuæ. 337. Ejus substantia interior. ib. Ejus musculi peculiares. ib. Eorum nomina propria, & munus. 338. Ejus usus. ibid.
Linguæ affectiones variæ: frænum, ranula, fissuræ, aphonia, blæsitas. 340.
Lipodermus quid. 352.
Lochia quid proprie. 371. Eorum excretionis modus, & tempus in puerperio. 372. Excretionis necessitas unde. ib. Prætermodum fluentia quomodo sistenda. 382. Si mature sistan-

P

Pancreas quid, ejusque figura, color, & situs. 10.
Palpitatio cordis quid, & quomodo curetur. 125.
Panniculus adiposus quid. 13. *Ejus substantia & situs in corpore humano.* 23. *Ejus usus.* 24.
Panniculus carnosus, ejusque situs. 24. *Munus. ibid.*
Partes componentes corporis organa quid. 11. *dividuntur in solidas, & fluidas. ibid. Fluidæ quid. ibid. solidæ. ibid. Rursus dividuntur in duras, & molles. ibid. Similares, & dissimilares.* 13. *Organicæ, & inorganicæ quid. ibid. Spermaticæ, & sanguineæ penes Veteres. ibid. Assignatur earum discrimen. ibid.*
Pathologia quid. 2.
Pedes quid. 7.
Perinæum quid. 6.
Pericranium quid. 25.
Peritonæum quid. 9. & 35. *Ejus duplicatura, & processus.* 35. *Viscera omnia includit.* 36.
Periosteum quid. 25.
Pericardium quid, ejusque substantia. 37. *Munus præcipuum.* 38. *Humore intus repletur, & unde proveniat. ibid.*
Pharynx quid. 10.
Pharmacia quid. 73.
Physiologia quid. 2.
Pili quid, eorumque varia genera. 22. *Eorum partes, & vascula sanguifera. ibid. Eorum usus. ibid. Quomodo nutriantur.* 23.
Pituita in sanguine apud Veteres quid. 49.
Pleura quid. 9. & 35.
Polypus quid. 121. *Nominis variæ significationes. ibid. De quo agatur in hoc Tractatu. ibid.*
Polypi cordis definitio. 122. *Diagnosis. ibid. Causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio.* 123.
Polypo affecti, in motu sese exercentes, lipothymia corripiuntur, & quare. 124.
Polypos concrescit in corde post mortem tantum, falsum est. 125. *In venis facilius, quam in arteriis concrescunt, & quare. ibid.*
Pubes quid, ejusque etymologia. 6.
Pulsus quid, ejusque conditiones, 78. *Compositus quid.* 79. *Intermittens. ibid. Intercurrens, sive intercidens. ibid. Deficiens. ibid.*
Pylorus, sive Janitor quid. 10.

R

Radius, sive focile minus quid. 32.
Renes quid. 11.
Res nonnaturales quid, & quot. 57.
Rete. Vide *Omentum.*

S

Sal quid proprie, ejusque varia genera. 51.
Sal artificiale quid, & quotuplex. ibid. Ex quo illud educunt chymici. ibid.
Salia naturalia, eiusque variæ species. ibid. Ex quo potissimum eliciuntur. ibid.
Sanguis quid. 15. *Ejus partes præcipuæ componentes.* 13., & 48. *stricte sumptus quid.* 49.
Sanguinis principia penes Galenicos. 49. *Penes chymicos. ibid. Horum sententiæ non reprobantur.* 48.
Sanguinis motus circularis. 40. *Ejus constitutio, eiusque triplex motus.* 46. *Fermentativus. ibid. Fluoris. ibid. Progressionis. ibid.*
Sanitas corporis humani quid. 54. *Quomodo conservanda.* 57.
Sanus homo quando dicitur. 54.
Sceleton quid. 27.
Scrobiculum cordis quid. 6.
Semiotice quid. 3.
Serum sanguinis quid. 13. *Ad ignem admotum concrescit, & quare. ib.*

Sic-

Siccitas penes Galenicos quid. 59.
Signa morborum quid, eorumque distributio. 70. 71.
Signorum varia genera, ratione prognosis morborum. 72.
Sinciput quid. 6.
Spiritus animales quid. 14. *Differunt a succo nerveo*. *ibid. Luculentius explicatur eorum definitio*. 15.
Sternum quid. 30.
Succus pancreaticus quid. 14. 15.
Sura quid proprie. 7.
Sutura quid, & quotuplex. 25. *Explicantur ejus varia genera*. 26.
Symptoma quid. 72.
Syncope quid proprie. 129.
Synovia ossium quid, & quis usus. 27.

T

Tarsus quid. 7.
Tempora quid. 6.
Temperamentum, sive corporis humani constitutio ex Galeno quid, & quotuplex. 56.
Thorax quid, ejusque partes exteriores. 6.
Therapeutice quid. 3.
Thymus quid. 45. *ejus structura, & usus*. *ib. Utrum glandula sit*. *ib.*
Tibia quid proprie. 7.
Truncus, ejusque ossa. 30.

V

Valvulæ quid, earumque usus. 12. *Exponitur earum structura, & munus exemplo follis*. *ibid.*
Valvulæ cordis, earumque varia nomina. 41. *Sygmoides, earumque numerus, & situs ibid. Tricuspides quid, & quot*. 42.
Varix quid, ejusque definitio, & Diagnosis. 132. *Causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid.*
Vasa quid proprie, & quotuplicis generis. 12.
Vasa, sive ductus lymphatici quid. *ib.*
Venæ quid. *ibid. Pulsu carent, & quare*. 43. *Earum structura, & usus*. *ibid. Earum tunicæ quatuor*. *ibid. Earum trunci præcipui*. 40. *Unde exoriantur*. *ibid.*
Vena cava quid. *ibid. Pneumonica ibid.*
Venæ lacteæ, sive ductus chyliferi quid. 12.
Vesicæ urinariæ situs in utroque sexu. 11.
Vesiculæ seminales quid, earumque situs. *ibid.*
Vertex quid. 6.
Viscera quid, eorumque situs in genere. 7. 8.
Vita corporis humani materialis quid. 52., & 55. *Animæ rationalis ibid. Hominis*. *ibid. Tripliciter in homine distinguitur*. 54.

U

Ulna, sive focile majus quid 32. *Ungues quid, & quot eorum partes*. 23. *Eorum substantia, & usus*. *ib. Quomodo nutriantur ib.*
Ureteres quid, eorumque situs. 11.
Uretbra quid. *ibid.*
Uterus, ejusque partes adnexæ quid. *ibid.*

Z

Zirbus. Vide *Omentum*.

Hypocausta, & vaporaria pro curanda paralysi improbantur, & quare. 156.

Hypochondriaca affectio quid, ejusque definitio. 193. *Diagnosis, & causa.* 193. 194. *Prognosis, & curatio.* 194. *Pars affecta in hypochondria Veteribus assignata non semper improbanda.* 195. *Remedia, quæ proponuntur sunt admodum incerta.* 201.

I

ICteritia quid, ejusque definitio, & nomina varia. 297. *Diagnosis. ibid. Causa.* 298. *Prognosis. ibid. Curatio. ibid.*

Ictericis sanguinis missio quando conveniat. 300. *Color flavus unde proveniat. ibid.*

Ictericus quidam potione gelida sumpta statim convaluit. ibid. & seq.

Jecur. Vide *Hepar.*

Iliaca affectio quid, ejusque definitio, & diagnosis. 242. *Ejus causa, & prognosis.* 242. 243. *Curatio.* 243.

Incubus quid. 181.

Intestina quid proprie, eorumque descriptio. 200. *Dividuntur in tenuia, & crassa. ibid. Describitur intestinum duodenum. ibid. Describitur Jejunum, & Ileum. ibid. Colon.* 201. *Cæcum penes Recentiores quid.* 202. *Describitur rectum. ibid.*

Intestinorum valvulæ conniventes quid, earumque detector. 201. *Valvula Bahuini quid. ibid. Vasa intestinorum peculiaria.* 202.

Intestinorum pressio, & contractio unde. 203.

Insomnia quomodo inter dormiendum suscitentur. 177.

Ipecacuanhæ radix, ejusque historia. 226.

Ischuria quid. 319. *Ejus descriptio, causa, & prognosis.* 320.

L

LAC ingestum tenuiores facit humores. 268. *Tabidis cur propinetur. ibid. Quod iis crassitudinem impertiatur falsum est. ibid. Ejus essentia quid. ibid. Quid de ejus usu sentiat Morellus. ibid.*

Laryngis musculi tresdecim enumerantur. 254. *Describuntur quatuor communes. ibid. Describuntur reliqui novem proprii. ibid.*

Lethargus quid, ejusque definitio. 174. *Ejus diagnosis, causa, & prognosis.* 175. *Curatio. ibid.*

Lethargicos torquere, ut excitentur improbatur. 176.

Lien quid proprie, ejusque descriptio. 291. *Ejus figura, & color. ibid. Ejus situs, ibid. Ejus tunicæ.* 292. *Cellulæ, & glandulæ lienares quid. ibid. Ejus vasa peculiaria. ibid. Vasa nonnulla sanguifera in ejus cellulas debiscunt. ibid. Ejus usus. ibid.*

Lienis inflammatio, obstructio, & scirrhus quid. 301. *Diagnosis. ibid. Causa, & prognosis, ibid. Curatio.* 302.

Lienteria quid, ejusque definitio. 227. *Ejus diagnosis, & causa. ibid. Prognosis, & Curatio. ibid. & seq.*

Lycanthropia quid, & quomodo curari debet. 187.

Lythiasis quid. 314. *Ejus diagnosis, & prognosis. ibid. Curatio.* 315.

M

MAlacia quid, ejusque curatio. 214. *Quæ appetuntur in malacia, quamvis non congrua videantur, non sunt interdicenda, & quare.* 216.

Mania quid, ejusque definitio, & diagnosis. 171. *Causa, & prognosis.* 188. *Curatio. ibid.*

Maniam quomodo excitari opinetur Galenus. 190.
Margaritæ quare ægrotantibus præberi quandoque possunt. 186.
Medicamentum quid proprie. 157. *Triplici sensu accipitur a Scriptoribus*. *ibid. Variæ medicamentorum classes*. 158.
Medulla oblongata quid. 140. *Ejus radices quatuor*. *ibid. Anteriores opticorum thalami dicuntur*. *ibid. Posteriores testes*, *& nates formant*. *ibid. Origo nervorum omnium censetur*, *& quare*, *ibid. & seq.*
Melancholia affectio quid, *ejusque definitio*, *& diagnosis*. 192. *Causa*, *& prognosis*. *ibid. & seq. Curatio*. 193.
Meninges quid, *earumque divisio*. 2.
Meninx crassa quid. 2. *Ejus substantia*, *& sinus quatuor præcipui*, *eorumque usus*. 136. *Torcular quid*. *ibid. Jugiter movetur motu veluti systoles*, *& diastoles*. 137. *Ejus usus*. *ibid.*
Meninx tenuis, *ejusque substantia*, *& usus*. *ibid.*
Mesenterium quid proprie, *ejusque descriptio*. 203. *dividitur in meseræum*, *& mesocolon*. *ibid. Vasa*, *& glandulæ mesenterii peculiares*. *ibid.*
Mesenterii affectiones, *earumque causæ*, *& curationes*. 249. *Quomodo præcipue dignosci possunt*. 250.
Mictus cruentus, *& purulentus*, *quid*, *eorumque causa*, *& prognosis*. 316. *Curatio*. 317.
Motus convulsivi, *sive tremores quid*, *& unde proveniant*. 166.
Myrobalani quid eorumque natura, *& species variæ*. 229. *Fluxibus alvi universis sedandis apprime conducunt*. 230.

N

Nausea quid, *ejusque definitio*. 211. *Ejus diagnosis*, *& causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. 212.
Nephritis quid, *ejusque definitio*. 312. *Diagnosis*. *ibid. Causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid. Quomodo a colica distinguatur*. 313.
Nervi quid. 140. 141. *duplici vestiuntur meninge*. *ibid. Distribuuntur in duplicem classem*. 141. *Primæ classis quot*. *ibid. A medulla oblongata egrediuntur*. *ibid. Secundæ classis quot*. *ibid. A medulla spinali ortum ducunt*. *ibid. Eorum munus*. *ibid.*
Nitrum quid præstet in usu medico, *& quid per nivem gelidis conferat*. 187.

O

Œsophagus quid proprie, *ejusque descriptio*. 197. *Ejus præcipui parietes*. *ibid. Organici sunt*, *& quare*. *ibid. Ejus vasa*. 198. *Musculi peculiares quot*, *eorumque nomina propria*. *ibid.*
Omentum quid proprie, *ejusque descriptio*. 290. *Ejus nomina varia*, *situs*, *& figura*. 291. *Ejus vasa peculiaria*. *ibid. Ejus usus*. *ibid.*
Ortopnœa quid proprie. 274.

P

Pancreas quid proprie, *ejusque descriptio*. 290. *Ejus figura*, *& situs*. *ibid. Ejus ductus communis virsungianus*. *ibid. Ejus vasa præcipua*. *ibid. Ejus munus*. *ibid.*
Paralysis quid, *ejusque definitio*. 151. *Ejus diagnosis*, *& causa*. 152. *Prognosis*. 153. *Curatio*. *ibid. Varie ab Auctoribus describitur*, 155. *Eam hypocaustis*, *vaporariis &c. curare res est plena periculi*. 156.

Pe-

Pedum refrigeratio intempestiva quamplurimas gignit affectiones, & quare. 247. 248.

Peripneumonia quid ejusque definitio. 257.

Pica quid ejusque diagnosis, causa, prognosis, & curatio. 214.

Phrenitis quid, ejusque definitio. 183. *Diagnosis, & causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio.* 184. *Quid proprie phrenitis significet.* 186.

Phthisis quid, ejusque variæ definitiones. 269. *Ejus diagnosis, & causa. ibid. & seq. Prognosis* 270. *Curatio. ibid. Victus crassus omnino damnatur, & quare.* 272. *Plurimum contra confert aer subtilis & montanus. ibid.*

Pleuritis quid, ejusque definitio. 257. *Promiscue sumitur quandoque pro peripneumonia, & quare. ibid. Ejus diagnosis. ibid. Dividitur in ascendentem, & descendentem. ibid. In veram, & spuriam.* 258. *Ejus causa. ibid. Prognosis. ibid. Curatio. ibid.*

Pleuritide interemptis pulmones quoque inflammati reperti sunt. 257. *Quid judicandum sit de præsidiis antipleuriticis pro curanda pleuritide.* 260. *Alvum solvendi abusus in pleuritide unde proveniat.* 261. *Vesicantia non semper damnanda. ibid. & seq.*

Posca faucium inflammationem aut lenit, aut discutit. 284. *Quomodo præscribatur. ibid.*

Ptyalismus quid, ejusque definitio. 303. *In spleneticis utplurimum excitatur, & quare. ibid.*

Pulmones quid, eorumque descriptio. 252.

Pulmonum substantia quid. 254. *In fœtu rubicundissima est, & quare.* 255. *Eorum vasa peculiaria. ibid. Eorum usus. ibid.*

Pulmones, respectu respirationis, quid præstent. 256. *Se habent mere passive, & quare. ibid.*

R

RAbies ex morsu rabidorum contracta quid, & quomodo curanda. 190.

Radices cannarum montanarum, & tragopogonos eumdem præstant effectum cum radice chinæ. 273.

Radix Ipecuacanha quid, & quomodo propinanda sit. 226.

Pro diarrhœa, & dysenteria curanda optimum remedium. ib. Ejus dosis, & præscribendi modus 226. *Ejus inventor. ibid.*

Renes quid proprie, eorumque situs, & descriptio 304. *Eorum pelvis quid. ib. Eorum tunicæ propriæ. ibid. Eorum substantia glandosa. ibid. Eorum vasa peculiaria.* 305. *Eorum usus. ibid.*

Renes succenturiati quid, eorumque varia nomina. 307. *Eorum substantia. ibid. Eorum usus. ibid.*

Respiratio fit inspiratione, & expiratione. 255. *Quomodo peragatur. ib.*

Rhexis quid. 236.

S

SAnguis pulmones ingressus immutatur, & quare. 256.

Sanguinis excretio per os, unde profluat, & quomodo dignoscatur. 266.

In sanguine educto quid judicandum sit de crusta fungosa. 283.

Sanguis hircinus, & leporinus in inflammationibus propinatus quid præstet. 297.

Sensorium commune quid. 140.

Sensus in corpore humano fiunt per membranas, quemadmodum motus per musculos. 155.

Siccitas, & humiditas ratione nutritionis quid sonet in sensu Galeni, & Avicennæ. 205.

Somnus, & vigilia quid, & unde proveniant in corpore humano. 177.

Soporosi affectus, organici licet, facilius solvuntur, quam humorales. 178. *Ex Musitano quomodo ab invicem distinguantur. ibid.*

Spas-

Spasmus. Vide *Convulsio*.
Spermaceti quid, *ejusque usus*, & *abusus in Re medica*. 296. *Ejus dosis*. 297.
Spirituum animalium secretio ubi peragatur penes Recentiores. 140. *Eorum sedes præcipua*. 143.
Spiritus vini usus pro inflammationibus curandis quid præstet. 283. *Quid sit*. 284. *Ejus abusus*. *ibid.*
Splen. Vide *Lien*.
Succus pancreaticus quid, *ejusque munus in corpore humano*. 290.

T

Tenesmus quid, *ejusque definitio*, & *causa*. 237. & 238.
Terebinthina quid, *ejusque variæ species*. 317. *Ejus usus*, & *abusus*. *ibid.* *Variæ ejus formulæ*, & *præscribendi modus*. 318.
The quid præstet in usu medico. 274.
Trachea quid, *ejusque descriptio*. 252. *Ejus cartilagines præcipuæ*. *ibid.* *Ejus membranæ tres*. 253. *Ejus vasa*, & *usus*. *ibid.* *Describuntur singulæ ejus capitis cartilagines*. 254. *Describitur thyroides*, *sive scutiformis*. 253. *Cricoides*, *sive annularis* 254. *Arytænoides*. *ibid.* *Epiglottis*. *ibid.*
Tussis quid, *ejusque definitio*, & *differentiæ*. 278. *Ejus causa*. *ibid.* *Prognosis*. 279. *Curatio*. *ibid.* *Exponuntur nonnulla*, *quæ ad tussim sistendam mirifice conducunt*. 280.

V

Vasa lactea, *sive ductus chyliferi quid proprie*, *eorumque descriptio*. 203. *distribuuntur in primi*, *secundi*, & *tertii generis*. 204.
Vas breve Veterum quid proprie. 289.
Vena porta quid, *ejusque situs*. 288. *Tum origine*, *tum munere differt a reliquis venis*. *ibid.* *Describuntur ejus truncus*, & *propagines*. *ibid.* *Ejus munus præcipuum*. 289.
Ventriculus quid proprie, *ejusque descriptio*. 198. *Ejus peculiaria orificia*, *ejusque structura*. 199. *Crusta*, *sive tunica villosa quid*. *ib.* *Vasa præcipua*. *ibid.* *Usus*. *ibid.* & *seq.*
Vertigo, *ejusque etymologia*, *definitio*, & *variæ species*. 158. *Ejus diagnosis*. 159. *Causa*, & *prognosis*. *ibid.* & *seq.* *Curatio*. 160. *Jugularibus compressis quandoque excitatur*, & *quare*. 162. *Veterum opinio vertiginem per vapores explicantium*. 163.
Vesica urinaria quid proprie, *ejusque descriptio*. 306. *Ejus situs in utroque sexu*. *ibid.* *Ejus sphincter*, *ibid.* *Ejus parietes peculiares*. *ibid.* *Ejus vasa*. *ibid.* *Usus*. *ibid.*
Vinum quandoque optimum in morbis aliquibus extenuandis. 182. *Ejus spiritus resistit potius alimentorum digestioni*, & *quare*. 210.
Vomica quid, *ejusque definitio*, & *diagnosis*. 263. *Causa*. *ibid.* *Prognosis*, & *curatio*. *ibid.*
Vomitus quid, *ejusque definitio*, & *diagnosis*. 217. *Ejus causa*, & *prognosis*. *ibid.* *Curatio*. *ibid.* *Ut plurimum est salutaris*, & *quando*. 218. *Navigantibus unde proveniat*. *ibid.*
Vomitus sanguinis quid, *ejusque causa*. 219. *Ejus prognosis*, & *curatio*. *ibid.*

U

Urachus quid. 306.
Ureteres quid proprie, *eorumque descriptio*, & *situs*. 305. *Eorum vasa peculiaria*. *ibid.* *Eorum insertio in vesicam urinariam*. *ibid.* & *seq.*
Urethra quid, *ejusque granum hordeaceum*. 306.

Uri-

Urina quid proprie, ejusque definitio, & differentiæ. 308.
Urinæ partes componentes penes Chymicos. 308. *Ejus contenta quid, eorumque differentiæ.* 309. *quomodo congerantur. ibid. Quid indicare solent. ibid. Quomodo secundum naturam variare possunt.* 310.
Urinæ copia immodica tempore hyemali unde proveniat. 322.
Urinam inspicienti quid observandum sit. 311. *Calor extrinsecus ad statum naturalem reddit urinas frigore immutatas, ibid.*

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
LIBRI TERTII.

A

ABortus quid, ejusque descriptio pag. 375. *Quomodo differat a vero partu. ibid. Imminens quomodo dignoscatur.* 376. *Ejus causa. ibid. Quid præstandum in curatione ibid. & seq.*
Abortientes quomodo, & quando periclitari possunt. 376.
Abortum nil satius prohibet, quam opportuna sanguinis missio. ibid. & seq.
Abscessus quid. 433.
Adnata, sive conjunctiva oculorum tunica quid. 325. *Ejus morbi: Ophthalmia* 327. 328. *Pterygium.* 329. *Pannus, ibid.*
Affinitas inter fœtum, & prægnantem unde proveniat. 374.
Allantoides quid. 369.
Amaurosis. Vide *Gutta serena.*
Amnion quid. 368.
Anasarca quid. 412.
Aphonia quid. 340.
Aphthæ quid, earumque curatio. 399.
Apostema quid, ejusque variæ species. 433.
Aquæductus Fallopii in Auribus quid, ejusque usus. 333.
Arteriæ spermaticæ quid. 342.
Arthritis quid, & quomodo differat a rheumatismo. 332.
Ascites quid. 416.
Atrophia quid. 418. *Ejus curatio.* 419.
Aures quid proprie, earumque partes exteriores, 331. *Interiores.* 332. *Eorum vasa, & usus.* 333. *Enumerantur eorum variæ affectiones.* 334.
Auriculæ quid proprie. 331. *Earumque partes.* 332. *Earum usus. ibid.*

B

BLæsitas quid. 340.
Bulbus, sive Gemma oculorum quid, ejusque partes. 325. Vide *Oculus.*

C

CAchexia quid. 416.
Cachexiam quomodo aliquando subducat sanguinis missio. 368.
Cacochymia quid. 416.
Calx ferri quid. 366.
Cancer quid. 434.
Canthi oculorum quibus affectionibus sint obnoxii. 331.
Caruncula myrtiformes, quid, earumque descriptio. 354.
Cataracta, sive suffusio quid. 330.
Catarrhus quid, ejusque definitio. 440. *Variæ ejus species, & denominationes.* 441.

Ce-

Cephalalgia quid, & quomodo solvatur. 352. *Ejus variæ species. ibid.*
Chiragra quid. 419.
Chirurgicæ animadversiones, ratione tumorum, abscessuum, externarumque inflammationum. 434.
Chlorosis quid, ejusque definitio, & variæ denominationes. 364. *Ejus diagnosis. ibid. Causa, ibid. Prognosis, & Curatio. Ibid.*
Chorion quid. 368.
Circocele quid, ejusque descriptio. 351.
Claustrum veneris an reperiatur in fœminis. 354.
Clitoris quid. 353.
Colostrum quid, variæque ejus denominationes. 388.
Conceptio quid proprie. 372. *Veterum sententiæ circa conceptionis modum. ibid. Recentiorum. ibid. Ovaristarum.* 373. *Quomodo penes Ovaristas contingat incrementum, & ortum infantis. ibid.*
Contusiones aqua frigida inspergendæ. 435.
Cornea, sive sclerotis quid. 325. *Ejus morbi: crassities, nebula, albugo, pustulæ, & hypopion quid.* 329.
Corpora pampiniformia, sive pyramidalia quid. 342.
Cremasteres musculi quid. ibid.
Crocus martis aperiens quid, & quomodo eliciatur. 366.
Crocus martis adstringens quid, & quo pacto paretur. 367. *Ejus dosis, & usus. ibid.*

D

Dartus in scroto quid. 346.
Dentes quare infantibus semel excisi iterum renascantur. 396. *Senescentibus quare excidant. ibid.*
Dentitio difficilis quid proprie, ejusque definitio. 394. *Ejus differentia, & diagnosis.* 395. *Causa, & prognosis. ibid. Curatio.* 396.

E

Elephantiasis quid. 431. *Ejus curatio.* 432.
Epididimes quid. 342.
Epilepsia infantum quid, & quomodo curetur. 397.
Erysipela quid. 433. *Ejus variæ species.* 434.

F

Febris alba mulierum quid. 364. *Febres, cæterasque affectiones, solidarum partium vitio semper exoriri, falsum.* 434.
Ferrum quid præstet in usu medico, & quomodo propinetur. 366. *Magis idoneum est in usu medico, quam chalybs, & quare.* 367.
Fistula lacrymalis quid. 331.
Fluor mulierum albus quid proprie, ejusque descriptio. 360. *distinguitur in benignum, & malignum. ibid. Ejus causa, prognosis, & curatio.* 361.
Fœtus, ejusque partium anatomes. 368. *Quomodo nutriatur in utero.* 369. *Quomodo in utero vivat.* 370. *Foramina peculiaria eius corculi.* 369. *Hi, respirante fœtu, occludantur, & quare.* 370. *Ejus sanguinis circulatio.* 369.
Fœtus quomodo excludatur in puerperio. 371. *Quo pacto pariundi nisus provocet. ibid. Quare nascendo caput edat prius.* 374.
Fœtus in utero mortuus qualia præbeat indicia. 383. *Quomodo in hoc casu ei occurrendum.* 384.
Foramen ovale fœtus quid. 370.
Funiculus sive ligamentum umbilicale fœtus quid. 369. *Nervos utrum habeat. ibid.*
Furor uterinus, quid, ejusque descriptio, & curatio. 373.

Gan-

Digitized by Google

G

Gangræna quid. 434.
Generatio. Vide *Conceptio*.
Glandulæ lacrymales quid, earumque vascula excretoria. 325.
Glandulæ salivales quid, earumque situs. 339. *Earum usus*. *ibid.*
Glandulæ maxillares quid. *ibid. Earum structura, situs, & usus*. *ibid.*
Glandulæ sublinguales quid, earumque descriptio, & usus. *ibid.*
Glandulæ vaginæ uteri quid, earumque descriptio. 354.
Gonagra quid. 419.
Gonorrhœa quid, ejusque definitio, & diagnosis 346. *dividitur in veram, & notham*. *ibid. Veræ causa, & prognosis*. *ibid. Curatio*. 347.
Gonorrhœæ benignæ symptomata quid. *ibid.*
Gonorrhœa notha, sive spuria quid, ejusque definitio, & diagnosis. 348. *Causa*. *ibid. Prognosis*. 349. *Curatio*. *ib.*
Gonorrhœam erodentibus medicamentis curare, pessimum. 351. *In exordio numquam sistenda, & quare*. *ibid.*
Gonorrhœa muliebris quid proprie, ejusque descriptio. 361. *Quomodo curetur*. *ibid.*
Granum hordeaceum quid, ejusque descriptio. 343.
Gutta serena quid. 331.
Gummata gallica quid, & quomodo curari debent. 427.

H

Hernia quid, ejusque variæ species. 351.
Herpes miliare, & serpigo quid. 433.
Hydrocele quid, ejusque descriptio. 351.
Hydrocephalus quid. 416.
Hydrops quid, ejusque definitio. 412. *Causa*. *ibid. Prognosis*. 413. *Curatio*. *ibid.*
Hydropicorum sitis expleri nequit, & quare. 415.
Hydropicis medicamentis exiccantibus occurrere reprobatur. *ibid.*
Paracentesis utrum conferat. *ibid.*
Hydropem vini abusus excitat. *ibid.*
Hydrops pectoris, aut pulmonum quid. 416.
Hypenemia quid. 371.
Hysterica passio quid, ejusque descriptio, & variæ denominationes. 362. *Ejus diagnosis*. *ibid. Prognosis, & Curatio*. 363.

I

Ichor quid proprie. 436.
Icterus quid. 416.
Impotentia virilis quid, ejusque causa. 352.
Inflammatio quid proprie. 433.
Intertrigo quid, ejusque curatio. 400.
Ischiades quid. 419.
Ischiade affectis luxatur quandoque caput femoris, & quare. 420. *Partem affectam inurere quid præstet*. 421.

L

Lac quare sub finem gestationis augeatur in mammis. 386. *Quomodo dignoscatur, an proli optime nutriendæ sit idoneum*. 389. *Quales exigit conditiones*. 390.
Lactumen quid, & quomodo infantibus accidat. 400.
Lacunæ quid. 354.
Lepra quid, ejusque species. 431. *Ejus curatio*. 432.
Lingua quid proprie, ejusque descriptio. 336. 337. *Ejus frenulum, & membranæ præcipuæ*. 337. *Ejus substantia interior*. *ib. Ejus musculi peculiares*. *ib. Eorum nomina propria, & munus*. 338. *Ejus usus*. *ibid.*
Linguæ affectiones variæ: frænum, ranula, fissuræ, aphonia, blæsitas. 340.
Lipodermus quid. 352.
Lochia quid proprie. 371. *Eorum excretionis modus, & tempus in puerperio*. 372. *Excretionis necessitas unde*. *ib. Prætermodum fluentia quomodo sistenda*. 382. *Si mature sistan-*

sistantur, quomodo revocanda. 383.
Lues venerea quid, ejusque definitio, & variæ denominationes. 422. *Ejus diagnosis, & causa*. *ibid. Prognosis*. *ibid. Curatio*. 423. *De hypocaustis, quæ sudorem elicium quid credendum*. 426.

M

Mammæ quid proprie, earumque descriptio. 384. *Earum papilla, & areola quid*. *ibid. Earum vasa sanguifera ibid. Nervi, ductus lymphatici, & adiposi*. 385. *Ductus lactei*. *ibid. Earum usus*. 386.
Mammarum affectionibus in puerperio quomodo occurrendum. 383.
Mars quid proprie, & quid præstet in usu medico. 366. *Ejus crocus, & variæ præparationes*. *ibid. Aperiens quid*. *ibid. Eius dosis*. *ibid.*
Meatus auditorius quid, ejusque situs. 332.
Meconium quid, ejusque descriptio. 387. *Quomodo Infantes lædere possit*. *ibid.*
Meconii retenti in Infantibus signa. 388. *Quid respiciendum in curatione*. *ibid.*
Meconium quare congregatur in visceribus fœtus. *ibid.*
Mensium defectus, imminutio, & suppressio quid. 357. *Ejus diagnosis, & causa*. *ibid. Prognosis*. 358. *Curatio*. *ibid. Plurimum confert mel hispanum, & quomodo propinandum*. *ibid.*
Mensium fluxus immodicus quid, & quomodo sistendus. 359.
Mercurius quid, ejusque usus. 425. *Quid præcavendum antequam propinetur*. 426.
Mola quid proprie, ejusque descriptio. 377. *Diagnosis*. *ibid. Quomodo differat a vera conceptione*. 378. *Causa, & prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid. Dum adhuc in utero existit difficile dignoscitur*. *ibid.*
Morbi quomodo differant inter se, eorumque complicatio. 443.
Morbilli quid, eorumque definitio. 403. 404. *Diagnosis*. *ibid. Causa*. 405. *Prognosis*. *ibid. Curatio*. *ibid. & seq.*
Morbillis quare semel in vita utplurimum corripiuntur homines. 404.

N

Narium affectiones præcipuæ: sarcoma, polypus, verrucæ, zena, coriza. 336. *& seq.*
Nasus quid proprie, ejusque descriptio. 334. *Ejus partes exteriores*. *ibid. Ejus membrana interior*. *ibid. Ejus caro papillaris*. 335. *Ejus meatus in fauces*. *ibid. In oculos*. *ibid. Ejus musculi*. *ibid. Ejus vasa, & nervi olfactores*. *ibid. Ejus usus*. 336.
Nutricem commutare, ut melius lactetur infans, res est plena periculi. 390.
Nutrix, ut infantem probe lactare queat quid requiritur. *ibid. Si lactando ægrotare incipiat quid præstandum*. *ibid.*
Nymphæ pudendi muliebris quid. 353. *Earum usus*. *ibid.*

O

Obstructiones quid. 433.
Oculi quid, eorumque partes exteriores. 323.
Oculorum palpebræ, & cantbi quid. 324. *Cilium*. *ibid. Puncta, & glandulæ lacrymales*. *ibid. Globus, sive gemma*. 325. *Ejus vasa*. 327. *Ejus membranæ*. 325. *A nervo optico explicantur*. 326. *Eorum humores*. *ibid. Eorum musculi sex, & nomina propria*. 327. *Eorum uligo pinguis unde proveniat*. *ibid. Eorum usus*. *ibid. Eorum affectiones*. *ibid. & seq.*
Ophthalmia quid, ejusque definitio, & diagnosis. 328. *causa ibid.*

Pro-

Prognosis, & Curatio. ibid. Sanguis in ophthalmia ex qua parte educendus. 329.
Oscitatio quid, & quomodo producatur in corpore humano. 410.
Ossicula auditus quid, eorumque numerus, nomina, situs, & usus. 332.
Ovaria Mulierum. Vide *Testes.*

P

PAlpebræ quid, earumque musculus elevator. 324. *Orbicularis. ib. Earum puncta lacrymalia ibid. Earum vasa.* 325. *Usus. ibid.*
Pandiculatio quid, & quomodo excitetur in corpore humano. 410.
Paraphimosis quid. 352.
Parastatæ. Vide *Epididymes.*
Parotides quid. 339. *Earum structura, situs, & usus. ibid.*
Partus quid, ejusque causa. 360. *Septimestris habet utplurimum imperfectionis notas, & quare. ibid.*
Partus difficilis quid, ejusque definitio. 378. *Difficilem futurum qualia indicent.* 379. *Causa. ibid. Prognosis, & curatio. ibid.*
Pediculatio quid, & quomodo curetur. 411.
Penis quid. 344. *Ejus corpora nervosa. ibid. Ejus septum, & glans quid. ibid.*
Penis vasa. 345. *Ejus musculi. ib. Quo pacto intenditur, atq; erigitur. ib.*
Penis affectiones exteriores quid, earumque variæ species. 352.
Penis inflatio morbosa quid. ibid. Ejus verrucæ. ibid.
Phimosis quid. ibid.
Placenta quid, ejusque descriptio. 368. 369. *Quomodo paullatim ab utero excidat sub finem gestationis.* 374.
Plethora quid. 416.
Plexus retiformis uteri quid, earumque descriptio, 354.
Podagra quid, ejusque descriptio. 419. *Ejus variæ species. ibid. Diagnosis. ibid. Causa, & prognosis. ibid. Curatio. ibid.*
Podagræ obnoxia est mulier, licet non deficiant menses. 421. *Improbatur usus aquæ frigidæ pro podagra eximenda.* 422.
Pollutio nocturna quid. 347.
Præputium quid. 344.
Prostatæ quid. 343. *Earum usus. ibid.*
Priapismus quid. 348.
Psora quid, eiusque curatio. 431.
Pudendum muliebre quid, ejusque partes. 353.
Puerperæ quomodo tractanda ab obstetrice in puerperio. 381.
Puerperarum victus qualis esse debet. 382.
Pupilla quid. 325. *Ejus affectiones: procidentia, dilatatio, angustia, & suffusio quid.* 330.
Pus quid proprie. 436.

R

RAchitis quid, ejusque definitio. 401. *Ejus diagnosis, & causa. ibid. Prognosis, & Curatio. ibid. & seq. Quare ossa in rachitide incurventur.* 403.
Rheumatismus quid, ejusque descriptio. 436. *Ejus diagnosis. ibid. Causa, & prognosis.* 437. *Curatio. ib. Quomodo differat ab arthritide.* 439
Rheumatismo an conferant cathartica, sanguinis missio, & diuretica. 439.

S

SAnies quid proprie. 436.
Sarcocele quid, ejusque descriptio. 351.
Satyriasis quid. 348.
Sarsa parilla quid, eiusque usus. 424.
Scabies quid, ejusque variæ species. 431. *quomodo curari debet.* 432. *Unguentum peculiare pro scabie evincenda. ibid.*
Scabiem præsidiis tantum exterioribus curare, improbatur. ibid.
Scorbutus quid, eiusque definitio. 427. *Quomodo ab Hippocrate vocitetur. ibid. Ejus diagnosis, & causa, ib. Prognosis, & Curatio.* 428.

Scir-

Scirrhus quid. 434.
Scrotum quid proprie. 345. *Ejus dartus quid.* 346. *Ejus usus. ibid.*
Secundinæ quid proprie. 371. *Quare id nominis habeant. ibid.*
Sensus omnes specie quadam tactus excitantur. 338.
Sperma quid. 342.
Sphacelus quid. 434.
Sterilitas quid, & unde proveniat. 375.
Sternutatio quid, & quomodo excitetur in corpore humano. 410.
Suffocatio uterina quid, ejusque descriptio. 363.

T

Testes quid proprie, eorumque descriptio. 341. *Eorum structura. ibid. Eorum tunicæ interiores, & exteriores. ib. Vasa. ib. Nervi, & ductus seminales.* 342. *Usus. ib.*
Testes mulierum quid proprie, eorumque descriptio. 356. *Eorum vasa, sive corpora pampiniformia. ib. Tubæ Falloppianæ, sive oviductus.* 357.
Tophi articulorum in podagra unde proveniant. 420.
Tonsillæ, sive amygdalæ quid. 339. *Earum structura, situs, & usus ibid.*
Tuba Eustachii in auribus quid, ejusque situs. 333.
Tubus arteriosus fœtus quid. 370.
Tussis ferina quid, ejusque curatio. 398.
Tympanites quid, ejusque descriptio, & curatio. 417.
Tympanus auditorius quid, ejusque membrana, & situs. 332.

V

Variolæ quid, earumque definitio. 403. 404. *Diagnosis.* 404. *Causa. ibid. Prognosis.* 406. *Curatio. ibid. Quo tempore periculosæ, & maioris afflictionis sunt.* 408. *Alvum ciere non semper improbatur. ibid. Cutis scarificatio falsum est, quod eas foras extrudat. ibid. Cubiculus nimis calidus eis potius officit. ibid.*
Variolarum pustulæ acu pungendæ, & in quo casu. 409.
Variolis quare semel utplurimum tentamur. ibid.
Vas deferens quid. 342.
Vasa umbilicalia fœtus quid. 368. *Quomodo recidenda, & liganda in fœtu in lucem edito.* 389.
Venæ raninæ quid. 337.
Vermes in corpore humano quomodo exoriantur. 394. *Quid de hac re crediderint Veteres. ibid.*
Verminatio quid, ejusque definitio. 391. *Diagnosis. ibid. Causa, & prognosis, ibid. & seq. Curatio.* 392.
Verrucæ penis quid. 352.
Vesiculæ seminales quid proprie, earumque descriptio. 343. *Eorum usus ibid.*
Vipera ejusque caro quomodo adhibenda in usu medico. 430. *Quomodo mordendo venenum immittat. ib. Formulæ, quibus præscribitur in Clinice.* 431. *Ejus abusus valde nocet, & quare. ibid.*

U

Ubera maximum habent consortium cum utero. 360. *Earum morbi.* 383.
Ulcus quid proprie. 434.
Ulcus cum carie quid. ibid.
Urachus quid. 369.
Uretbra quid proprie, ejusque descriptio. 344.
Uretbra fœminarum quid, ejusque situs. 353.
Uterus quid proprie, eiusque descriptio. 354. *Ejus usus, & situs.* 355. *Eius ligamenta quatuor. ib. Eorum nomina propria, & situs. ibid. & seq. Uteri substantia, & textura.* 355. *Ejus capacitas. ibid. Ejus vasa peculiaria. ibid. Ejus usus præcipuus.* 356. *Uteri vagina quid, eiusque descriptio.* 353. *Ejus sphincter. ib. Glandulæ.* 354. *Usus. ib.*
Uvula quid, ejusque variæ denominationes. 339. *Ejus substantia, situs, & usus.* 340. *Ejus musculi peristaphylini quid. ib. eorum usus. ibid.*

FINIS.

ALE-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Digitized by Google

ALEXANDRI PASCOLI PERUSINI

PROLUSIONES,

Olim habitæ in Templo Archigymnasii Romani,

Pro Studiorum Solemni renovatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANATOME LITTERARUM

S E U

PALLADIS PERVESTIGATIO

Pro solemni Studiorum Renovatione in Templo Archigymnasii Romani XV. Kal. Novembris MDCCVI., Die Festo D. Lucæ Evangelistæ, post Missarum Solemne Sacrificium.

PROLUSIT

ALEXANDER PASCOLI PERUSINUS,

ARCHIATRORUM IN URBE COLLEGA,

Anatomen, & Praxin Medicam in eodem Archigymnasio Romano Professus.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

ALEXANDER PASCOLI

FŒLICITATEM.

QUÆ a TE nuper accepi Talenta, BEATISSIME PATER, exercui, & lucratus sum. Ad Pedes itaque Tuos quid erubescam? Ex Anatome Corporis humani, quam in hoc Orbis Celeberrimo Archigymnasio profiteor, ad eam Munificentia tua non ita pridem evectus, jam me contuli ad Anatomen, titulo saltem, longe nobiliorem: Palladis videlicet, aut Scientiarum, quam oculis tuis modo subjicio. Si rebus nostris tandem aliquando paululum vacare datum erit, exequar quicquid, & diu nonnulli expectant a me, & ipse pollicitus sum. Rebus tum publicis, tum domesticis in Urbe pressus, ac pene obrutus, nondum cu-

ris Animum solvere valui ; nec mihi ita feriari , ut quod reliquum est Lucubrationum mearum , commode possim concinnare. Si quid Otii erit , non cunctabor ; nec quod superest tempus agendo , deliberando impendam . Prolusionem hanc interim si vel parum perpendes , BEATISSIME PATER , Tui Exemplar , seu potius Rudimentum quasi neglectum , respicies . Scientias hac Anatome perquirimus , Maxime Principum ; qui Artes omnes liberales , atque honestas Disciplinas in TE unum graphice colligis : quibus propterea ut ad plenum consulas , serva TE incolumen . Id enixe precamur . Et ut fœlicius nobis omnibus prosis , vive diu .

PRO-

PROLUSIO.

Uemadmodum ipse miror, ita inter Vos & mirari plures opinor, Præsules, Patres, Præceptores, & Vos omnes quotquot adestis Præclarissimi Auditores, quod Rhetoris vices audacter gerens, pro rostris dicens, modo contendat is, qui in hoc eodem amplissimo, ac toto Orbe celeberrimo Sapientiæ Theatro Anatomen professus, miram humani corporis structuram oculis vestris, ut poterat, non ita pridem objiciebat. Floribus eloquentiæ lasciviant eloquentiæ Cultores; atque concinna periodorum titillatione prurientes aures scalpant ii, quibus id oneris incumbit. Non decet me penes vos, Romani Archilycei Moderatores, Rhetorices scitamenta delibare. Cur id mihi muneris imposuistis? Faciam tamen ita ut vultis. Exedram anatomicam ad breve tantum tempus, in obsequium, & observantiam erga Vos, linquo, Patres, non derelinquo, Exteros, æque ac Romanos Adolescentes hortaturus, ut renascentibus studiorum initiis, Sapientiæ cultum alacriter suscipiant. At *ne Sutor supra crepidam*, vulgatum illud, solemne non minus, quam acre Apellis, aures jam ferit nostras. *Supra crepidam!* Non utique. Orationem auspicalem omittam, & veteris proverbii non immemor..... *quam quisque norit Artem, in hac se exerceat*. Anatomen exponam vel in hoc Templo, quamvis non ad Anatomen, sed ad studiorum renovationem pie quotannis celebrandam, magnifice extructo. Num horret Animus? atque pavidum inter cadavera, ob recentem diræ Mortis imaginem te illa jam terrent extrema? Triceps apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acheruntis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus?

Num tibi viscera secta teterrimas excitant species, & redeunt in mentem

Acheruntia Templa, alta Orci pallida
Lætbi, obnubila, obsita tenebris loca?

Num te commovet

. . . . . Rostroque immanis Vultur obunco
Immortale jecur tondens? . . . . . .

Num illud, quod Sisyphus versat

Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?

aut inexorabiles Judices: Minos, & Rhadamantus?

Ades animo, pax sit rebus, & omitte timorem Spectator. Sectio hodierna fœda non est, non lurida, neque cruenta. Varias Litterarum classes perscrutabor: uno verbo *Anatomen Litterarum aggrediar*.

En præ oculis in eximio tot Virorum litteris illustrium consessu non Cadaver exanime, sed divinitus afflatam Mulierem; cujus formam venustissimam adhuc auget nitor quidam exterior, haud sane fucatus; vel si fucus est, non mollis, quum procul ab omni mundo Muliebri, nescio quid Bellonæ præseferat potius, quam Veneris. Tantam venustatem, tantumque nitorem, ac pene dicam divinam in Terris plenitudinem, eoquod oculorum acies infringat, perferre vix possumus. Vitam vivit perennem. Inter Divos recensetur. Mole gigantea. At præ cæteris elegans, suavis, honesta, minitabunda tamen, & gravis. Hanc inter gigantes non progenuit Tellus irata in Deorum perniciem; quinimmo sine matre ex cerebro Numinis discisso insurrexit, liberalibus præsidens Artibus, atque honestis disciplinis; quæ iccirco totidem veluti membra vastissima graphice coguntur in unum, sibi invicem aptantur, eique molem corporis immensam compingunt. Extitit unquam inter mortales majestas elegantior? Eam vos, vos alitis Patres; quum non alia ex causa ita adoleverit, nisi quod ex mentibus vestris, ex pluribus tamquam uberibus inexhaustis, ambrosiam affatim exuxerit. Hæc ad formam, & lineamenta Palladis personam gerit. Pallas utique, Pallas est; cujus galeatum, ac formidabile Caput intus cranio repositas condit, quasi in arce editissima, non cerebri molem, at pro cerebro Facultates Philosophiæ universas, non secus ac cerebrum in Homine triphariam distributas; ut veluti per nervos inde defluat vita in universum Corpus, Litteris, ac Scientiis undique congestum; quæ propterea vivunt, & agunt; atque virentes ad ornatum tanti corporis germinant; nec non etiam varias, tum ingenuas, tum non ingenuas emittunt Artes; quæ, utpote partes minus nobiles, & quasi recrementa uberrime decidunt in pensum Opificis industrii. Adeout, Palladis capite affecto, langueat ilicet necesse sit virtus omnis, & robur membrorum, quæ pene emortua contabescerent, & ictu quasi apopletico tacta resolverentur, si nervi Philosophiæ deficerent. Languerent Mathematice, Res Medicæ, Jurisprudentia, Ethice, Mechanice, Chymia; item & Litterarum bonarumque Artium Cultus langueret omnis, nisi philosophicas coluisset prius, qui & reliquas Facultates colere instituit. Neque Divinæ, Theologicæ videlicet, omnium licet excellentissimæ, & a superis, ut in tanta rerum Caligine veræ lucis fulgor identidem intermicet, profectæ, diu vivere possent a philosophicis amotæ; & quamquam reliquæ inter nos aut non viverent scientiæ, aut vitam vive-

viverent nonnisi ferinam, eamque informem, quum a Divinis recederent; hæ tamen in Terris quæso quid agerent, ubi non philosophicis inniterentur? perinde ac si Res philosophicæ, respectu Divinarum, cerebrum essent humanum, & Divinæ, respectu cerebri, Anima, sive Mens fuissent humana; quæ quamvis expers materiæ nullam tamen in Homine, nisi per cerebrum, actionem edere valet; quamobrem, prævia exercitatione in philosophicis, ut reliquas aggrediamur disciplinas, rite a Majoribus institutum accepimus. Tullium audite de Speusippo loquentem, de Xenocrate, Palemone, Crantore, Aristotele, cæterisque in Philosophia versatissimis, atque ad Brutum de finibus scribentem. *Ad eos igitur prius converte te quæso*, inquit; *Ex eorum enim scriptis, & institutis, quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest; tum varietas est tanta Artium, ut nemo sine eo instrumento ad rem nullam illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his Oratores, ab his Imperatores, ac Rerumpublicarum Principes extiterunt. Ut ad minora veniam Mathematici, Poetæ, Musici, Medici denique, ex hac, tamquam ex omnium Artium officina, profecti sunt.*

Verum, ne ab instituto deflectamus, rursus ad Anatomen. Cerebrum non modo in Homine, verum etiam in Animantibus omnibus, quantum scio, agere haud potest, nisi per materiam quamdam tenuissimam, maxime mobilem, volatilem, defæcatissimam, & pene dicam ætheream, naturam redolentem ignis, seu potius Astrorum; quæ propterea motu citissimo, huc illuc radiando, fibras, & nervos intime subit, varias afficit membranas, & musculos concitat. Hinc in organis motus. Hinc in Animo sensus. Hinc Mens percipit, & vivimus. Ex quo factum videtur, ut materia præfata dicatur a Physicis *Spiritus animalis*, *ignis æthereus*, *succus nerveus*, & *nectar cerebri*. Hæc glandularum ope in cortice secedit a sanguine præterlabente: ab eo nimirum, quem sursum urget ad Calvariam, ac impellit cordis vis; qua seu infirma, seu deleta, minime mirum, si confestim infirmetur, & deleatur una & cerebri virtus, & corporis vita; ideoque cor, apud Stagiritam, *principium fuit motus, lætitiæ, tristitiæ, sensuumque omnium, & terminus*. Ubinam cor in hac tam mira, tamque eleganti scientiarum congerie, quam *Palladem* diximus.

Oculos, & animum intendite, Spectatores, in ejus Præcordia. En micat in meditullio nescio quid *corporis organici*, quod cordis instar Hominis, pulsat, & vibrat. Immobile tamen eumdem utique situm servat semper, omnia movens in hoc veluti parvo Litterarum Orbe, non secus ac in Orbe Terrarum maximo, ex Copernici damnato systemate, Sol; qui, licet ad centrum habeatur immobilis, reliquos tamen omnes ille convertit Orbes ad nutum,

ut ita

ut ita dicam, vertiginis illius, qua & ipse in centro convertitur. Corpus ferme videtur variis organis apposite instructum, ac pluribus in locis sectum. Diversas perhibet membranas. Sub membranis musculos. Inter musculos glandulas. Sub musculis, & glandulis condit Ossa. Artus habet, & ventres. Ventribus insunt viscera: idest vitæ animalis præcipua instrumenta, quibus hinc inde variis characteribus sparsim inscribitur: *Nosce teipsum*: Nonne id cognitionem eam indicat, quam sapiens quisque scite, per Anatomen, sui habere debet? Hæc profecto, quis credat? Palladis cor est. Anatome scilicet, unde cognitio quædam Hominis certa, & evidens, blande per sensus defluit in animum. Hæc, inquam, quæ utpote lucubratio vilis a pluribus negligebatur, tanti factam olim a Superis invenio, ut in medio Palladis Thorace, eam procreaverit Jupiter, quo & cordis vices gereret, & inter honestas disciplinas, tamquam motus, & vitæ principium, vitam, & motum cæteris omnibus impertiretur. Hæc sane in Viro erudito veram fovet Philosophiam; ac per Philosophiam, veluti per cerebrum, & Sapientiæ nervos, reliquis omnibus Sapientiæ partibus prospicit; quæ, ut opinor, rite vigere neutiquam possent, quinimmo languentes, exsuccæ, ac pene dicam excarnes, contabescerent; nisi miram Corporis organici structuram optime calleat is, qui earum cultum perficere contendit. Aristoteles, & Theophrastus, Scientiarum ambo fontes perennes, nonne id apprime senserunt? Quum animantium omnium alter, alter autem Stirpium, omniumque fere rerum, quas effert Terra, accuratissimam historiam, atque Anatomen prosecutus est; *quæ ex cognitione facilior fit*, uti affirmat Romanæ Parens eloquentiæ, *investigatio rerum occultissimarum*.

Ades dum quisquis es, qui animalem corporis fabricam ignoras; & tanti expers præsidii fare age, obsecro te. En vastissimum Orbis Theatrum, ubi varia, ac recondita Naturæ phœnomena, ut varia jugiter præbeant Mortalibus spectacula, assidua ludunt Metamorphosi. Age, ad Operam; atque meditabundus philosophare. Naturam primo sensuum inquire, & de iis luculenter judicium profer, si potis es? nisi præclare teneas cutis texturam, oculorum, aurium, narium, item & linguæ: organorum scilicet, quibus varias corporum affectiones excipimus. De objectis, quæ tactus organa afficiunt, quid nam probe sentire poterit in Physicis, qui non perceperit papillarum nexum, villorum, fibrillarum, ac tubulorum, quibus mirifice cutis intexitur? Quid nam cogitet, efferat de iis, quæ per radios luminis reflexos, infractos, seu in Conos, seu in pyramides collectos, oculos subeunt per pupillam, ac visum eliciunt, quum ignoret tunicarum situm, humorum, musculorum, nervorum, & fibrarum, quæ oculorum aut gemmas, aut globos perbelle compingunt?

Qui

Qui ebelyn digitis, & eburno verbere pulsat

apud Lucanum, aerem ferme exagitat, quem impellit; ut tremulus, undosus, & fluctuans, aures intime pervadat, ac Tympanum concitet; attamen earum fabricam nisi rimatus fuerit, haud deprehendet, quo pacto intus varii excitentur concentus. Si diversos ubique efflant Myropolia odores. Si sudant culinæ, ut nauseanti palato gratos tandem prebeant excogitatos sapores, fieri minime poterit, quin Anatomes indoctus in his allucinetur, ubi perquirat, num in naribus, num in ore odor fit & sapor, num extra, num una cum aere inspirato naribus excipiamus particulas, quæ, narium membranas interiores scalpendo, olfactum moveant; num sales alimentorum per salivam fusi, ut gustum cieant, linguæ papillulas titillent. At nos quotidie fallunt, dices, sensus? Ita prorsus; fallunt utique, fallunt; quum eorum pravitate *simul atque in lucem editi, & susceptì sumus, ita obruamur*, Tullio teste, *ut pene cum lacte Nutricis errorem suxisse videamur*. Veruntamen sensuum fallacias quisnam avellet? quum sedulo non agat, ut sibi maxime constet organorum structura, a quibus tot per sensus hausit errores.

Sol jam viget, atque ab Occasu ad Meridiem properans, Telluris corticem lustrat, ejusque viscera fovet, fæcundatque; quocirca in hac tam liberali Luminum Patris largitate, ex bulbis suis plaudentes excluduntur flores, atque omnigeni frutices ubique pullulant; ipsæque Paludes, ac uliginosi recessus, quamvis de more livescentes, & luridi, ne sterilitatis vitio fædentur in tanta lucis munificentia, fertiles fiunt. En itaque veluti de repente feracissimas Insectorum soboles, quibus suis, pene dicam, uberibus Materia putris indeficientem utique præbet alimoniam; nec sinit, ut victus ægestate in ipso Parentis gremio pereat immatura progenies. At enim vero tam concinna, tamque miranda, ac perjucunda objectorum varietas, ex inopinato in hoc spectaculo edita, quos non progenuit errores in animis Spectantium; qui unanimi fere consensu, aut *ex putri*, aut tamquam *ex putri*, hæc omnia fieri autumabant; donec per Anatomen, ovulis, seminibusque detectis, sententiam hanc rejecit Anatomicorum solertia; penes quos minus ferme caligaret qui, vel ex ligno contabescente extitisse opinaretur affabre factam Architæ Columbam, mechanice volitantem; vel ex innumeris vitreis, casu fractis, fragminibus emersisse crystallinam Archimedis Sphæram Orbes æthereos æmulantem; vel inter Brittarnos horologia recenter ex sola ferrugine, solius ope Naturæ, non Arte concinnari; quam si proferret viventium, ac Vegetantium solertissimum opificium compingi ex sola materia, quæ putrescit, præterquam quod vel in semine, vel in ovulo, vel in bulbo, seu radice, prius coercita eorum minima rudimenta, & in artum quasi coacta, mox ex-

excludantur succi cujusdam prolifici beneficio; qui partes ibi contractas urget valide, ac impellit. Nonne illud chimæram sapit? Nonne redolet hypocentaurum? Id percipere si quis æquo animo quid valet, inde amentem irridet Democritum, qui mentem perperam, & inconsulto levibus, ac rotundis corpusculis effecit, huc illuc sine lege vagantibus? Quid *suos sonare facit clangore cachinnos*, cum ex impiis Lucretii Carminibus, ubique sparsim blande in superos execrantis, nihil esse in Orbe acceperit, quod non atomorum turba conficiat concursu quodam fortuito? Ex Tumulis suis Caput emittat consopita Vetustas, ac intentos per Orbem undequaque circumducat oculos, obstupescat, & sileat. *Nil sub Sole novum?* Sanguis a corde per arterias fluit ad reliquas omnes corporis partes, ut exinde per venas refluat ad cor. Nonne id novissime nobis, Animantia secans, aperuit Harveus? Chylus ex intestinis, minime per venas meseraicas tendit ad Hepar, immo per ductus minimos chyliferos ad glandulas meseraicas, chylique capsulam, unde per Thoracicum ad venas subclavias. Nonne hoc præ cæteris patefecit Asellius, Pecquetus, & inclytus Bartholinus? qui præterea lymphatica mesenterii, non eadem cum lacteis esse comperiit. En papillæ cutis pyramidales, musculorum, & glandularum soboles, eorumque compages, atque textura. En Cor, Renes, Cerebrum, Nervi, & Viscera omnia, quæ modo luculentissime patent. En Mulierum ovaria, ossium tubuli, pilorum, æque ac unguium fibræ, bulbi, calices, & uno, eodemque tempore en totidem non prius excogitatæ sententiæ; quæ omnia recens e latebris eduxit Culter anatomicus. Quo non pervenit, temporibus nostris, Scientiarum cultus, quum ex humilibus Chirurgiæ Gymnasiis ad Lycæa Sapientiæ exercitationes anatomicas evexit Recentiorum sedulitas?

Malpighius, Redi, Bellinus, Fracassatus, Vartonus, Sthenonius, Sylvius, Rudbechius, Glyssonius, Lovverius, Borellus, Renatus, Gassendus, aliorumque tot virorum clarissimorum Manes ex Elisiis huc vos advoco. Adeste, inquam, adeste. Vos, vos utique pluribus observationibus, æque ac ratiociniis in naturam pro viribus inquirentes, quicquid Priscos diu latebat, celerrimo, faustoque eventu Posteris detexistis; quum a rebus, per Anatomen, sensibus obnoxiis, ad eas, quæ sensum fugiunt ob tenuitatem, ascendentes, veram quoque rerum insensilium existentem naturam aperuistis. Hinc innumeris pene ejectis erroribus, lux, nisi meridiana, crepera saltem effulsit. Si deinceps ignoramus, id tamen ipsum luculenter scimus; eoque cæteris, uti Socrates, præstamus, qui sapientissimus omnium ab Apolline habebatur, *quod illi, quæ nesciunt, scire se putant*.

Scire se putant, eoquod fortasse, Animantium sectione nequaquam adju-

adjuvare consueverunt mentis aciem, quæ licet prorsus incorporea, haud agit in Homine, nisi *cum carne*, & *ex carne*. Quapropter si cogitat Socrates, si percipit, si ratiocinatur, unacum animo in cerebro Socratis agunt nervorum fibræ identidem excitatæ ope spirituum, qui per eas fluunt, refluuntque. Si amat Xantippe. Si odit Mittone. Si pavent, si irascuntur, nescio an Socratis zelotipæ Uxores, an ut pacatam viri constantiam exerceant; earum Animi, materiæ quantumvis omnino expertes, & afficiunt organa, & ab organis afficiuntur; itaut vel habitus ipsi, qui apud Philosophum ex *frequentatis actibus* eliciuntur, seu probi, seu pravi sint, fieri haud possit, quominus emergant ab affectione quadam, quæ præsertim in cerebro nervorum afficit villos, ac per villos membranas, & musculos, item & viscera corporis potissima; quæ propterea novum induunt ingenium, & *manibus quisque suis alteram quasi sibi cudit naturam*.

. . . . . *Corpus onustum*
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ. Cecinit Flaccus.
Sensum a cœlesti demissum traximus arce. Apud Satyricum.

Verumtamen *ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in Terram* ex Tullio, ad Leges, ut ita dicam, mechanices agit in organis, & per organa. Ex quo sapiens sine Anatome erit insipiens; & quamvis morum suorum moderator oculatissimus, & censor, cæcutiet tamen, quum ab eo rationes, ac genuinas causas, quispiam exquirat sapientiæ suæ. Enervis quasi deficeret, & excors, quum vires non sibi reficiat ex corde Sapientiæ: ex pluribus nempe notioribus, quas ex animantibus sectis educit; & quibus non modo abditos sibi corporis pandit recessus, verum & animi latebras incorporeas, & mentis defæcatissima penetralia.

Sed obstrepat Fama, & ubique locorum plaudente Minerva non ovationem, sed paret Triumphum. Cur superbiens, reperto sanguinis circulo, se diutius jactitat Harveus? Harveum vicimus *hac Anatome litteraria*; atque victor tanta nunc gestio lætitia, *quanta pridem, aut superior Africanus, Annibale victo; aut posterior, Cartagine eversa; seu quanta L. Paullus, quum Regem Persen captum adduceret, festo illo die tiberina decursione invectus*. En spectatores circulum longe nobiliorem, qui universa Palladis membra alit, & fovet. Quum nosmetipsos mature perpendimus, ab hac pervestigatione interiori, motu quasi circulari, eoque perenni, tamquam a corde, vel centro sapientiæ, non sanguis, sed lux quædam purissima, quaquaversum effunditur ad reliquas omnes Sapientiæ partes, ut exinde iterum radiet ad centrum, seu cor Sapientiæ; cujus indoles, & natura magis magisque in dies palam fit, iis porro, qui ab Anatome sui, ex ordine incedentes, ad res transeunt exteriores; & a rebus exterioribus

bus per vices redeunt ad sui perquisitionem. In semetipsum inquirat prius necesse est, ne laboret incassum, qui & alia noscere studet; & postquam alia noverit, in semetipsum denuo se conferat; ac per varios ambitus, & anfractus, & veluti per circuitus, a cortice subeat medullam: ab exterioribus nimirum interiora, & a corpore animum, quinimmo & animi recessus: idque iterum, atque iterum, ut cum rebus exterioribus sese conferens, naturam sui luculentius rimetur; quippe qui semetipsum accurate perscrutatur, is vere sapit, Auditores. Is profecto scit, qui sibi notionem sui comparare valet undique perfectam, & absolutam: rem unam præclarissimam omnium, maximeque laudandam; quæ non adumbratam, sed veram habet formam honestatis. Hanc avide curate. Hanc præ cæteris concupiscite, Sapientiæ candidati. Ad hanc omnes ingenii vires, omnesque conatus intendite; quum ab hac non futilem, atque inanem, sed veram, solidamque Sapientiam eliciat Animus. Id, per *Anatomen Scientiarum*, hactenus prolidentes, palam fecimus. *Anatomen Litterarum* confecimus. *Intus transigetur, si quid est quod superest. Plaudite.*

F I N I S.

DE

Digitized by Google

DE VERA IN LITTERIS SAPIENTIA

PHYSIOLOGIAM

EXPOSUIT

Pro Solemni Studiorum Renovatione in Templo Archigymnasii Romani XV. Kalend. Novembris MDCCXV. Post Missarum Solemne Sacrificium

PROLUDENS

ALEXANDER PASCOLI PERUSINUS

Archiatrorum in Urbe Collega, & Physiologiæ Medicæ in eodem Archigymnasio Professor Primarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentissimo, ac Reverendissimo

PRINCIPI JOANNI BAPTISTÆ SPINULÆ S. R. E. CARDINALI CAMERARIO.

ALEXANDER PASCOLI P. F.

UT anceps essem, recurrentibus Studiorum primordiis, an iterum proluderem in hoc Urbis celeberrimo Archigymnasio, plura erant in Causa, EMINENTISSIME PRINCEPS. Eloquens non sum; & quamvis olim id Litterarum genus a primo tempore ætatis aliquantulum delibaverim, iis tamen tantam operam, tantamque curam, nequaquam adhibui; neque in eo studio adeo unquam profeci, ut possim modo floribus eloquentiæ proludere. Distrahor præterea, a mane summo usque ad vesperam, Rebus medicis, ut scis, quotidie exercendis, exponendisque. Hinc si qua, vel in aliis Facultatibus, me leviter imbuerat eruditio, hæc omnino defecit, ac otio veluti

contabescens, obsolevit. Sed quod maxime obsistebat, ne id muneris hoc anno susciperem, id præ cæteris fuit, quod, ob consuetudinem quamdam, jam multis ab hinc annis, in celeberrima quaque Universitate provectam, quasi cogerer de more, ut Prolusionem Typis evulgarem. Eam sane tanti non facio, ut publice præ manibus evagetur. Languet enim pluribus ex Causis, & præsertim languet, eoquod vel ipse languens, dum Sirius hoc anno vehementer ardebat, *Physiologiam* hanc, sive Orationem auspicalem, *de vera in Litteris Sapientia*, subcisivis, & subsecundariis temporibus, ut potui, concinnavi, a nimio æstu, prope meridiem, Domum recedens. Attamen langueat quamvis, ne penitus tamen obscura sit, sine, Princeps Eminentissime, ut evulgetur sub Auspiciis clarissimi Nominis Tui, late nitentis, non modo ob eam, quam sibi peperit, gloriam præclarissima Vetustas perquam illustrium Majorum Tuorum; verum etiam, quia veram, absolutamque Sapientiam in omnibus semper ostendis; & potissimum eoquod, inter gravissimas Reipublicæ occupationes, Litterarum tamen, atque hujus Florentissimæ Orbis Terrarum Accademiæ, tantam curam geras, eique tantum adhibeas studium, ut nunc, ut cum maxime, & vigeant, & floreant in ea Litterarum Facultates; ne quis, Sapientissimi Principis Nostri CLEMENTIS XI. ad exemplum, in quolibet Litterarum genere vere sapiens illic fieri non possit. Et, ut nos omnes Romanæ Sapientiæ cultores, ad Exteros quoque instruendos incitares, effecisti insuper, favente Pontifice Optimo Maximo, ut accuratissimum Typographium in eodem Archigymnasio magnifice extrueretur, quo quisque Nostrum lucubrationes suas Typis commode mandaret. Perge igitur, Romanæ Sapientiæ Protector vigilantissime; &, ut nobis, ac universæ Litterarum Reipublicæ, bene sapienterque diu consulas, Tibimetipsi consule prius. Serva Te incolumen, & vive.

PRO-

PROLUSIO.

T Sapiens in Terris non immerito dicatur Homo, ratione litterarum, bonarumque artium, hæc duo potissimum in ea, quam profitetur facultatem, præstare debet, *Recte* nimirum *cogitare*; & quæ recte cogitavit, *recte exponere*. Quid sit in Homine sapienti, & recte cogitare; & quæ recte cogitaverit, recte exponere, paucis proludens, in hoc amplissimo Sapientiæ Moderatorum Consessu, physiologice exponam; ut quisque vestrum, Adolescentes ornatissimi, ex iis, quæ postmodum brevi, luculenter, & candide procul ab omni fuco, dicturus sum, addiscat, quid ei faciendum sit, & ut *recte cogitet*, & ut rectas cogitationes suas *recte exponat*; quo profecto addiscat, & quid ei faciendum supersit, ut *vere sapiens* evadat.

Is recte cogitat, Adolescentes, qui ea omnia, de quibus erudiri studet in rebus naturalibus, sive contemplatrices sint, sive actrices, sive superiores, sive inferiores, sive ad Theoriam, sive ad Praxin spectent alicujus liberalis Disciplinæ, luculentissime imprimis, quantum fieri potest, æque ac recte, ratione comprehendit. Qui ea, quæ recte ita perceperit, mature comparat inter se, ut clare distinguat eorum quænam sit proportio, ratio, sive respectus; ne a rebus incertis assensionem non cohibeat, ne falsum sentiat, ne quid non satis explorate perceptum, & recte cognitum habet, affirmet aliquando, & sine ulla dubitatione defendat. Qui de re probe judicata, ad rem probe judicandam, non præcipitat, sed gradatim ratiocinando ex præcedentibus descendit. Qui conceptus suos universos, sive simplices sint, sive compositi, sive natura ingeniti, sive ex visceribus præmissarum educti, ita concinne in animo ex ordine sibi disponit, ut clare deinceps præ oculis habeat Rationis naturam, affectiones, ac circumstantias Rerum, quas mente agitavit; secus enim quo pacto opportune unquam

innotescerent earum inter se cognationes, nexus, discrimina, origines, interitus, successiones, defectiones, incrementa, vicissitudines, & conversiones, quæ aut evenerunt, aut eveniunt, aut eventura sunt, aut evenire possent? Atque adeo quo pacto fieri unquam posset, ne de iis præposterе cogitetur, & audacter? Hoc est sine intelligentia, sine ratione, sine prudentia, sine consilio tum in Physicis, tum in Moralibus, tum in Politicis, tum in œconomicis.

Neque id tantum requiritur pro facultatibus, quas speculando assequimur; quæ, quoniam in contemplatione versantur, Superiores nuncupantur; quinimmo & pro cæteris omnibus inferioribus; in quibus quoque, nisi perperam omnia fiant, temere saltem pleraque fiunt sine optimo ratiocinio. In omnibus enim, utpote ratione præditus Homo, ratiocinatur. Hinc de iis omnibus, de quibus perperam cogitat, perperam ratiocinatur. Si perperam ratiocinatur, & perperam agat necesse est; non modo quoad doctrinas spectat, ad mores, & reliqua, quæ in nobis moderari debet recta ratio, & prudens consilium; verum etiam quoad litteras attinet humaniores, ipsamque Poeticen; cui etiamsi, perinde ac Picturæ, *quidlibet audendi fuerit semper æqua potestas*, nihilominus, eo quod Naturæ sit imitatrix, fieri non potest, ut recte subsistat, quominus vel prout sunt revera, vel prout esse possunt in Natura, rerum exponat affectiones. Qui de rebus igitur non optime cogitet, qui recta de iis non ferat judicia, qui præposterе ratiocinetur, qui, quod poetice tractandum susceperit argumentum, ex ordine non digerat, is profecto, habeat quamvis, ut cum Tullio loquar, *& inflammationem animorum, & quendam quasi furoris afflatum*, veram tamen Poeticen profiteri nequaquam audeat; quippe qui Naturæ imitandæ impotens sit. Enim vero non vulgares fuisse Philosophos, inter Græcos, habemus, Poetas celeberrimos, Homerum, Eupolim, Hesiodum, Nicandrum, Paniasin, Pindarum, Anacreontem. Non vulgares inter Latinos, Ennium, Pacuvium, Accium, Cæcilium, Attilium, Aquinium, Lucretium, Virgilium, Horatium, Catullum, Ovidium, aliosque complures Artis Poeticæ Parentes olim exstinctos; quorum Poeses, & carmina satis-superque declarant, quam venuste, quam scite, quam eleganter de rebus, licet falsis omnino, aut saltem incertis, cogitabant.

Verum enim vero, optime quamvis cogitet Homo, vacillat tamen, & claudicat ejus in Litteris Sapientia, nisi præterea, quæ optime cogitavit, *optime vel exponat*, vel saltem *valeat exponere*. Hoc quid sit: quid sit nimirum, ea, quæ optime cogitamus, optime exponere, sinite quæso Adolescentes, ut id vobis deinceps exponam. Una ex partibus præcipuis, quæ Hominem constituit in rerum natura, Mens est, sive Animus; qui corporis licet prorsus expers, cum corpore tamen ita consociatur, ejusque partibus, organis, & membris intime ita unitur, ut corporis molem universam animet, vivificet, & informet. Altera pars consurgit in Homine ex quantitate quadam materiæ ab opifice ter Optimo Maximo mirifice constructa Automatis ad instar, sive machinæ semoventis, cujus organa agunt per partes solidas fluidis concitatas; siquidem corpus-humanum, utpote organicum est, variis sese indesinenter accommodat operationibus edendis, tum ut conservetur, nutriatur, & augeatur, tum ut propagetur, tum etiam ad arcendum, declinandumque, quicquid insensum sibi nocet, aut nocere contendit. Idque nonnisi per facultates instrumentorum ab humoribus in organis excitatas. Ope Mentis nos Homines cogitamus: percipimus videlicet, judi-

judicamus, ratiocinamur, nec non etiam cogitationes nostras, sive ideas in ordinem digerimus, atque disponimus. Organorum beneficio cogitationes jam elicitas, sive ideas jam perceptas, judicatas, eductas, & quoquo pacto digestas, qualescumque sint, quantumvis interiores, & abditas, si libet, declaramus. Declaramus *agendo*. Declaramus *loquendo*.

Loquendo; tum quum verbis utimur ad sensus animi exprimendos. Ita ferme sese declarabat, declamans Tullius pro Rostris. Ita differtans in Accademiis Arcesilas. Ita Pythagoras docens ab Exedra. Ita sympofium scribens, & Oeconomicum, Xexophon Socraticus.

Agendo; tum quum ea usu efficimus, quæ intus ratione cogitamus. Interdum respectu ad *mores*; quemadmodum Socrates, qui, ut se excelso, constantique animo, moriens adhuc, ostenderet, Judicibus arridens; cicuta intrepide arrepta, eaque leniter ingesta, supremum vitæ diem clausit pacatus. Interdum ratione operis exterioris, sive ad usum vitæ, sive ad animi oblectationem, artificiose construendi; non secus ac olim Archimedes Syracusanus, & non ita pridem Gallileus Florentinus. Sphæram Crystallinam, quæ, mira conversione, motus Orbis dissimiles imitabatur, fabrefecit Archimedes; quo declaravit, quam subtiliter una, & quam apposite de rebus astronomicis, æque ac mechanicis, cogitabat. Tubum opticum, fama quadam obscura eventus fortuiti admonitus, speculando, temporibus fere nostris ingeniose construxit Gallileus, & confestim, longe lateque per Orbem evulgavit, quantum ipse profecerat in meditatione Doctrinarum ad Optricen, & Dioptricen, spectantium.

Ita propemodum, Auditores, ea quæ intus Mente cogitamus, Corporis organis adjuvantibus, sive sapimus, sive desipimus in aliqua facultate, declaramus. Cogitat enim sapiens, perinde ac insipiens. Loquitur, & agit Doctus, perinde ac indoctus. Disertus, perinde ac indisertus. Recta tamen sapiens, Disertus, & Doctus. Perperam, temere, obscure, duriter, impudenter, inconsulto, sine ordine, licenterque ut plurimum Insipiens, Indisertus, & indoctus. Recta loquitur Litteris edoctus, disertus, & vere sapiens in eo, quod profitetur, Disciplinarum genere; quatenus id, quod intus recta cogitat, rectos nimirum Animi sensus, clare, distincte, breviter, eleganter, proprie, & si conveniens est, eloquenter, docte, congruenter, & ex ordine verbis exponit. Adeo ut, si narrat, luculenter sese explicet, sine verbositate, & vaniloquentia. Nihil frustra, & ad nauseam profert. Prout natura fert rerum, rebus exprimendis voces apponit, eas idoneis dicendi formulis exprimit, figuris identidem animat, sententiis exornat. Scite cavet tamen, ne quid sit præter modum, ne quid fidenter; ne quid sive ad pompam inanem, sive ad futiles captandos vulgi imperitorum plausus. Si declamat, facunde. Si differtat, acute. Si probat, valide, & concludenter. Si demonstrat, evidenter. Flectendos animos, suaviter flectit, perorando. Terrendos terret opportune. Animat animandos. Suadendis suadet. Æquos Auditores, Lectoresque, sive scribat, sive loquatur, in omnibus denique delectat, sibique gratos, atque attentos efficit. Et ut paucis omnia complectar, loquitur, non blaterat. Non garrit, ratiocinatur. Rectas Animi Sententias graphice profert, non projicit ampullas, & voces inanes effutit. Quod quantæ sit molis, Adolescentes Ornatissimi, quomodo, & quandiu in hoc elaborandum sit, mox intelligatis oportet; ut rem utramque pro viribus agendo, veram tandem in Litteris Sapientiam acquiratis.

Interea temporis, relaxandi animi causa, ab Insulis advectus Ægeis, accedat

dat huc Arion. Arion, Arion Citharam arripe tuam. Concita nervos. Numeris accine. Et, acuta cum gravibus temperans, ſuaves elice concentus. Non ut Sylvas moveas, & Saxa, alter veluti Orpheus. Non ut undas ſiſtas per Tybrim defluentes. Non ut tricipitem Cerberum lenias. Neque ut Plutonem flectas, una & Proſerpinam, atque Eurydicen evoces ab Inferis. Neque ut alter veluti Amphion, ad muros Thebarum ſtruendos, lapides attrahas. Sed ut harmonicum in medio ponas exemplar Tyronibus hiſce noſtris non injucunde imitandum.

Citharam, Tyrones, ut ad rem noſtram redeamus, mirifice pulſat Arion; &, ut, canendo, reſonantibus conſonet nervis, vocem ſuam, ad Citharæ cantum, æqualiter erigit, deprimit, circumflectit. Idque profecto nonniſi per habitudinem quandam Organorum, quam ſibi comparavit ex actibus frequenter elicitis recta citharizandi, rectaque canendi. Actus autem iſtos frequenter elicuit a primo ætatis tempore, tum recte cogitans, tum recte agens, quicquid ſibi faciundum foret, ut Citharœdus eximius evaderet. Hinc revera evaſit eximius. Et ſi quis phyſicam de hoc, ac genuinam rationem adhuc requirat, nihil eſt, quod tam facile expedire poſſimus. Eoſdem actus frequenter elicit Corpus-humanum ope ſpirituum animalium, qui in cerebri interioribus, pro libitu voluntatis, concitati, fluunt, refluuntque, iterum, atque iterum, a cerebro per eoſdem nervos ad eoſdem muſculos. Fluxu, refluxuque perenni, ſibi tandem explicant aditus per mollem cerebri, nervorumque ſubſtantiam; perque eam faciliorem ſibi ſternunt viam, qua facilius ſemper deinceps tranſire queant ad eoſdem muſculos pro iiſdem muneribus obeundis.

Hinc prope littus maris, ad fluctus aquarum alacriter declamando, linguam ſuam ab ætatis initio balbutientem extricavit Demoſthenes, actus jugiter frequentans naturæ vitio plane contrarios. Hinc alii complures, ſeſe diu in eadem re pro viribus exercentes, aut pravam organorum habitudinem emendarunt, aut novam induxerunt rebus quibuſdam præcipuis agendis apprime accommodatam. Hinc & noſter Arion, poſtquam Citharæ chordas diu appoſite concitaverit, Citharæ chordis appoſite concitandis agilis fit.

Quicquid dicimus de exercitationibus hujuſmodi, quæ perficiunt tantum actiones corporis exteriores, longe ſatius dicendum exiſtimo de reliquis omnibus ſublimioribus, quæ, non modo corpus, verum & Mentem ipſam erudiunt. Mens enim humana, licet prorſus incorporea utpote tamen in corpore, & cum corpore, Animal conſtituat ratione compotem Hominem, agit pene ſemper in Homine, non ſecus ac corpus humanum, per habitudinem acquiſitam. Hanc ipſa quoque ſibi comparat in Organis corporeis per affluxum Spirituum animalium; qui, eoſdem actus identidem frequentantes in ſenſorio communi, per eaſdem identidem excurſitant vias; & iccirco peculiaria quædam cudunt in cerebro veſtigia, ſive notas, ex quibus extat habitudo peculiaris qua Mens in nobis eoſdem actus facilius ſemper educit in dies. Quandoquidem Spiritus animales, actibus iiſdem iterum, atque iterum, commoti in Senſorio, a Senſorio iterum, atque iterum effunduntur in proximam ſubſtantiam; quam tandiu pulſant, ut ita dicam, ſubigunt, atque exagitant, donec tandem appoſite diſponatur, ut, per phantaſmata, ad nutum Animi agentis facilius reſpondeat, & iis cogitationibus, & iis, ſive ſignis, ſive vocibus, in quibus ſeſe frequentius exercuit, tum cogitans, tum cogitationes ſuas, loquendo, declarans. Hinc de rebus qui-

quibusdam facilius præ cæteris & cogitamus, & loquimur; eo quod de iisdem rebus sæpe sæpius cogitando, & loquendo, eam tandem cerebri dispositionem, sive habitudinem, acquisivimus; cujus beneficio, spiritibus excitatis, facilius excitamus in sensorio phantasmata, & per phantasmata, non modo easdem cogitationes, verum etiam & voces, & signa, nec non item loquendi formulas, quibus exprimendæ sunt.

Quod quum ita sit, Adolescentes, ut rectam sibi comparet quisque vestrum cogitandi, loquendique habitudinem, operæ-pretium est; ut indesinenter insudet iisdem actibus frequenter eliciendis recta cogitandi, rectaque loquendi. Optimos iccirco Præceptores audiat quotidie, optimos consulat Scriptores, eorumque cogitationes optimas, item & voces ipsas idoneas, aptasque dicendi formulas, quibus, nisi ornate, accurate saltem, dilucide, pure, & emendate sese declarant, sedulo, solerterque meditetur. Doctrinam perpendat, vim, simplicitatem, elegantiam, facundiam, sive eloquentiam, proprietatem, & venustatem, qua quicquid intus animo recta sentiunt, verbis exponunt. Sese diu exerceat in abstrusioribus Philosophiæ quæstionibus, metaphysicis præsertim, geometricis, & mechanicis, quæ miram sane inducunt habitudinem recte cogitandi, & sine quibus, ut opinor, scire funditus in rebus pure naturalibus, nemo potest. Quamobrem vacet quandoque æquationibus ipsius Algebræ, maxime speciosæ, utpote quæ mirum in modum rectæ Rationis aciem perficiunt, vim acuunt ingenii, crassamque Mentis Minervam diluunt, atque extenuant, alacritatem suscitant ad res vel abstrusissimas pervestigandas. Attamen *cane pejus, & angue* vitet Astrologos divinatores. Vitet Aruspices. Vitet Augures, somniorum vanos interpretes. Vitet Chiromantes, Cabalistas, & reliquos, quos Philosophos, & Mathematicos vulgus inique vocitare consuevit, & quorum scriptæ fraudes subdole imponunt cervicibus nostris, & præcipue a primo tempore ætatis. Quapropter sunt in causa, ut, ratione rerum variarum, & perperam cogitemus in posterum, & perperam loquamur. Flocci faciat, aut risu saltem excipiat genus illud Amentium, quos angit auri sacra fames, & qui propterea mendace quadam Hermetis Philosophia Metallorum essentias funditus immutare molientes, rectam Rationem sibi prius, mox & aliis, per Alchymiam evertunt. Non procul tamen recedat a Musis, ne torpeat Animus, ne arefiat, ne languide cogitet, ne sese exprimat invenuste. Eos potissimum, tum soluta, tum numeris concinnata oratione, loquendo, scribendoque imitetur, qui cogitationes suas recta dispositas, rectaque digestas, verborum proprietate, sententiarum doctrina formularum simplicitate, stylo puro, ac facili, citra lenocinium inanis eloquentiæ, luculenter exposuere. His autem, eo quod perquam pauci extiterint semper in Orbe Litterarum, cautus valde sit, solicitus, ne dicam scrupulosus, seligendis sibi imitandis. Hos legat indesinenter. Hos consideret, examinet, contempletur. Satius est enim, uti Lucilio suo suadebat olim Seneca, *pauca bonaque potius legere, & iis immorari, quam per varia scripta, & per varios Auctores curiose discurrere*. Siquidem mollis est cerebri substantia. Laxe subsidunt fibræ, leve concidunt de causa, occluduntur tramites, evanescunt rerum imagines in Sensorio, immutantur, invertuntur, nisi Mentem caute exerceas. Quocirca, si evagemur, si distrahamur variis promiscue legendis, imitandisque Auctoribus, distrahuntur quoque actus, evagantur Spiritus; atque adeo optima cerebri phantasmata, alte quamvis semel infixa, sive delentur, sive perturbantur, sive peri-

penitus evertuntur. Hinc perperam agunt Animi facultates. Hinc perperam cogitat Animus. Hinc perperam exprimitur; idest ratione Litterarum, bonarumque Artium, aut desipit omnino, aut veram non callet Sapientiam; quæ, uti hactenus exposuimus, subsistere in Homine minime potest, nisi & *recta cogitet*, & rectas cogitationes suas nisi *recta exponat*. Id ipse in singulis rebus meis, vel quum nondum ex Ephebis excesseram, pro viribus semper conatus sum. Id vobis, Adolescentes, dissertans in Accademiis suadebam semper. Id insurgens de Cathedra. Id me scribendo profundens. Id modo proludens suadeo. Id vel in posterum, donec vobis Præceptor futurus sim, suadebo semper. Et quamvis ipse, ob tenuitatem ingenii, nihil unquam fortasse prosecerim, faxint Superi, ut per hanc, *de vera in Litteris Sapientia*, *Physiologiam*, plurimum vos proficiatis ... Prolusimus.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula I.

FIGURA I.

Indicat Musculi partes exteriores.

F G C Musculus biceps cubiti flexor
G C Tendines
G Venter, sive caro
F Caput
C Cauda

FIGURA II.

Indicat partes exteriores Corporis humani anterioris.

A Caput
B Thorax
C Abdomen
a Facies
b Collum
D Jugulum
E Scrobiculum cordis
cc Axillæ
F Epigastrium
dd Hypochondria
G Regio umbilicalis
H H Ilia
I Hypogastrium
e Regio pubis
ff Inguina
g Pudendum
K Humerus
L Cubitus
h Carpus
i Metacarpus
1. 2. 3. 4. 5. Digiti
M Vola manus
N Femur
O Tibia
k Tarsus
m Metatarsus
o Digiti
P Malleolus internus

FIGURA III.

Indicat partes exteriores Corporis humani posterioris.

A Calvaria
B Cervix
C Dorsus Pectoris
D D Lumbi
E E Nates sive clunes
F Dorsus manus
G G Sura
H Dorsus pedis
I Planta pedis
K K Poplites
a Calcaneus
b Malleolus externus.

Digitized by Google


Fig. II.
Fig. I.
Tab. I.
Fig. III.
A
a
b
D
K
B
E
F
d
G
C
I
H
L
h
i
N
O
k
m
D
E
A
G
B
C
A
B
C
D
E
E
F
K
G
G
H
a
I
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula II.

FIGURA I.

Indicat ossa anteriora Scheleti humani.

A Os Frontis
B Ossa temporum
C Maxilla superior
D Maxilla inferior
E E Claviculæ
F Sternum
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Costæ legitimæ
8. 9. 10. 11. 12. Costæ spuriæ
a Cartilago ensiformis
G G Ossa ilium
H H Ossa coxendicis
I I Ossa pubis
K Humerus
L Cubitus, sive focile majus
M Radius
N Ossa carpi
O Ossa metacarpi
P Ossa digitorum
Q Ossa femorum
b Rotator major
c Rotator minor
d Rotula, sive patella
R Tibia
S Fibula
T Os Sacrum
e Ossa tarsi
f Ossa metatarsi
g Ossa digitorum

FIGURA II.

Indicat Ossa posteriora Scheleti humani.

A Occiput
a Sutura lambdoidea
b Sutura Sagittalis
B Scapulæ
C Vertebræ cervicales
D Vertebræ dorsales
E Vertebræ lumbares
F Vertebræ ossis Sacri.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula III.

Clarè indicat Auriculas, & Ventriculos cordis sectos, & adapertos, necnon etiam motum sanguinis per universum corpus.

A Ventriculus cordis sinister
B Locus, qui indicat ejus orificium
C C C C C Truncus arteriæ aortæ
D D D Rami ejusdem, idest superiores, & inferiores
E E Rami venæ cavæ, idest superior, & inferior
F Auricula dextera secta
G Ventriculus dexter, qui meliùs occurrit in sequenti tabula
H Arteria pneumonica secta
I I Rami ejusdem
K Truncus venæ pneumonicæ
L L Rami ejusdem
M Auricula cordis sinistra
N Ejus cavum adapertum
O Locus, qui indicat ejus orificium
a a a Valvulæ Sygmoides

Sanguis a Ventriculo cordis A *sinistro per orificium* B *ingreditur truncum* C C C *arteriæ aortæ. Exinde per ramos* D D D *effunditur per universas regiones corporis humani. Ex quibus refluit per ramos* E E *venæ cavæ in truncum communem ejusdem venæ cavæ, qui evomit eundem sanguinem in auriculam cordis dexteram* F. *Unde per ejus orificium defluit in Ventriculum* G *dexterum ejusdem cordis. Ab hoc per arteriam pneumonicam* H *effunditur per universam pulmonum substantiam, a qua per truncum* K *venæ pneumonicæ remeat in auriculam sinistram* M. *Exinde per orificium* O *descendit in Ventriculum cordis sinistrum* A; *a quo iterum per truncum arteriæ aortæ, & sic deinceps.*


Tab. III
E
I
I
D
D
D
D
C
C
K
a
a
a
a
L
L
K
M
D
E
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula IV.

Quæ clarè indicat eadem in eodem corde, alio modo introspecto.

A Ventriculus cordis sinister

B Locus, qui indicat ejus orificium

CCCCC Rami arteriæ aortæ, idest superiores, & inferiores

DD Rami venæ cavæ, idest superior, & inferior

E Auricula dextera secta

F Ejus cavum adapertum

G G G Ventriculus cordis dexter

H Arteria pneumonica secta

I I Rami ejusdem

K Truncus venæ pneumonicæ

L L Rami ejusdem

M Auricula sinistra secta

aaa Valvulæ Sygmoides.

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula V.

FIGURA I.

Exhibet viſcera, quæ medio, infimoque ventre reſecto, in conſpectum veniunt ab Euſtachio excerpta.

A Cerebrum pia matre involutum *a* Falx meſſoria
BB Pulmones
C Diaphragmatis lymbus exterior DD Hepar
EE Omentum
F Inteſtini ilei portio
b Heparis vinculum ſuſpenſorium

FIGURA II.

Oſtendit trachæam, atque pulmones in parte anteriori.

A Laryngis pars anterior
B Trachæa *a* Thymus
CC Lobi pulmonum
D Diaphragma

FIGURA III.

Indicat trachææ, & pulmonum partem poſticam.

A Laryngis pars poſterior
a Trachææ pars membranacea
b Arteriæ aortæ portio

FIGURA IV.

Indicat Duodenum, Pancreas, & Meſenterii ſubſtantiam.

A Ventriculi portio
BBB Inteſtinum duodenum
C Pancreas membrana exutum
a Pancreatis ductus communis in duodenum hians
D Glandula meſenterii
E Cyſterna Pecquetiana
F Ductus thoracicus
b Vena meſeraica
ccc Nervi meſenterii, qui inplexu deinde uniuntur
GG Vaſa meſenterii, quæ turgent humoribus; quæ verò frequentioribus valvulis inſtructa apparent per totidem veluti nodulos vaſa ſunt chylifera, & lymphatica; reliqua ſunt ſanguifera

FIGURA V.

Indicat œſophagum, ventriculum, atque inteſtina in ſitu naturali.

A Oeſophagus
a Orificium œſophagi ſiniſtrum
B Ventriculus *b* Pylorus
C Inteſtinum duodenum
DD Jejunum EE Ileum
F Cæcum
GG Colon
H Rectum
I Podex
cc Podicis muſculi.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula VI.

FIGURA I.

Exhibet Renes, Ureteres, Vesicam urinariam, ac generationis organa in mulieribus.

A Truncus arteriæ aortæ
B Truncus venæ cavæ
CC Vasa emulgentia
DD Renes
EE Ureteres recisi
FF Vasa iliaca
G Uterus distentus, ut existit tempore puerperii
H Vesica urinaria
I Ejus sphincter
a Clytoris
bb Nymphæ
c Meatus urinarius
dd Labia pudendi
KK Testes, sive ovaria
LL Tubæ Fallopianæ
MM Alæ vespertilionum
N Intestinum rectum
OO Uteri vincula rotunda
PP Venæ, & arteriæ spermaticæ, quæ in fasciculum aptatæ, per testium substantiam effunduntur.

FIGURA II.

Indicat Renes, Ureteres, vesicam urinariam, ac generationis organa in maribus.

A Truncus arteriæ aortæ
B Truncus venæ cavæ
CC Renes membrana exuti
DD Renes succenturiati
E Vesica urinaria
aa Ureteres
b Cervix vesicæ urinariæ
d Prostatæ
ee Musculi penis erectores
cc Membranæ penis recisæ
F Penis
GG Testes
HH Vasa emulgentia
II Venæ, & arteriæ spermaticæ, quæ in testes effunduntur
KK Vasa deferentia
L Epididimes, sive parastatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Tab. VI.

Fig. I.



Fig. II.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google